ROMANUS PONTIFEX. ANIMADUERSIONES CENTUM SEXAGINTA IN GESTA...

Sincerus Candidaeus

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
18 E
21

Dom. Prof. Rom. S. I. Bibl. Com. Cat. Inscr

ROMANVS PONTIFEX.

ANIMADVERSIONES CENTVM SEXAGINTA IN GESTA DICTAQVE S. PETRI APOSTOLORVM PRINCIPIS

E Quatuor Euangelistis, & Apostolorum Actis;
VBI QVALIS ELIGENDVS, AC ELECTVS
ROMANVS PONTIFEX
ECCLESIASTICÆ PRINCEPS HIERARCHIÆ,

DICATAE

A CANDIDO SINCERO GERMANO

LVDOVICO XIV.
Galliæ, ac Nauarræ Regi
Christianissimo.

Cum duplici Indice.

BIBLIOTECA NAZ. ... ROMA ... VITTORIO EMANUELE

DVACI.

Typis Bonifacij Seiller. An. M. DC. LXVI.

Superiorum permissu.

Dom. Prof. Rom. S.I. Bibl. Com. Cat. Inscr

Orationes Ecclesiæ pro Papa in Romano Missali; Vbi comparantur istæ cum orationibus pro tota Ecclesia.

1. *Deus omnium fidelium Pastor, & Rector famulum tuum N. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ praeesse voluisse, propitius respice; Da ei quæsumus verbo, & exemplo, quibus praeest proficere; vt ad vitam vnà cum grege sibi credito perueniat sempiternam. Per Dom. &c.*
2. *Oblatis quæsumus Domine placare muneribus; & famulum tuum N. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ praeesse voluisti, assidua protectione guberna. Per Dom. &c.*
3. *Hæc nos, quæsumus Domine, Diuini Sacramenti perceptio protegat; & famulum tuum N. quem Pastorem Ecclesiæ tuæ praeesse voluisti, vnà cum commisso sibi Grege saluet semper, & muniat. Per &c.*

E Ceremoniali Romano lib. 1. c. 2. sect. 2.

Cardinalis Ostiensis, dum Romanum Pontificem consecrat, has preces inter cæteras fundit.

Da eì Domine claues Regni Cælorum, vt vtatur, non vt glorietur potestate, quam tribuis in ædificationem, non in destructionem: Et paulò post; *Sit sollicitudine non piger, spiritu feruens; oderit superbiam; humilitatem, ac virtutem diligat; neque vnquam eam deserat, aut laudibus, aut timore superatus.*

E Gratiani Decreto sub Greg. XIII. emendato.

D. 40. c. 6.

E dictis S. Bonifacij Martyris, & Archiepiscopi Moguntini Sedis Apostolicæ Legati.

Si Papa suæ, & fraternæ salutis negligens, deprehenditur inutilis, & remissus in operibus suis, & insuper a bono taciturnus, quod magis officit sibi, & omnibus; nihilominus innumerabiles populos cateruatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso multis plagis in æternum vapulaturus. Huius culpas istic redarguere præsumit mortalium nemo, quia cunctos ipse iudicaturus a nemine est iudicandus, nisi deprehendatur a fide deuius; pro cuius perpetuo statu vniuersitas fidelium tantò instantiùs orat, quantò suam salutem post Deum ex illius incolumitate animaduertit propensiùs pendere.

D. 83. c. 2.

E S. Gregorij Papæ p. 1. Pastor. c. 2.

Nemo quippe in Ecclesia nocet ampliùs, quam qui peruersè agens nomen, vel Ordinem Sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc nemo redarguere præsumit, & in exemplum culpa vehementer extenditur, quādo pro reuerentia Ordinis peccator honoratur.

CHRISTIANISSIMO
GALLIÆ, AC NAVARRÆ REGI
LVDOVICO XIV.

Sincerus Candidus Germanus
F. P.

QVAMVIS nihil, nisi Regium planè, *REX Christianissime*, in omnium oculos, auresq. incurrat in *TVIS* fortunæ, Corporis, Animique bonis, & vndique resonent persimiles Reginæ Sabæ ad Salomonem vocibus illæ, *Quia Deus diligit Galliam, & vult seruare eam in æternum, ideo posuit TE super eam Regem, vt facias iudicia, atque iustitiam*: Inter Virtutes *TVAS* tamen verè singulares, ac heroicas, tanquam imperatoria (& Occidentali quidem Imperio sæculis duobus præfuit *Caroli Magni* soboles, quæ in Germania quidem extincta, non verò in Galliæ Regno; in quo adhuc Tu Imperator diceris) in Te dominatur *Pietas*, ac *Religio*. Illa patet in quotidianis, ac matutinis precibus, quas ante negotij cuiuslibet aggressionem, instar *Dauidis Regis*, humi prostratus effundis; in frequentato in singulos dies Missæ sacrificio, cui adeò attenta interes cura, vt cæteris persuadeas; si minùs id credant, sub visibilibus illis speciebus latere *CHRISTI* inuisibile Corpus, & Sanguinem: in sæpe iterato ad Pœnitentiæ, ac Eucharistiæ Sacramenta accessu; nec non in euitanda sollicitè omni, quam noueris, Summi omnium Regis, ac Imperatoris offensa. Studium verò propagandæ, ne dum propugnandæ, Christianæ, & Catholicæ Religionis quisnam in *TE* satis commendet? Et Christianam quidem in Orientali imperio propugnas, dum in ipsamet Constantinopolitana Vrbe in conspectu infensissimorum illius oppugnatorum, eorumq. Principis; & ad Christi, cuius vel nomen acerrimè ijdem oderunt barbari, sepulchrum aliquot Regularium, nec Ordinis vnius, Familiæ *TVO* suffultæ patrocinio Ecclesiastica obeunt ministeria, præter innumeros ferè Christianos, qui in amplissimo dominatu Turcico, *TE* pariter patrocinante, vitam ducunt a Capitalium Christianæ Religionis hostium gladio, apertisque iniurijs tutam. At Catholicam propagas, dum illam a Regni tui incolis vnicè coli, monitis, quin etiam illecebris, ne dum exemplo ab alijs quoque, contendis: Quod in Apostolicis litteris, nec semel, etiam impressis, in *TE* laudauit Supremus Catholicæ Religionis Antistes ALEXANDER VII. Cui qualem deferas

3. Reg. 10. v. 9. 2. Par. 9. v. 8.

Bald. in l. Exéplo C. de Probat. Cass. p. 5. Cat. Gl. Mūd. consid. 1. init.

venerationem, luculenter testantur inter cętera summi honores, quibus ab Oppidis, ac Ciuitatibus Tuis, atque in Parisiensi ante cæteras, iussisti *Cardinalem Chigium* illius e Fratre Nepotem *ad Te Legatum a Latere* excipi, opulentaque dona, quibus illum abeuntem decorasti, ampliora in Apostolicam Sedem obseruatiæ, ac Regiæ benignitatis vestigia reddens, quæ iam posuerant *IVSTISSIMVS PARENS TVVS, MAGNVSQVE AVVS*, dum ad eos a *Clem. VIII.* & *Vrb. VIII.* Cardinales *Aldobrandinus*, & *Barberinus* missi fuere: Quare non dubitandum, quin si quandoque Romanus Pontifex ad *TE* contenderet, vel *TV* Romam peteres, eum, *Religiosissime REX*, iisdem reuerentiæ signis esses prosecuturus, quibus prosecuti sunt Maiores *TVI Pipinus Stephanum III. Carolus Adrianum I.* ac *Leonem III. Ludouicus Pius Sergium II. & Nicolaum I. Carolus VIII. Alexandrum* ipsummet *Sextum*. Et *Tibi* sanè, *REX Sapientissime*, nequit esse ignotum, *TE* in illo dominari Regno, quod *præ cæteris Regnis*, vt scripsit *Iuo* Carnotensis Episcopus ad *Paschalem II. Apostolicæ Sedi fuit addictissimum*; a qua præter *Gregor. I.* ac *VII.* testantur ipsimet Galliæ Episcopi in litteris ad *Leonem Papam* fontem, & originem Christianæ Religionis in Galliam dimanasse, primo reparatæ salutis sæculo constitutis quoque Episcopis, *S.Dionysio* Parisijs, *S. Martiale* Lemouicis, *S. Throphimo* Arelate, *S. Paulo* Narbonæ; Quæ quarto, & quinto sæculo mirificè ibi amplificata fuit, vbi *Clodoueus* Rex Christianis præceptionibus imbutus baptismatis fonte renatus fuit *S.Remigij Rhemensis Episcopi* opera, cui Pontifex *Hormisda* vices suas in vniuerso *Clodouei* Regno delegauit; qui Rex *B.Petri* Sedem in præcipuo habens honore, ac illius Successorem *Sacrorum Regem* prorsus existimans, *B. Petro* auream Coronam cum gemmis (quæ *Regnum* appellari solet) munus obtulit: Deinceps vehemens semper propensio in Christianam Religionem, Apostolicam Sedem, Romanosque Pontifices viguit in Gallis, eorumque Regibus: Hinc illa *S.Gregor.* scribentis ad *Theod.* ac *Theob.* Francorum Reges, *Deum omnipotentē eorū Regnū fidei rectitudine decorasse, atq. integritate Christianæ Religionis inter Gentes alias fecisse esse conspicuum*. Quid si legisset inter Capitula legum viginti tria, quæ *Carolus Magnus* ad suas misit Prouincias, dum de Romano Pontifice loquitur, istud repositum. *In memoriam B.PETRI Apostoli honoremus SANCTAM ROMANAM, & APOSTOLICAM SEDEM, vt quæ nobis Sacerdotalis Mater est dignitatis, esse debeat Ecclesiasticæ magistra rationis. Quare seruanda est cum mansuetudine humilitas, vt licet vix ferendum ab illa SANCTA SEDE imponatur iugum, tamen feramus, & pia deuotione toleremus!* Atque si audijsset præterea Sanctissimus Pontifex, quod gessit inter cæteros Reges *Carolus Caluus* a *Nicolao* ad eumdem scribente commendatum; *Vos tanta humilitate, tantaque deuotionis incuruatione sub potenti manu Dei ad reuerentiam præcipuarum ipsius Apostolorum flecti conspicimus, impletum videtur, quod*

Epist.240.

lib. 4. ep. 61. ad Virg. Arel. Ep. lib.8. Reg. ep.11. ad Suet. Reg. Leonard. Coqu. tom. 1. contra Mornæū p.28. & 29 & p.276.

Ep. 58. & 124. in t.3. Conc.Ven. impres. an 1585. dic. Sixto V. cap.68. & 114. Naucl. vol.2. gen. 28. ac reponitur d. 19. c.3.

S.Iob

S. Iob de Domino loquitur, ſub quo incuruantur, qui portant orbem! Conſtat profectò, nationes plurimas a dæmoniacis ritibus ad Chriſtianos, aliquem etiam e Regibus Chriſtianis ab erroribus ad Fidei Catholicæ veritatem Galliæ Regum armis compulſos. Conſtat, ſæpe e ſola natione Gallica exercitus conſcriptos, ductoſque contra Saracenos fuiſſe; nullamque gentem Chriſtianam fuiſſe vnquam aduerſus eos fortitudine, magnanimitate, conſtantiaque præſtantiorem; quorum militarem egregiam virtutem niſi noſtra eneruaſſent peccata, occupata iam ab illis, præter Vrbes alias, Hieroſolymitana, modò Orietali imperio Chriſtiani potirentur Principes. Conſtat, numero ſemper ampliores fuiſſe Gallos, & qui ſe magis alacriter obtulerint ad Sacræ ſemet obligandos militiæ, cum Romani Põtifices eam Principibus propoſuerunt, aut indixerunt. Conſtat, totam ferè Europam incendio, quod excitarunt Albigenſes in dogmatibus multis conſentientes Mahometanis, abſumendam fuiſſe, vt ab Arriana hæreſi quondam vniuerſum Orbem, niſi flammas, quæ iam per mille ciuitates ſerpſerant, *Philippus Auguſtus, Ludou. VIII.* & tandem *Ludouicus IX.* penitus extinxiſſent. Nec ſexto ſolum ſæculo, ſed & inſequentibus, quam in Gallico Regno *præ alijs Gentibus fidei integritatem* epiſtolis celebrat *S. Gregorius*, fulſiſſe, factis quoque ipſis declararunt Romani Pontifices: Etenim in vnicum dumtaxat Galliæ Regnum, tanquam in tutiſſimum omnino portum lilijs circumuallatum ſemet receperunt plurimi Pontifices Romani ſæuis agitati fluctibus, ſiue a Romanis, ſiue a Regibus, ſiue ab Imperatoribus; in eoque vnico Romanam Curiam commorari annorum ſeptuaginta ſpatio voluerunt; ac tria ibi Generalia Concilia (vnicum fuit in Germania Conſtantienſe, cui maxima e parte Romani Pontificis præſentia etiam defuit) celebrarunt vnà cum multis Prouincialibus, vel Nationalibus, in quibus vel exortæ hæreſes damnatæ, vel expeditiones contra Turcas ſancitæ, vel Canones conditi Chriſtianis moribus, ac Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſaluberrimi; vt omittantur *Pariſienſia, Turonenſia, Aureliana, Arelatenſia, Arauſicana, Lugdunenſia,* & alia, Regibus ipſis annuentibus, vel præcipientibus, ſiue hortantibus habita; quorum decreta ſtatim omninò ſeruari iuſſerunt Reges, & quorum plurima, & quoad fidem, & quoad mores, tum Eccleſiaſticorum, tum Laicorum, cum Romanis Pontificibus Vniuerſalis deinde probauit Eccleſia: Cuius ſpiritualibus commodis potiſſimè cum vehementer officere agnouerint Galliæ Reges, ſi aliqui iniquè B. Petri Sedem occupare tentent, vel in ea repoſiti iniquè vexentur; *Ludouicus Nonus* ad *Fridericum Secundum*, qui Gallos Præſules in carcerem coniecerat ad Concilium a *Greg. IX.* Romæ indictum euntes, minaces litteras miſit, quibus ille perterritus eos libertati reſtituit; atque cum *Innocen. IV.* eiuſdem *Friderici* dolos euitans Lugdunum profectus fuiſſet, Se, Regnique ſui vires, ac Conſilium Sacræ Poteſtati tuendæ paratum eſſe profeſ-

Idem Coqu. ead. p. 29.

Paul. Æm. in Lud. IX. l b. 7.

ſus

sus est, eiusque ope in primis Generale ibi Concilium habere potuit. An non in Stampensi Concilio ann. 1130. auctore *S. Bernardo*, obedientiam *Innoc. II.* primò pollicitus fuit Galliæ Rex *Ludouicus Crassus* reiecto prorsus Anacleto? Et nonne insequenti anno, cum idem adesset Rex, in Rhemensi Concilio *Innoc.* Anacletum sacris interdixit? An non *Ludouicus Septimus* auctor fuit, vt *Alexander* III. Galliam peteret, damnatis ibi Actis, tum Papiensis Concilij, tum *Friderici I.* qui Victorem Pseudopontificem adorauerat? Hac de re Galli, vt *Germanis iustiores, Religionique propiores*, celebrantur ab externo nobili etiam Scriptore. Vbi quoque Petrus de Luna dictus Bened. XIII. schisma, quod ann. 1378. sub *Vrb. VI.* cæperat, sedare detrectauit, nonne a cunctis derelictus Gallis, & a Franco milite, Regioque Prætore obsessus Auenione in Cathaloniam Natales suos abijt; articulosque contra eumdem conscripsit *Ioannes Gerson* Parisiensis Academiæ Cancellarius, & in Constantiensi Concilio *Caroli* Regis Orator, qui vnà cum Sigismundo Imperatore enixe laborauit, vt vbi iura abdicarunt sua Ioan. 23. & Greg. XII. ac Petrus de Luna omni exutus fuit dignitate, a cunctis tandem nationibus vnà cum Cardinalibus, eligeretur, ac haberetur vnicus Pontifex Romanus; qui fuit Martinus V.? Quibusnam in primis debetur extinctio schismatis inter *Eugenium Quartum*, ac Basileensis Concilij Patres orti, quam *Francorum Regi*, ac *Delphino Viennensi eiusdem primogenito*, quorum hortatu Patres, qui Basilea Lausanæ conuenerant, *Nicolaum Quintum*, vt solum, indubitatumque Christi Vicarium agnouerunt? Fuerunt quidem aliquot dissidia inter *Bonif.* VIII. & *Philippum Pulchrum*, inter *Iulium II.* & *Ludouicum XII.* quæ non Regibus omninò, seu omni ex parte, tribuenda. Nunquam tamen illi non agnouerunt eorum in spiritualibus primatum; vnde & ijs, qui eiusmodi Pontificum exceperunt locum, obsequentissimos semet ostenderunt illico filios, ac vt amantissimi Patres eosdem benignissimè exceperunt *Bened. XI. Clem. V.* ac *Leo X.* Nequeunt nō grata recolere memoria (vt alia prætereātur) Romani Pontifices, Galliæ Reges fuisse suos in ipsamet Italia, ac B. Petri patrimonij validissimos Tutores (quod præstiterunt in priscis nedum sæculis, verùm & superiori æuo) vnàque Romanæ Ecclesiæ ditionis amplificatores. Adeò quidem singularia sunt in Romanos Pontifices Galliæ Regum beneficia, vt *Martinus* ipsemet *Nauar.* Catholicis Hispaniarum Regibus verè addictissimus, Manuale recognoscens Romæ iterum illud impressurus dubitauerit, an nomine Regum, quibus quædam in Bulla Cœnæ Domini priuilegia abrogantur, comprehendantur *Galliæ* impertita Regibus *remuneratoria obsequiorum a se magis impensis sanguinis, & fortunæ Romanis Pontificibus præstitorum.* Et illa quidem amplissima grati Romani Pontifices Galliæ Regibus elargiti sunt, quæ recensere non est opus: Inter quæ illud oppidò illustre, quod pro Galliæ Rege Orantibus centum Indulgentiæ dies concesserit:

Saxo Gram. li. 14. Hist. Dan.

Idē Paul. Æmil. in Carol. 6. lib. 10.

In ep. ad Dux. Albur. Med. Guber. De Censur. Eccl. c. 27. in fin. n. 71.

cesserit:

cesserit *Clem.IV.* & decem *Innoc. IV.* teste *S. Thom.* ipsomet. Non potes igitur, *REX Prudentissime*, Maiorum Tuorum vestigijs insistens, pijssimi profectò *PARENTIS TVI* germana proles, sub Religiosissima *SERENISSIMAE MATRIS TVAE, & Cardinalis Mazarini* disciplina enutritus, matrimonio *AVGVSTISSIMAE CATHOLICI REGIS FILIAE* iunctus, sapientissimorum corona *Consiliariorum* stipatus firmiori prorsus agmine, quam fortissimi exercitus, non Christianæ, non Catholicæ Fidei, non Romanæ Sedi, non Romanis Pontificibus vehementer fauere; atque dum in nonnullis dubitatio incidit, penes *TE* sunt Parisiensis Academiæ Doctores, cuius *fixa, constantiaque de Fide, ac Religione Decreta semper Christi Ecclesia suspexit*, vt inquit *Melchior Canus* Theologus celebris Hispanus; & quæ *cæterarum Mater Academiarum inter hæresum procellas Parisiensem* Ciuitatem, & *maximam Galliarum partem seruauit incolumē* iā elapso sæculo, quemadmodum scribit inter Hispanos quoque Theologos valde illustris *Gabriel Vasquez*; & quæ semper Orthodoxam fidem professa est, teste sæpiùs *Leonardo Coquæo* in tomis duobus contra Mornæum Caluinistam certè impium; cuius librum Romani Pontificis primatum, & auctoritatem euertere conantem acri pro merito damnarunt censura Sorbonici Doctores ann. 1611. die 1. Augusti. Cum igitur TIBI nullum e Christianis Principibus Pietate, Religione, ac Potentia modò antecellere Catholica dilucidè agnoscat Ecclesia; Duo a TE expetere, ac expectare videtur. PRIMVM: vt quandò TV inter Ecclesiæ Reges primogenitus es, cæterisque dignitate præstas, *TV solus* inter Reges sacro perungeris oleo per columbam e cælo delato, indeque etiam delapso saphiri coloris scuto, quod aurea tria exhibebat lilia, *TV solus* pristinæ reddis sanitati grauissimo quodam infectos morbo, *TV solus*, veluti Sacerdos, aliquando vtraque Sacramentali reficeris specie; atque præter alia TIBI singularia, sis *certè PRAECIPVVS*, ex Maiorum Tuorum certè instituto, inter Catholicos Principes, quos inquiunt Tridentini Concilij Patres *voluisse Deum sanctæ Fidei, Ecclesiæq; protectores esse*; omni conatu incumbas, vt optimus, siue in moribus, quàm fieri possit, *S. Petro* simillimus in eiusdem Cathedra a Cardinalibus collocetur, hortans, suadens, rogans, imò & illos monens, ad id se teneri ex iniuncto sibi munere: nec non si quando *Romani Pontificis* actiones haud *S.Petri* Successorem decerent, TV illum ores, roges, obsecres amantissimè, vt ab illis abstineat, atque, si opus fuerit, vehementi studio, vt inter sæculares Principes Princeps eiusdem filius, eum commonefacias, vt oues in Petro sibi a Christo commissas bonorum exemplo operum, vt Petrus, pascat, non prauorum mactet, vel occidat, ne minus dignè in *Petri* Cathedra sedeat; & hinc grauissima prorsus in Christianam Rempublicam, Catholicamque Ecclesiam, spiritualia maximè importentur incommoda; Vt enim c.2.Past.p.1. *Gregorius* sanctitate, & doctrina verè *Ma-*

in 4. d.20. a.3. in fin.

lib. 12. de loc. Theo c.11. circa finem.

tom. 1. in 1.p. d.3. n.

Hi fuere Mediolani impressi an. 1616. In tom. 2. p. 86. 256 257. 278. 333. 344.

Iacob. Bonau. in Panneg. Ioan. de Terrarub. Cassā. p.5. Cat. Gl. Mūd. Consid. 30 31.

Seß. 25. c.20.

gnus

gnus significat, *Nemo quippe in Ecclesia nocere potest amplius, quam* Romanus Pontifex, *qui peruersè agens ordinem, ac nomen SANCTITATIS habet.* SECVNDVM; et quando Parisijs festi dies celebrantur susceptionis *Sacræ Christi spineæ Coronæ* (tunc verè lilium inter spinas) 11. die Augusti, ac feria 6. post Octauam Paschatis *Lanceæ, & Clauorum*, quæ Dominicæ Passionis instrumenta *S. Ludouici IX.* opera in eam Vrbem delata fuere; TV LVDOVICE XIV. e Gallica gente, cuius arma e Christianis Turcæ potissimum timent, & ab illis e suo deturbandos imperio vulgatum est inter eos Vaticinium, validissimo exercitu comparato, *Christi SEPVLCHRVM* ab illorum Vindices potestate, Parisiosque transferas; in cui proximo *cineres* TVI reponantur, vbi Nestoreos vixeris annos, cum *Christo, Caroloque Magno*, quem Gallica, & *S. Ludouico*, quem Vniuersalis Ecclesia inter Cælites veneratur, perpetuò in Cęlis regnaturus. Sic vouent omnes Catholici, qui ad hęc Duo potissimè florentissimum præ cæteris Regibus post Carolum Magnum TIBI Deum concessisse regnum arbitrantur. Sic pro TVA incolumitate, REX POTENTISSIME, supplices ad Deum fundit preces VNIVERSALIS ECCLESIA.

Coq. tom. 2. p. 217. ac 305.

Ingolstadij. Feria Sexta in Parasceue. MDCLXVI.

A LE-

A LECTORE

Necessariò Præmittenda.

I. INTER articulos iure optimo ſane damnatos a Conſtantienſis Concilij Patribus quaſi mille ſeſſ.15. an. 1415. Iul.6. e 30. Ioannes Huſz peculiariter numerari 12. *Nemo gerit vicem Chriſti, vel Petri, niſi ſequatur eum in moribus, cum nulla alia ſequela ſit pertinentior, nec aliter a Deo recipiat procuratoriam poteſtatem, quia ad illud officium Vicarij requiritur, & morum conformitas, & inſtituentis auctoritas.* 13. *Papa non eſt manifeſtus, & verus ſucceſſor Principis Apoſtolorum Petri, ſi viuit moribus contrarijs Petro; & ſi quærit auaritiam, tunc eſt Vicarius Iudæ Iſchariotis.* 20. *Si Papa eſt malus, & præſertim ſi eſt præſcitus, tunc vt Iudas Apoſtolus, eſt Diabolus, fur, & filius perditionis, & non eſt Caput ſanctæ militantis Eccleſiæ, cum nec ſit membrum eius.* 22. *Papa, vel Prælatus malus, & præſcitus, eſt æquiuocè paſtor, & verè fur, & latro.* 24. *Si Papa viuat Chriſto contrariè, etiamſi aſcenderet per rectam, & legitimam electionem ſecundum conſtitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde aſcenderet, quàm per Chriſtum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam; nam Iudas Iſcarioth ritè, & legitimè eſt electus a Deo Ieſu Chriſto ad Apoſtolatũ, & tamen aſcendit aliunde in ouile ouium.* 26. *Non eo ipſo quo electores, vel maior pars eorum conſenſerit viua voce ſecundum ritus hominum in perſonam aliquã, eo ipſo illa perſona eſt legitimè electa, vel eo ipſo eſt verus, & manifeſtus Vicarius, vel Succeſſor Petri Apoſtoli, vel alterius Apoſtoli in officio Eccleſiaſtico; Vnde ſiue electores bene, & male egerint, operibus electi debemus credere; nam eo ipſo, quò quis copioſius operatur meritoriè ad profectum Eccleſiæ, habet a Deo ad hoc copioſiùs poteſtatem.* 27. *Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe vnum caput in ſpiritualibus regens Eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militante Eccleſia conuerſetur, & conſeruetur.* Quamobrem tanquam Catholicum dogma, a Catholica vniuerſali Eccleſia receptum, eſt a cunctis fidelibus planè habendum; Romanum Pontificem in quæcumque labatur crimina (niſi ſit hæreſis crimen, de quare multa Theologi, & Iuris Canonici Doctores) dignitatem, auctoritatemque ſuam nõ amittere, illiq. obedientiam in ijs, quæ ad eius officiũ pertinent, ſicuti & venerationem, vt legitimo etiam tunc Chriſti Vicario, Petriq. Succeſſori, ab omnibus, qui Catholici ſunt, & inter Catholicos numerari volunt, prorſus exhibendam. Ipſemet Iudas Iſcariotes fuit verus Chriſti Apoſtolus, etiamſi quando electus fuit, foret tunc malus, vt ſentiunt S.Aug.tr.27.in Ioan.6.& Beda, & S.Bernard. ſer.66. in Cant. vel licet tunc fuiſſet bonus, & maximè ad munus Apoſtolicum

b ido-

doneus,vt alij cum *Ammonio, Leontio*, ac *Cyrillo* ad verſ.71.Ioan. & ad v.13.Mar.3. cum *Euthym.* ac *Theophyl.* obſeruant, & poſtea euaſiſſet malus; nunquam tamen deſijt eſſe Apoſtolus, nec ab Apoſtoli officio vnquam remotus eſt a Chriſto, qui tamen ſciebat illum eſſe furem, in ipſamet menſa ſecum diſcumbentem de ſe tradendo cogitare, & ſe Iudæis vendidiſſe. Non oportere autem in moribus Succeſſorem eſſe perſimilem illi,cui ſuccedit, patet; quia non poſſet dici Matthias ſucceſſiſſe loco Iudæ in Apoſtolatu contra id,quod apertè dicitur Act.1.cum valde ei diſſimilis fuerit in morum integritate: Nec Iudæos reuocauit Chriſtus ab audiendis Scribis, & Phariſæis in Moyſis Cathedra ſedentibus; imò potiùs Matth. 22. initio eis præcepit, *vt ſeruarent, & facerent quæcumque* iuxta Moyſis legem *dicerent*, vt iam obſeruauit *S.Aug. lib.2.contra lit.Petil.*c.51.& *61.* nec Caiphas non prophetauit Ioan.11. eò quod Pontifex enim illius primus conſilium dederit de morte Chriſto inferenda. Apertè *S.Bern.* ſer.*66.* in Cant. dictum quorumdam tunc hæreticorum, *nunquam iſta conuenient Epiſcopum eſſe, & peccatorem*, ſic refellit. *Falſum eſt. Epiſcopus erat Caiphas, & tamen quantus peccator, qui in Dominum mortis dictabat ſententiam. Si negas Epiſcopum, arguet teſtimonium Ioannis, qui eum in teſtimonium ſui Pontificatus etiam prophetaſſe dicit. Apoſtolus erat Iudas, & licet auarus, & ſceleratus, electus a Domino. An tu de illius Apoſtolatu dubites, quem Dominus elegit?* Nonne ego, *inquit* (Ioan.*6.*) vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus eſt? *Audis eumdem electum Apoſtolum, & extitiſſe diabolum, & negas poſſe eſſe Epiſcopum, qui peccator ſit? Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi, & qui nō obedierunt eis, tanquam Epiſcopis, inobedientiæ rei fuerunt, etiam in ipſum Dominum præcipientem, & dicentem (Matth.*13.*) Quæ dicunt, facite. Patet, quamuis Scribæ, quamuis Phariſæi, quamuis videlicet maximi peccatores, propter Cathedram tamen Moyſis ad eos quoq. nihilominùs pertinere, quod iam dixit (Luc.* 12.*) Qui vos audit, mè audit, & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Ipſemet Chriſtus tributum ſoluit, quod exigebatur a Miniſtris *Tiberij Cæſaris* ſæuiſſimi Imperatoris Matth. 17. iuſſitque eidem cenſum dari Matth. 22. quin etiam noluit immeritò notari de non exhibita Annæ Sacerdoti veneratione in reſponſione illi data Ioan. 18. vt animaduertit *S.Cypr.* lib.3.epiſt.*9.* ac reponitur d.*93.* C.*Dominus noſter*, docens, Sacerdotes veros legitimè, & plenè honorari, dum circa falſos Sacerdotes ipſe talis extitit. Etiam Apoſtolorum Principes iuſſerunt omnes Chriſtianos obedire Principibus,licet Gentilibus,improbiſſimiſque, *Tib.Claud.* ac *Neroni*, illorumque Miniſtris 1.Petr.c.2. Rom.1. c.13. & 1. Tim.2. obſecrauit *Paulus, vt primū omniū fierent obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*, ſed peculiariter *pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt*; atque cum iniurioſum quid eum protuliſſe in Ananiam Principem Sacerdotum Act. 23. ei obijceretur; Reſpondit, *neſciebam Fratres, quia Princeps eſt Sacerdotum, ſcriptum eſt enim* (Exod.22.) *Principem populi tui non maledices.* Multò

igi-

igitur magis a Christi, & Apostolorum doctrina, ac exemplis semet alienos ostenderent, qui malis R. P. debitam venerationem, obedientiamque subtraherent.

II. Diuino non solum afflatu, sed & Deo ipsum regente calamum Moysem descripsisse & suos, & fratris, ac sororis defectus, aliaque ingentia nedum leuia multorum crimina, quo tempore Iudaicos ritus cæteræ gentes cunctæ detestabantur; pariterq. alios veteris testamenti Scriptores eadē non siluisse cōplura, ac in ipsomet Dauide nominatim, ac Salomone, qui ambo cætera gratissimi fuerunt Deo; Euangelistas pariter ipsius Petri negationem, Thomæ incredulitatem, aliosq. Apostolorum culpas tam frequenter Euangelio inseruisse, vt Caluinus hinc arripuerit occasionem frequētissimè eos accusandi; nec non Christum ipsum indixisse S. Ioanni, vt habetur in Apoc. c. 1. 2. 3. vt vniuerso orbi declararet vitia septem primariorum Asiæ Præsulum, inter quos primus fuit recensitus *S. Timotheus* Ephesinæ Ecclesiæ Episcopus. Hunc morem prosecuti sunt *Nazianzenus*, *Hieronymus*, *Ambrosius*, *Gregorius*, *Saluianus*, *Bernardus*, *Damianus*, aliique sāctitate, ac miraculis valde insignes viri, qui nedum Monachorum, ac Sacerdotum, verùm & sublimium Ecclesiastica dignitate hominum, etiā quo tempore Christiani Imperatores quoque (vt omittatur *Iulianus Apostata* cum ijs, qui Euangelistarum tempore, tribusque sæculis vsq. ad annum 312. acerrimè Ecclesiam insecuti sunt, Ethnicis Imperatoribus) infensi erant Catholicæ Religioni, ac hæretici complures illam vehementer oppugnabant, vt præter *Simoniacos*, *Nicolaitas*, *Manicheos*, *Luciferianos*, sectatores *Arrij*, *Macedonij*, *Eunomij*, *Eutychetis*, *Pelagij*, *Vigilantij*, *Abailardi*, *Porretani*, similesque Catholicæ Ecclesiæ infensissimi hostes plurimi. Nec id omiserunt fœminæ etiam sanctissimæ, vt *S. Birgitta*, & *S. Catharina* Senensis, nec celebres alij complures Historiæ Ecclesiasticæ, Vitarumq. Romanorum Pontificum Scriptores, qui nunquam id suo, vel Romanæ Sedis honori, ac dignitati hinc detrahi putarunt; sicuti neque tot Conciliorum, etiam Generalium Patres, tot Sācti Pontifices quoque in suis Constitutionibus, Bullis &c. in quibus sæpissimè mentionem faciunt grauium criminum, quæ primarij etiam Ecclesiastici, ac Regulares patrauerant, illorum etiam nomina proferentes &c. Quis ergo vituperare ausus fuerit illos, qui sincerè, ac fideliter narrarent gesta a Romanis Pontificibus, inquam, in superioribus sæculis tot illustrium, & pietate, & doctrina virorum exempla secuti, ac Dei, & Christi ipsius, qui præ alijs omnibus suam diligunt Ecclesiam, iussis semet conformantes? Dissimulanda hæc haud sunt, vt hæretici de suis dissimulant; imò illa silentio non sepelienda, ne illi nobis ea obijciant, quæ profectò inficiari legitimè haud nobis licet. *Politicorum quorumdam recentiorum (qui inter sectarios ab aliquibus recensentur) potest esse id inuentum in primariorum gratiam Virorum, non permittere, vt malè, & cum ingenti populorum offensione res ab ipsis gestæ narrentur sub publici specie boni, materia hæreticis obloquendi de illis suppeditata* (quasi secus

non sint oblocuturi,& infidelitatis,ac non sinceritatis Catholicos Scriptores reprehensuri, & adulationis nobis quoq. Catholicis manifestæ) *quòd velint sibi Licere quodlibet sine vllius periculo notæ, potissimùm apud posteros, cum tamen prudentibus cunctis Principibus hoc maximè frænum injiciat, ne illud facinoribus laxent*. An non Christus ipse Scribarum,& Pharisæorũ,qui summa auctoritate inter Iudæos potiebantur, & Principum populi, imò & Sacerdotum tunc viuentium crimina acerrimè, ac sæpissimè coram omnibus arguit, licet cæteroqui a debito ipsis obsequio populum non reuocauerit,nec propterea reuocandum esse putauerit?

III. Defectus fermè quoslibet R.P. non posse occultos esse. Sapienter *Theodor.* apud *Cassiod.* lib.11. ep.6. *Latere non potest, quod intra cancellos egeris; tenes quippe lucidas fores, claustra patentia; & quamuis studiosè claudas,necesse est,vt te cunctis aperias: si intus ingrediaris, obseruantium non potes declinare conspectus. Vide, quo te antiquitas voluerit collocari; vndique conspiceris,qui in illa claritate versaris*; & prius lib.3. ep.11. *Non patitur claritas illa* (loquitur de Præfecto Vrbis) *committere, quod possit mobilis turba nescire; locatus in medio ad se cunctorum trahit aspectum,& totius vitæ iudicium promulgat fama populorum.* Cui cõcinunt illa *S.Bern.* ep.289. ad Regin. Hierosol. *Attende Reginam, cuius digna,indignaue non possunt latere sub modio. Super candelabrum sunt,vt appareant omnibus.* Hinc ille Guntheri versiculus, *Abscondat Solem, qui vult abscondere Regem.* Post quem relatum *Rayn.* e Soc. Iesu verb. *Speculator* in Onomast.Pontif. *Similiter ergo omnia Regum spiritualium, etiamsi arcana videantur, facillimè vulgantur, suntque proinde in specula, ex qua pateant omnibus, prostentque in exemplum.* Plura in hanc rem Sarisber. cap.12. lib. 3. de Nug. Curial. Verùm dilucidiùs ante omnes S.Chrys. Hom.3.in Act.Apost. loquens de Episcopis, post ista, *neque idem est clam, occultèque peccare,& in propatulo*,statim addit; *Episcopus autem non potest peccare clam; benè enim cum illo agitur, si non peccans liber esse possit a criminationibus, tantum abest,vt peccans id possit. Si vel irascatur,si vel rideat,si vel somnum relaxationis concupiuerit,multi sunt, qui scommatis incessant,multi qui offendantur,multi qui leges præscribant, multi qui priorum memoriam refricent, & præsentem deijciant, idque faciunt, non vt illos laudent, sed vt hunc mordeant.* Quæ nemo non videt magis comprobari in R.P. qui in conspectu totius Orbis in Vaticano monte in sublimiori omnium specula expositus est,cuius vel minimum corporis motum obseruãt aulici valde familiares; quorum aliqui semper adsunt a Principibus maximè primarijs muneribus allecti ad singula quæque illius facta,dictaque suis Oratoribus, siue studiosis referenda &c. Et hinc cum sint, vel euadant publicæ, quasi omnes R.P. actiones, licet alijs eas exponere,ac non Historicis tantùm, quibus permittitur omnium semi publicas libris consignare.

IV. Neminem inter mortales esse in periculosiori statu, quam R.P. Si enim d.40.c.7.e S.Aug.ep.148. ad Val. *Nihil est in hac vita, & maximè*

ximè hoc tempore (quanto magis in duodecimo sæculo ab illo) *facilius, & latius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctoriè, atque adulatoriè res agatur; sed nihil apud Deum miserius, tristius, & damnabilius; Item nihil esse in hac vita, & maximè hoc tempore difficilius, laboriosius, periculosius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio; sed apud Deum nihil beatius, si eo modo militetur, quo noster Imperator iubet.* Nihil profectò miserius, tristius, & damnabilius Episcoporum Episcopi officio, si perfunctoriè, atque adulatoriè illud administretur: Quapropter meritò *Aluar. Pelag.* Episc. Sylu. ac Pœnit. Ioan. 22. lib. 2. de Planct. Eccl. ar. 5. scripsit. *Hoc neque latere, neque latere oportere Dominum nostrum Papam, quia in toto mundo non est homo in tanto periculo, quanto ipse, quia de Vita, & doctrina, de solicitudine, & labore habet respondere de toto mundo illi Christo, cuius ipse est Vniuersalis Vicarius super terram.* Cum etiam in tertio sæculo, ac initio quarti, quo floruit *S. Chrysost.* non veritus sit asserere de Episcopis Hom. 3. in Act. Apost. *Non arbitror inter Sacerdotes MVLTOS ESSE, QVI SALVI FIANT, SED MVLTO PLVRES, QVI PEREANT. In causa est; quoniam res excelsum requirit animum; multas enim habet causas, quæ depellant ipsum a suis moribus, & innumeris oculis illi opus est. Non vides, quam multas res oportet adesse Episcopo &c.* Quas vbi explicuit, inquit, *illi imputari, quod alij peccant, & ipsius subuerti salutem, si vel vnius sit animæ perditio;* atque *si peccauit Presbyter, aut Diaconus, omnium horum crimina redundare in caput eorum, qui hos elegerũt.* Nec non post multa, *non arbitror quemquam, quamuis admodum gloriæ sitientem, nisi necessitas vrgeat, velle prorsus Episcopum designari:* Quid de summo omnium Sacerdote, ac Episcopo nunc sẽsisset Chrys. si eum conspiceret tot opibus, tot honoribus, tot Ministris affluentem, tot beneficiorum, dignitatumque Ecclesiasticarum distributorem, tam ampla iurisdictione vbique Catholicarum gentium fruentem &c.? Hæc cum fermè sola attendantur, instar illorum, qui ex *Isid. Pelus.* lib. 1. ep. 47. *ad stipendia dumtaxat oculos habentes conuersos, sanctiorem eam Ecclesiam ducebant, in qua vberiorem victus copiam acciperent;* fit, vt plerique velint, imò & curent, designari Romanæ Præsides Ecclesiæ; ac verissimum comprobetur postea in multis R. P. illud *S. Prosp.* lib. 1. de Vit. Contempl. *Nos præsentibus delectati, dum in hac vita commoda nostra, & honores inquirimus, non vt meliores, sed vt ditiores, non vt sanctiores, sed vt honoratiores simus cæteris, festinamus, non Gregem Domini, sed Dominationem carnaliter cogitamus. Pastores dici volumus, nec tamen esse contendimus; Officij nostri vitamus laborem, appetimus dignitatem.* Paucissimos certè a multis iam sæculis, vt sanctitate eximios R. P. ipsamet Romana veneratur Ecclesia, quam a Spiritu sãcto regi hoc ipsum indicat; etenim si publico cultu digni fuissent, ante tot alios in Sanctorum album eos R. P. prorsus retulissent.

V. Quando R. P. est in summo omnium prorsus perfectionis statu, & ad eum spectat omnes prorsus alios perficere, & vt Pastor vniuerso-

rum a Christo institutus pascere vniuersos *bonorum omnium operum exemplo*, vt significant etiam Trid.Conc.Patres sess.23. c.seu *exemplum esse fidelium in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate*, vt Timotheo tantùm Episcopo præcepit Paulus 1. cap.4. v. 12. ac multò æquiùs R. P. suggeri queant illa *S. Hier.* ad Heliod. Episcopum in Epitaph.Nepot. *In te omnium oculi diriguntur. Domus tua, & conuersatio, quasi in specula* (sublimissima prorsus in R. P.) *magistra est publicæ disciplinæ; Caue, ne committas, quod aut qui reprehendere volunt, dignè lacerasse videantur, aut qui imitari, cogantur delinquere*: illius actiones singulæ debent esse Euangelicæ perfectioni a Christo traditæ maximè conformes, ita vt omnes, qui illas vident, magis inde in virtutibus Christianis perficiantur, seu ad similes pertrahantur, & ex quibus tanquam exemplari in se, tanquam in tabula, ducere possint *bonorum* dumtaxat *operum*, & profectò *OMNIVM*, tum in verbis, tum in factis, lineamenta. Quamobrem non solum nil debet esse in R. P. prorsus reprehensibile, vt in quolibet Episcopo requirit Paulus 1.Timoth. c.4. & ad Tit. Tit. c. 1. verùm etiam ita ab *omni specie mala abstinere*, quod idem iussit Thess.1.c.5. *Vt ab omni, quod fingi possit, tanquam possit, & credi abstineat*; vt Monachos quoque *S. Athanasius* admonet, *ne in vllo famæ suæ serpat nata ab occasione suspicio. Ipsa famæ semina, priusquam linguis nutriantur, intereant. Non tantum sibi fides facti, sed possibilitas etiam releganda mendacij: Beata enim vita est præclara, de qua nihil licet falsitati. Neque enim ego* (subiungit *statim*) *hoc iudicium meum austerus censor arripui, sed cæleste imperium monitor blandus assumpsi; nam & (sic ait Apostolus*, zelās vos Dei zelo, despondi vos vni viro Virginem castam exhibere Christo, sciens scriptum esse, ne ponatis offensionem, vel scandalum fratri; *& iterum*, sine offensione estote Iudæis, & Gentibus, & Ecclesiæ Dei; *& iterum*, non ergo blasphemetur nomen nostrum; *& iterum*, vt quid enim libertas nostra iudicetur ab infideli conscientia; *& iterum*, omnia autem vestra honesta fiant; *& iterum*, commendantes vosmetipsos ad omnem conscientiam hominum coram Deo; *& iterum*, Prouideamus bona non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus; *& iterum*, vt is, qui ex aduerso est, confundatur, nihil habens dicere mali. *Neque me præterit sæcularis laboris inuidia in obtrectationem semper religionis ardere, & mordacem malignis rumoribus dentem impressum dicacitatis infigere. Vtatur sua mundus natura, dum nihil in nostra inueniat disciplina. Falsitas ex more iactetur, dum nec verisimile quidem possit esse, quod dicitur. Nemo ideo debet contemnere vulnus infamiæ, quia semper consueuerit rumor simulari; Sed eò attentiùs præcauere, quod soleat etiam ficta componere*. Si tales enimuerò voluit *S. Athanasius* esse Monachos, qui solitariam degebant vitam; An non talis debet esse omnino R.P. qui in Vaticano monte omnibus planè hominibus est expositus, Catholicis, Hæreticis, Schismaticis, Iudæis, Gentilibus, quique omnes in illum oculos coniiciunt, obseruantque diligenter omnem illius linguæ, & corporis quoque motum; quique ex officio tenetur esse præ-

cunctis

cunctis *Sal terræ* cunctos sua sapientia docens, & suis moribus confirmans, seu ædificans, *Lux mundi*, vniuersos planè doctrina, & exemplo illuminans, iisque moribus adeo conspicuus, vt omnes, qui illius obseruauerint actiones, *glorificent Deum*, & Christum, qui illum sui Vicarium constituerunt in terris, ac meritissimò illi hoc amplissimum demandatum fuisse munus sentire, ac prædicare possint. Verùm quia haud tales semet exhibent multi R. P. vt nemo non cæcus, vel mentis inops non videt, redditi sal infatuatum, tenebræ mundi, ac Dei, Christique nomen blasphemandi, vel irridendi, & Catholicis Diuinā legem, Christique doctrinam minori in pretio habendi, occasionē præbentes; Hinc viget sæpe præceptum, & Naturale, & Diuinum R.P. corripiendi, seu admonendi, & aliquando etiam *durè*, sicut monet agendum cum quibusdam Apostolus Tit.c.1. *ac publicè* iuxta eiusdem præceptum 1. Tim. 5. de qua re agitur prolixè n.42. in quo reposita Lector omninò, & attentè, perpendat, vnà cum *Obseruatione* in huius libri fine §. *OBSERVANDVM PROFECTO*.

VI. Quando *PARTIM* verissimum est illud Sap. 6. *Iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet; potentes autem potenter tormenta patientur; non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam*; ac præsertim R.P. reddituros rationem de cunctorum animabus fidelium, *sanguinemque ouium Christi omnium, quæ ex illius in sui muneris negligentia peribunt, D.N.I.C. de manibus eius requisiturum*, vt dilucidè tradunt e SS.Patrum doctrina, ac ratione naturali Trident. Cōc. Patres sess. 24.c.in fin.ne dum Canonistæ cum Glos. ad verb. *Onus*. Extr.1.Io.22. de elect. scribente inter cætera, *innumerabiles esse Summi Pontificis solicitudines, per quas ad morum correctionem, & vitiorum extirpationem astringitur attendere, ne sanguis subditorum de suis manibus requiratur &c. PARTIM* sit notissimum plerisque saltem ex Catholicis ipsismet, R.P. plurimorum præbere, seu præbuisse materiam scandalorum, etiam hæreticis, ac infidelibus, ita vt non *pudere debeat* illa *scribere*, *quæ illos non puduit facere*, vt in simili habet *S.Bern.* epist. 2. ad Fulc. qui & in Declam. in S.Petri verba, *Ecce nos*, vbi aliqua Clericorum vitia recensuisset, ait, *manifesta loquimur, & quæ vix aliqui erubescant*; & ep.78. ad Sug. Ab. *Nescio, quid prosit, si quod mundus clamat, ego tacuero &c.* nec non ep.42. ad Henr. Senon. Archiep. *Nudè nuda loquor, nec retego verenda, sed inuerecunda consuto.* Vtinam priuatim, & in Cameris (licet quoque in R.P. non essent occulta, vt n.3.) *hæc fierent. Vtinam soli viderimus, & audierimus: Vtinam nec loquentibus crederetur; Vtinam nobis reliquerint moderni Noe, vnde a nobis possent aliquatenus operiri; Nunc vere cernente orbe mundi fabulam soli tacebimus? Caput meum vndique conquassatum est, & ego sanguine circumquaque ebulliente, putauerim esse tegendum*; & paulò post his, *cæterum mihi indignamini, vel si nutum facere audeam, iubentque ori manum apponere, dicētes Monachum, qui non habeam iudicare de Episcopis*, subiungit, *Vtinam & oculos mihi claudas, vt nec cernere possim, quæ contra dicere prohibes. Magna verò præ-*

præsumptio, si ouis cum sim, in ipsum pastorem meum, lupus sæuissimas vanitatem, & curiositatem (multò magis si auaritiam, superbiam &c.) *irruere cernēs infremuero, quò ad meum fortè belatum cruentis bestijs a quopiam occurratur, & succurratur perituro. Quid facient de me, qui ouicula sum, quæ & in ipsum Pastorem tanta feritate prosiliunt?* Non posse non commendari illum, qui ad æternam R.P. salutem, sempiternamq. etiam eorum in terris famam, & Vniuersi Dominici Gregis incolumitatem, nonnulla eidem suggerat notata iam in compluribus antecessoribus R.P. quæ *vel non animaduerterunt*, licet reprehensione, & acri dignissima; *vel neglexerunt*, vt homines, qui se instar vulgi a prauis cupiditatibus suis abripi permiserūt, sui obligationes officij grauissimas, ac multiplices præ alijs, non attendentes; *vel etiam sibi suaserunt* esse laudabilia, cum non deessent Doctores, *quorum studio, & calliditate inuentæ fuerunt rationes, quibus licerent illa*, quæ animaduertissent R.P. *libere*, vt significarunt nouē Præsules, inter quos quatuor primarij Cardinales, in Consilio, quod præbuerunt *Paulo III.* illud petenti pro Ecclesiæ Reformatione an. 1538. Et cum *FREQVENTES* huiusmodi *adulatores* sint apud Principes, *magnarum aularum*, inquit *Leon. Less.* lib. 2. c. 47. de Iust. n. 51. *magna pestis*, ac teste *Alph. Castr.* c. 3. lib. 3. de Iust. Hæret. Punit. *multò plures sint in aulis Principum, qui Petrum imitantur in domo Principis Sacerdotum ad vocem ancillæ negantem se esse Christi seruatoris nostri discipulum, quam qui posterioris illius vitæ exempla sequantur dicentis*, obedire oportet nos Deo, magis, quam hominibus, Act. 5. *Vt enim Regibus, ac Principibus placeant, ea docent, & prædicant, quæ illis placita esse cognoscunt*; & post multa in hanc rem ait; *istos adulatores Prædicatores, & Doctores causas esse potissimas, vt Reges, ac Principes multa mala faciant, quæ nisi ab illis laudarentur, non facerent*: At *FREQVENTISSIMI* sint in Romana Curia, maximè ab aliquot iam sæculis e causis decem, & octo nominatim indicatis n. 28. *EXPEDIT* profectò summopere, & R.P. ipsis, ac vniuersæ prorsus Christianæ Reipublicæ, vt sint nonnulli, qui fideliter ijs referant, & quæ vituperationem meruerunt in defunctis iam R. P. & simul quæ in illis valde commendabilia fuerunt. Quod non faciliùs visum est fieri posse, quam si illorum gesta comparentur cum gestis S. Petri, quem Christus ipsē Pastorem primum, & vniuersalem Gregis sui, constituit; quò enim magis eorum actiones illius fuerint similes, vel dissimiles actionibus, eò magis digni, vel minùs digni censendi sanè erunt S. Petri successores. Sic e Moysis, ac Iosue Vitis, quænam complectendæ Virtutes, Vitia quænam declinanda a Præside, seu Principe Christiano, in libro describit laudatissimo *Ioannes Marquez* ex Ord. Herem. S. August. Ecclesiastes *Philippi III.* Catholici Regis, ac Theologiæ Professor in Salmaticensi Academia; propter quem a *Thom. Hurt.* in lib. de Ver. Martyr. Fid. ille appellatur *Vir sapientissimus, semperque venerandus pro suæ doctrinæ soliditate, ac virtute in alto*. Sic ex Dauide alij &c. Oppidò quis Catholicus non sentiet, omni elaborandum conatu, ne illi *sint in Christi*

perse-

perſecutione primi, qui non *videntur in Eccleſia gerere principatum*, ſed de facto illum *gerunt*; quod iam deplorauit *S.Bern.* ſerm.1.de Conuer. S.Pauli, ſicuti quoque ſerm.33. in Cant. quod *in pace amaritudo Eccleſiæ e moribus maximè domeſticorum reddita ſit amariſſima*, non amara, nec amarior e perſecutione tyrannorum, vel hæreticorum; adeoque non comprobentur potiſſimè in R.P. illa Iſai. 26. *In terra Sanctorum iniqua geſſit, & non videbit gloriam Domini*; quæ in Clericis quibuslibet rebus Eccleſiæ, quas poſſident, abutentibus vera fore, idem S.Bernar. ſer. 23. in Cant. tradit.

VII. Cum Generalis ſit de publicis, notiſque complurium R.P. defectibus idemtidem diſputatio; *qui illos narranti voluerit iraſci, priùs de ſe ipſo, quod talis ſit, fatebitur*, vt inquit *S.Hieronym.* in fin. Epiſt. 1. ad Nepot. in qua Clericorum vitia notauit, ſicut & aliàs Monachorum, qui inde irritati illum, vt hæreticum, proclamauerunt, vt ſcribit *S.Sulpit. Seuer.* de Vit. Monac. Oriental. Dial.1. c.3. Prudentiſſimè iterum idem *S.Hier.* lib.1. adu.Ruff. ſcripſit; *Quando ſine nomine contra Vitia ſcribitur, qui iraſcitur, accuſator ſui eſt. Prudentis hominis eſt, etiamſi doleat, diſſimulare conſcientiam ſuam, & cordis nubilum frontis ſerenitate diſcutere*. Solùm quæ in hoc ſcribuntur libro, *diſplicere poſſunt Vitioſis*, qui forſan inde *exaſperari* poſſent; ſed illis *placerent, QVANDO DESINERENT ESSE VITIOSI*, vt inquit *S.Bern.* in Apol. ad Guliel. Abb. Nam qui *horum non eſt conſcius*, vt idem in Declamat. ad Cleric. *potiùs dolebit* cum illos narrante, *quod hi in pluribus R.P. inuenti fuerint*. Meminerit quiſque, *S.Hieron.* prætcrea ep.83. vbi obſecrauit lectorem, *ne ſe in ſugillationem illius temporis Sacerdotum ſcripſiße, quæ ſcripſit, exiſtimaret, ſed in Eccleſiæ vtilitatem, cum intenderit in deſcriptione Epiſcopi, & in eorum expoſitione, quæ ſcripta ſunt, quaſi ſpeculum ſacerdotij proponere*, tandem ſic affari; *Iam in poteſtate, & conſcientia ſingulorum eſt, quales ſe ibi aſpiciant, vt vel dolere ad deformitatem, vel gaudere ad pulchritudinem poſsint*.

VIII. Non tantummodo eruditione illuſtrem *S. Ennodium*, vbi Ticinenſis Eccleſiæ gubernacula ſuſcepit, proteſtatum palam fuiſſe, haud in ſe beneuolum penitus eum fore habendum, qui nō indicaret ſibi, ſi quid in ſuis, vel ſuorũ actionibus reprehenſibile videretur, & addidiſſe, vt legitur Opuſc.3. *Speculamini meæ conuerſationis INTERNA, & ſi indignum aliquid agnoſcitis, COERCETE. NEMO, vt Eccleſiæ Principem ADMONERE TIMEAT, ſi probet ERRANTEM*; Nec non *B.Petrum Damiani* Cardinalem vehementer duos rogaſſe Epiſcopos, vt litteris, aut voce ſemet facerent certiorem de omnibus ijs, quæ Curiales in moribus notarent ſuis, ratione etiam ſubiuncta, lib.4. epiſt. 11. *Sicut enim aurum ad claritatis ſpeciem lima perducitur; ita Anima CORREPTIONIBVS raſa a ſquallore purgatur:* Sed & *S.Gregorium* Pontificem *Magnum*, cum arguiſſet Natalem Epiſcopum, quòd nimis frequenti, & publica exciperet cœna quoſdam non integerrimæ omnino vitæ, idque accepiſſet valde Natali moleſtum fuiſſe, ſic ad eum ſcri-

pſiſſe

psisse Epist. 37. lib. 2. Reg. *Ecce Fraternitas Tua agrè se tulit de conuiuijs a me esse reprehensam; cum ego, & si hanc, non vita, sed loco transgredior, ab OMNIBVS CORRIPI, ET AB OMNIBVS EMENDARI PARATVS SIM: Imò HVNC SOLVM MIHI AMICVM AESTIMO, PER CVIVS LINGVAM ante apparitionem districti Iudicis meæ maculas mentis tergo.* Quem imitatus *Greg. IV.* in Epist. ad omn. per Diuers. Prou. omnibus se redarguendi ante Confessionem B. Petri facultatem dedit 2. quæst. 7. cap. 42. Quamobrem ab instituto Sanctorum Episcoporum, Cardinalium, ac Pontificum longissimè recederent illi R.P. Qui *TVM fraternas admonitiones non admitterent*; neque enim propter hoc admonitores *se illis maiores existimarent*, aut debitum illis honorem, debitam venerationem, vt primarijs Fratribus, imò & ipsorum Præsidibus, ac Pastoribus detrectarent, *sed solum ex charitate auxilium eis niterentur impendere; qui quantò in loco superiori, tantò in periculo maiori versantur,* vt clarè ait *S.Tho.* 22. quæst. 33. ar. 4. ad 3. in fine cum *S. August.* in Reg. cap. 43. *TVM* haberent pro hostibus, & capitalibus huiusmodi Admonitores, ac tanquam hostes, sibique valde iniuriosos, acerrimè persequi, ac vlcisci contenderent, cum potiùs loco amicorum, ac fidelium omnino, habere illos deberent.

IX. Multa, quæ in hisce Animaduersionibus proponuntur, accommodari meritissimò posse Episcopis; quibus cunctis a Christo indicta Petro, *Pasce oues meas, agnos*, seu *agniculos meos*, seu *agnos, oniculas, & oues* (sic interpretatur *S. Eulog.* lib. 3. de Pœnit. apud *Phot.* cap. 280.) præter *Petrum Cellensem* epist. 8. ex antiquis Patribus significant *S. Basil.* Constit. Monast. cap. 22. *S. Ambr. s.* in Pastor. *S. Aug.* in lib. de Pastor. quos refert *Franc. Tur.* lib. Vnic. de Resid. Episc. explicans latè, eas voces, quas Episcopi Consecrator pronunciat; *Vade, & prædica populo tibi commisso*, vim Christi verborum, *Pasce oues meas*, continere. Quapropter quæ ad ea verba Ioan. 21. animaduertuntur, peculiariter opportuna esse queunt Episcopis; qui memores esse debent; *LICET* modò non hisce nominibus nuncupari soleant, *Vicarij Christi, Hæredes, & Vicarij, & Successores Petri, sicuti nec Apices Pontificatus, Beatissimi, ac Sanctissimi Patres, Patres Patrum, Summi Sacerdotum, Serui Seruorum, Sancti, Sanctissimi*, nec alijs, quæ refert allatus *Rayn.* in Onom. Pontif. qui & addit quibusdam fuisse tributum *Episcopi Episcoporum, ac Ecclesiæ vniuersalis, seu communis Episcopi* titulum; imò nec ijs, quæ reponuntur in ipsomet *Gratiani* Decreto cap. 1. d. 21. & *S. Isid.* cap. 12. lib. 12. Etymol. *Principes Sacerdotum, Summi Sacerdotes, Pontifices Maximi*, nec eo pariter, quo vtitur Ecclesia in Antiph. ad Vesp. 2. Confess. Pontif. *DVM ESSET SVMMVS PONTIFEX*; nec amplius vllis vocetur plane *PAPA* (cuius vocis notionem ex *Eustathio* docet *Henr. Steph.* duci ex antiquo Græcorum, & Latinorum vsu, quo paruuli balbutientes veluti naturali voce, vt differit *Goropius* in Godotanicis *pappare*, hoc est cibari auidi, abblandiendo Patri vocāt *Pappam* &c.) quam verè fuisse communem omnibus Episcopis vs-

que

que ad Annum 850. afferit ipsemet etiam *Baron.* ad diem 10. Ianu. in Not. ad Martyr. Rom. nullique prorsus tributa in Occidentali Ecclesia post decretum *Greg.VII.* in Concil.Rom. ann.1076. Febr.24. qui ad retundendam Schismaticorum audaciam, qui eam vocem in odium R.P. fastu superbo sibi vindicabant, solius R.P. voluit esse propriam, sicuti & propriam illius pedum exosculationem, cum etiam Episcoporum pedes osculari mos fuerit apud priscos Christianos, vt e *S.Hieronym.* epist.61.adu.Err.Ioan.Hierosol. *S.Ambros.* cap.2.lib. de Dign. Sacerd. *S.August.* serm.18.de Verb.Ap.colligit *Leon.Coqu.* tom.1 contra Morn. in Antid.contr.Opposit.3.p.145.146. Vnde & desierunt honorificæ quædam voces, quibus vtebantur R.P. in Epistolis ad Episcopos; inter quas est illa peculiaris *Sanctitas tua*, quas adhibuit *S. Greg.* ad Secund. Episc. & Eulog. Patr. Alex.d.50.cap.16.& d.100. cap.5. & ante illum *S.Hormisda* ad Euseb.31.q.1. cap.2. cui sæculo præcedenti, hoc est quarto, præiuit *Innoc.I.* epist.15. vt refert idem *Raynad.* Verb. *Sanctus*, *Sanctissimus*; ac paulò post cæperunt etiam R.P. aliqua de iure communi Episcopis pariter abrogare, & peculiariter circa beneficiorum distributionem; *Olim enim Episcopi singuli*, vt habet *Io.Azor.* e S.I.Instit.Mor.p.2.lib.6. cap.37. init. *Beneficia dispensabant, quorum auctoritati in beneficijs concedendis aliquid derogare veteres R.P. noluerunt, ne Ecclesiasticus Ordo perturbari, & confundi videretur, & vt singulis Episcopis sua iurisdictio seruaretur cap. Peruenit* 11.q.3. *vnde nec beneficia vacantia conferebant, nec ius ad vacatura tribuebant; tum ne Episcopis iniuriam inferre viderentur, vt ait Panorm. cap. Olim ad fin. de verb.sign. tum ne ad alterius mortem captandam,optandamue ansam præberent* cap.1.2.3. & cap. post Electionem de Concess. Præb. Et cum eiusmodi mandatorum nulla fiat mentio in Grat.Decreto, quod ann. 1151. probante Eug. III. promulgatum fuit, vt aduertit *Io. Andr. in cap.Duobus* de Rescrip. in 6. aliqui sentiunt, *eiusmodi mandatorum cæpisse vsum sub Alex.III.* qui Pontifex electus ann.1159.Sept 5. vixit vsque ad 27. Aug.1181. *LICET*, inquam, modò partem aliquam iurisdictionis, tum in hoc, tum in alijs sibi agnoscant demptam fuisse, e probabili valde, vt fas est arbitrari,causa, sicuti nec ita honorificè tractari a R.P. vt antea: Non tolli tamen,vel minui in eis obligationem pascendi oues sibi commissas *triplici*, quantùm fieri potest, *pastu*, de quo ad Ioan. 21. perpendentes tamen ex abrogatione, vel derogatione in multis, quæ ius commune illorum iurisdictioni concedebat, imminutum pariter grauissimum verè onus Episcopale reddendi de illis rationem Christo Pastorum Principi,auctum verò mirificè in *R.P.* redditumque ipsis plusquam *semper Angelicis humeris formidandum* cap.1. sess.6.Trid.Concil.

X. Si quidquam aut veræ fidei, aut veræ pietati dissentaneum planè scriptum sit,expunctum planè, inductumque sit,ac si opus sit,retractandum voce, scriptis typis. *PRO CATHOLICA, ET ROMANA FIDE*, ne dum calamus arripiendus, verùm atramenti loco quoque

SAN-

SANGVIS ipsemet profundendus,

XI. Aliqua huic libro inserta, fuisse desumpta e Notis 64. *Stanislai Felic* in Introduct. Hist. P. Sfort. Pall. impressis Coloniæ an. 1664.

XII. Has animaduersiones fuisse impressas consultò huius anni initio, antequam in lucem prodeat *Vita S. Petri* Varijs illustrata Notis, quam ad Typos paratam habere quemdam in Italia acceptum est, ne ex illis plurima in hasce Animaduersiones translata quandoque sagaci lectori videantur. Viue diu, ac beneuolus in Scriptorem esto. Eiusmodi eris, *Si SINCERVS, Si CANDIDVS, Si GERMANVS FVERIS.* At hasce euoluens animaduersiones semper hæc duo memori mẽte custodi.

PRIMVM e Tertull. lib. de Præscript. c. 3. *Fides non est probanda ex personis, sed personæ ex fide.*

SECVNDVM e S. *Gregorio* lib. 25. Moral. c. 22. in c. 24. Iob. *Hoc solerter est intuendum, ne aut quem venerari necesse est, IMITARI appetas; aut quem imitari despicis, VENERARI CONTEMNAS. Subtilis etenim via tenenda est RECTITVDINIS, & HVMILITATIS, vt sic reprehensibilia Magistrorum facta displiceant, quatenus SVBDITORVM MENS A SERVANDA MAGISTERII REVERENTIA NON RECEDAT.*

Ioan. I.

PRIMVS GENERALIS Animaduerſionum Index.

Admonitor R. P. opportunus 299. 293. Adulatio in R. P. e 18. cauſis aucta 74.75. ex illa ingentia mala 90. 91. 92. 155. 288. ab ea Regulares ante alios debent eſſe remotiſſimi 280. Adulatores repellant P. 1. 90. tanquam hoſtes 77. 92. 107. 154. 155. 266. hi magis noxij, quam hoſtes 91. vnde potiſſimum dignoſcendi 98. 158. 267. quinam maximè his delectentur 91. 92. Ambitio, & auaritia amplior ſæpe in ſenibus 187. Circa ambitũ ſeueræ leges Romanæ 260. Angelus peculiaris ſelectus e præcipuo ordine, ſicuti & dæmon ſelectus R. P. electo 118. Animę qua ratione Chriſto lucrandę 7. 8. 167. 168. Cur paruus in his fructus, licet multi in earum incumbant ſalutem 8. 163. 168. 202. Appoſtolatus eſt miniſterium, non dominatus 180, 181. 193. Apoſtoli qua ratione mundum conuerterint 97. 107. 167. 298. Cur e piſcatorum genere 37. 38. Cur ex Galilęa ferè omnes 37. eorum præcipuum munus fuit prædicare 198. 200. Arma Eccleſiæ quænam propria 139. 142. 221. Temporalia haud talia ſunt 130. 138. 139. nunquam fere, vel minùs æquè ſumenda a R. P. 281. 282. mala ex his in Eccleſiam ingentia 143. Auctoritate R. P. aliqui abutuntur ad prauas animi ſui affectiones 62. 63. Aulicorum mores e S. Bern. 149. ab illis, & in aulis non veritas 150. 151. quodnam inter eos certamen e Seneca 150. Aulici Regulares pernicioſiſſimi ibidem. Axiomata pernicioſiſſima. Vide Politica.

Bella a R. P. vitanda cum Catholicis Principibus 271. nec illorum occaſio danda 281. non eſt Schiſmaticus Princeps, qui cum P. bellum gerit 271. Bulla Sixti V. in Cardinalium electione maximè attendẽda 23. 64. Bulla Iul. II. de Simon. Elect. R. P. multi æſtimanda 257. falſa omninò. Franc. Suar. opinio circa illam 258. ad maiorem cautelam forſan innouanda 261. Aliquando Bullæ non videntur e legitima P. mente prodijſſe 113. Multæ obreptitiæ, ſubreptitiæ, & ex importunitate 112. Plurimæ non ſine multorũ conſilio condendæ, & promulgandæ 64. 121. pro illis inſtituendum tribunal inſtar Rotæ Auditorũ 129. nominatim a Regularibus petitæ ſedulò priùs examinandæ cum omnibus particulis &c. 63. 120. 121.

Calliditas aliquorum in falſis narrandis 158. aucta hoc ſeculo 280. & cũ doctrina 167. Calumniæ quædam viris valde conſpicuis in vrbe conſtructæ 54. 158. 159. 252. 253. Cur multi calumniatores 253. calumniarum cauſæ 252. Canones, & conſtitutiones multæ P. R. non condant nouum ius, ſed antiquum declarãt 111. Cenſores quidam Romæ minus æqui 64. Cenſurarum veneratio cur imminuta 138. Chriſto inſenſi homines e Catholicis, quinam 151. 152. vbi ſex eorum notæ. Clerici Romani quales 164. Concionatores quinam Euangelici 10. 204. 205. qui non tales 200. 205. multi vani 201. quidã Pſittaci 279. Multi Cythæredi 203. Cur hi regnẽt. 201. 202. Plurimi inepti 201. 204. Multi a concionãdo repellendi 200. 101. Concio-

natores Regulares quænam populo proponere debeant 199. Quædam proponere prohibendi 290. Conciones quales 196.202.204. De Diuinis consiliis non temerè sentiendum, vel loquendum 110. 111. Consuetudines tollendæ complures, quæ non Apostolicis innixæ institutis, aut non ab vniuersali probatæ Ecclesia 290. Conuersioni gentiliũ quæ media maxime opportuna 107. 108.168.208. Quinam Regulares magis habiles 284. Correptione magis indigent Prælati, quam cæteri e quatuor causis 87. Debita R.P. etiam in duobus casibus 86. Quinam ad eam teneantur 87. non admittens correptionem in peiora labitur 293. A Curia Romana quænam potissimè remouenda 32. 191.192.164.257.214. Curia à Regularibus præ cæteris fugienda 150. Cupiditas rerum terrenarum malorum fons in Ecclesia 27.104.124.143.194. 195.209.219.256.

Delictum maximum quod in R.P. censeri possit 19. Difficultas in credendo quod aliquis sit Christi Vicarius, lenienda 66. Dispensationes multas cõstat concedi e falsis causis 106. Perrarę in quibusdam concedendæ 162. quędam omnibus conceduntur certam offerentibus pecuniam 288. non concedendæ nisi e probata communi vtilitate, vel necessitate 111.165. Dissensiones quandoque inter Sanctissimos Viros 62. Inter sæculares Ecclesiasticos, ac Regulares a P. tollendæ 242. Docti rarò non dolosi, vel christiana simplicitate præditi 166. 167. Dominium Ecclesiæ est in liberos, non in seruos 178.180 287.289. Non est sicuti Principum in Subditos 238. Dormitioni Prælatorũ ascribendus magna e parte lutheranorum hæresum progressus 133.

Ecclesia Romana est Mater habens vbera plena dulcedine 13. Eius Principatus est paternus 99.100.128. Ecclesiæ claues quænam sint 73.74. Ecclesiæ etiam plus iusto locupletari queunt 288. Excommunicatio quam ingens pœna 137. est per se sufficiens ad retrahendos quoscunq; prorsus a peccatis ibid. & 285. Imperatores, ac Reges illam vehementer timuerunt 57. 137. cur illius imminuta æstimatio 137. 138. 286. Sobriè infligenda 137. 138.285. Excommunicationes paucæ ante Bonif. VI. Sextum Decr. 285. Exempla etiam Sanctorum non semper imitanda 140. Exempla mala R.P. aliorũq; Principũ Ecclesiasticorũ, ac sæcularium cogũt subditos ad similia 294

Fabularum narratores quinam aliquando haberi possint 187. 208. Fama de aptis, vel ineptis ad Pontificatum potest esse non rarò fallax 5.6. Familia R.P. qualis 104.191.263. Festorum dierum, in quibus a seruilibus abstineatur, & officinæ claudantur, multitudo imminuenda 289.290. & ad id teneri possunt Ecclesiastici, ac Sæculares Principes 290.

Gladij duo, de quibus Christus dixit, Satis est, quinam designari queant 136. Duo gladij Ecclesiæ proprij quinam ibid. quod temporalis gladius sit ex iure diuino penes Ecclesiã siue possit ab illa exerceri, seu exeri ex iure diuino non constat 80.137.138. est aliquando in nutu Ecclesiæ, sed non ab illa exercendus 138.141. non ille aptè probatur e facto S. Petri cũ Annania, & Saphira 237. Gloria Dei etiã maior nullis non patrocinatur facinoribus 97.

Hæreticorũ vulpina charitas 20. aliqui ex illis in nonnullis laudandi, vt Catholici fiant, non irritandi falsis de eorũ moribus, vel doctrinis &c. 216. quædam seueritatis signa illorũ conuersioni noxia ib. Potiùs à Principibus puniendi tẽporalibus pœnis 217. immeritò se excusãt de non recepto Conc.

Trid.

Trid. decretis ad fidem spectantibus 30. Hospitalitas exercenda cum pauperibus 270. qualis cum diuitibus ibid. Humilitas callida quanam 167.

S. Ignatius Soc. Iesu Fund. laudatur 14.57.68.127.149.293. Immunitates multæ Ecclesiasticis personis cur priscis concessæ temporibus 81. vtilis aliciuius moderatio quoad nonnullas personas, & quoad nonnulla bona 16. Hæ mitibus modis tuendæ 80.81. aliquæ à Principibus omnino concedendæ 84. potest esse non priuilegium Pontificium, quod Principes quandoque iurisdictionem exerceant in personas Ecclesiasticas, earumque bona 83. Incontinentiæ vitium cur vigeat in multis Clericis, ac Regularibus, & remedia ad illud auertendum pro viribus 161.162.227. Infelicitas huius sæculi in quibus 229.280. Innoc. III. habuit plurimos sermones publicos 198. Scripsit libros valde pios, versatusque fuit valde in diuinis litteris 206. Iurisdictio in spiritualibus omnino contra laicos tuenda 185. Multi possunt esse iustiores apud homines, qui non apud Deum, & contra 196. Iustitiæ in contractibus maximè Ecclesiastici præ alijs debeat esse cultores 84. Iustitia Ecclesiasticorum debet esse mitior, quam laicorum 99. De Iustitia Romæ nonnulli quandoque non immeritò plane conqueruntur 127.

Legum multitudo vitanda 286.287. & quarumnam præcipuè ab Ecclesiasticis ibid. quænam inter has pestilentissima 288. Euangelica lex in quo grauior Mosaica 297. Librorum quorūdam Romæ impressio ipsimet Ecclesiæ perniciosa 55.70.125. Linguæ vitia quorūdā propria 126.280. Lucifer nititur quam maximè R.P. reddere superbum 117. Litterarum frequens commercium inter Episcopos, & R.P. cur sublatum 157.

Mendicitatem in R.P. hæretici complures cupiunt 20. temporalium possessio illi, sicut e. Episcopis, cōcedēda ad subsidium suarum ouium 210.211. Mercenarius Pastor est tolerandus 186. Miracula solicitè examinãda 158. 197. Sola vera in Catholica Ecclesia, nulla apud Lutheranos &c. ibid. cur defecerint in R.P. e S.Th. 209. vel imminuta ibid. Missiones per Catholicas, & non Catholicas Prouincias instituendæ a R.P. 10.11.13.295. quinam magis habiles ad illas ibid. Qua ratione breui mores omnium Catholicorum reformari possint 294.

Cur Petri Nauis sæuis quandoque agitetur fluctibus 87.189. in illa soli vera fides docetur 5.6. in ea quandonam potissimum sedere e R.P. censeatur 6. Nobilibus genere dignitates Ecclesiasticæ non conferendæ, nisi sint virtutibus etiam nobiles 14.15.166. Nobiles difficilè sunt Christi sectatores aperte 166. Superbia vitium illis insitum 14.

Occasiones quinque peccati negationis Christi in Petro 144. Obligationis sui Officij ignorantia non excusat R.P. sicuti nec alios 122.123. Odium immortale aliquorum in R.P. esset valde incongruum 99. Operum piorum finis haud sit temporalis 131. Opiniones quædam nimis ampliantes, vel minuentes R.P. auctoritatē non imprimendæ 74.75.76.290. quædam a R.P. repudiandæ 135.155. & quorumdam 167.240.291. Auænam a Patrib. S. I. amplectendæ 291. quorumdā potiùs amplectendæ 156. quædam in exteriori foro prohibendæ 121.256. Oratio medium quam maximè opportunum, quando R.P. scandalizaret Ecclesiam 301.302. quandonam pro R.P. ab vniuersa Ecclesia 123.281.283. indicenda ab omnibus Episcopis, cum R.P. eligēdus

 dus

dus est 46.51.52.195. Ordines sacros quandonam aliqui incongruè suscipiant, & cum periculo æternæ damnationis 160.227. Ordines minores, & primam tonsuram cur multi suscipiant 81. Otium non permittendum a R. P. in Episcopis, ac Regularibus 149.

Cur mali Pastores præficiantur quandoque populis, & probi electi minus probi euadãt, sicut & Principes 302.303. Prędicatores vani maximũ Ecclesię flagellum 204. Peccatores pœnitẽtes benignè amplectẽdi a R.P. 157. Cur Petrũ labi in tam graue peccatũ permiserit Christus 131.132. quã dotẽ filiæ dedit 18. cur filiam habens, & iam matrimonio iunctus P. electus 161. Ter dictum illi, Pasce, quid significet 175. 176. 177. in quo præcipuè laudetur a S. Bern. 296. quinam illius victus 298. Pietas quorundam fucata esse potest in petendis quibusdam a R.P. 286. Politica quorundã exitialis 33.63. quædam ex inferis orta 113.279. a Politicis damna Ecclesiæ ingentia 34. Politica, quæ dicitur Carnalis, seù mundi, a R.P. relegandą 32. Politica Magnatum quorumdam pro alliciendis R.P. ad Consanguineorum amorem 19. Pœnæ temporales non sunt per se propriæ Ecclesiastici Iudicis 80. 285. Professi Soc. Iesu inter cæteros ad Missiones mittendi, ac in ijs detinẽdi 11.13. In Professi ne Religiosa consensus debet esse summopere liber 228. 234. 297. Prudentia Christiana facit homines cautos, sed non callidos 37. Publici species boni multos decipit 97.99.188. quodnã sit publicum Ecclesiæ bonum 97.98.

Quæstiones nonnullæ non proponendæ, imò prohibendæ 191.196. querelæ laicorum de reditibus Ecclesiasticis malè expensis 222.223. 224. mala ex his malè impensis 225. hæretici inde confirmantur in suis sensibus prauis ib. & 21. & quidam Catholici Idiotæ ex parte illis adhærent 22. de illis certè seuera ratio reddenda 154.

Reformatio a Capite, & primarijs ordienda 108.109.294.295. Reformatio cuilibet prorsus Ordini neceßaria prorsus indicenda 63.64. Cur quidam renuant reformationem 295. Vnicum ferè remedium ad eorum reformatione, sed Laicis maximè primò molestum 236. quoddam potiùs eos magis deformauit ibid. Aliqui valde scandalosi, & quorum reformationis probabilis non est spes, & quibus parum debet Ecclesia Catholica, & Romana, extinguendi 50.233. 235. Laxitatis in Regularibus Ordinibus sex causæ præcipuę numerantur a 228.236. Ex multitudine Religiosorum in qualibet Religione nominatim eorum inobseruantia, & scandala 230.231. Cur peccẽt contra tria vota 227.228. Regularium quorumdam in reditibus semper amplificandis studio modus imponi poßet 288.289. Sicuti, & profusioni in hospitibus nonnullis excipiendis 270. 271. Regulares sunt cooperatores Episcoporum, ac Parochorum in quibusdam spiritualibus ministerijs, & quinam peculiariter 10.11. Nulli Ordines nimis amandi 77. illorum auctoritas quandoque moderanda 64.65.243. Regulares multi minus æquè conqueruntur de grauaminibus nonnullis 179. Regulares Prælati peccant grauiter, si non insistant omni studio obseruantiæ Regularium subditorum 232.233. haud in eorum electione suffragium Regularibus adimendum, nisi indignos eligere soleant 181.251. Cur aliqui P.R. peculiari amore significent se prosequi aliquos Regulares 62.63. Cur superbi quidam 268.269. Religio mixta quanam præferenda contemplatiuæ 106. 246.247. Regulares domus plurimæ ad fines politicos.

liticos humanosque a cōpluribus habita 161. Vide Adulatio, & Curia. Renūciatio Pōtificatus quandoque necessaria 68. Difficultas in hoc qua ratione tollenda 68. 69. Romam euntium, & inde recedentium qualis debeat esse de illa sensus 161. 162. 163.

Sacerdotum multitudo tollenda 162. 163. Sacerdotes, Regularesque cur difficilè pœniteat peccatorum 265. Sacræ Scripturæ studium debet esse præcipuum in Regularibus, nedum in Episcopis 246. 247. Eius studium vt sit non est contemplatio vt sic simpliciter ibid. Schismatis periculum quando immineree possit 55. 64. 271. Simplicitas Christiana rarò doctrinæ iuncta 166. hæc debet esse cauta, sed nō callida 37. defecit hæc nostro maximè sæculo 158 Iustorum simplicitas deridetur 31. eius loco prudentia quædam carnalis, & vulpina prorsus inducta 32. 33. 37. Ex opinione, quod in R. P. non possit cadere Simonia, ferè læthaliter laborauit Ecclesia 128. Simonia est vitium Ecclesiæ perniciosissimum 255. est perniciosum inuentum separatio tituli spiritualis a temporali 124. 125. Est simonia dare etiam antecedenter, vel concomitāter, & accipere, titulo etiam liberalitatis, gratitudinis &c. 55 Vitanda summopere in R. P. ELECTIONE a n. 259. ad 262. Vt illius probabilis suspicio in R. P. & in R. C. amoueatur, quid agi possit 257. Simoniaci difficillimè conuertuntur 265. In supplicationibus publicis quid vitādū 122

Templorum veneratio maximè curanda iuxta constitutionem Greg. XI. Pij V. ac Trid. Concil. 100. 101. Temporalium possessio reddidit P. R. difficiliorem ad Cœlos aditum 104. 105. reddidit Ecclesiasticos minùs pios 104. & P. R. superbos 299. attamen illis, ac R. P. in primis concedenda, & concessa ad perfectam sui officij executionem 105. quæ tamen nō est necessario per se annexa ex iure diuino pastorali officio, vel ministro Euangelico, nisi sit de necessarijs ad congruam Pastoris animarum, necessarijque spiritualium Ministri sustentationem 20. 103. 209. quorundam sensus de R. P. temporalitate reijcitur 103. 104. Temporalia bona cur Ecclesijs, & Ecclesiasticis tributa, & ampla 222. 290. Theologi veri quinam sint 28. 191. quidam perniciosissimi 90. 125. 255. quidam Euangelicam resoluunt disciplinam, & cōscientijs cum graui animarum periculis illudunt; viamque salutis, quam arctam Christus esse voluit, dilatant, seu potiùs peruertunt 153. 280. multorum recentiorum genium est conscientias laxare 261. ineptè multi fundant suas opiniones in aliquo scripturæ loco, qui ad rem non facit, trahuntque Sacræ Scripturæ verba ad suum, quē sibi proposuerunt, sensum 278. recentiores multi moribus præsentibus Sacram scripturā, & Apostolicā doctrinā accōmodare satagunt contra institutum priscorum Patrum, ac Theologorū ibid.

Vacillantium in fide tria genera 65. qua ratione hi confirmandi 66. Veneratio R. P. cur imminuta, & qua ratione amplificanda 7. 212. Cardinalium cur quoque minor, sicuti & eorumdem decretorum 29. 30. 43. Verba præcipuè attendenda Aegidij Viterbiensis Generalis Ord. Herem. S. Augus. postea Cardinalis, in Concil. Lateran. præsente Iulio II. 142. 143. S. Ambrosij 177. S. Aug. 183. P. Claudij Aquauiuæ Præp. V. General. Soc. Iesu 204. Ezechielis 84. B. Francisci Borgici Præpos. III. Gener. S. I. 229. 230. 235. P. Francisci Riberæ, & Cornelij a Lapide e S. I. 230. 231. S. Gregorij 31. 90. 177. S. Hieronymi 104. 245. S. Ioannis Chrys. 107. 185. 238. Auct. Imp. qui nomine Chry-

fess. quandoque affertur 96.172.265. Isid. Pelus. 96. Martini Nauarri 232. P. Mutij Vitellesthi Præp. VI. Gener. S.I. 168.291. Roberti Cardinalis Bellarmini e S.I. 228.229. Thomæ Card. Caietani 86.105.109.113.182.233. Verbum Dei est gladius maximè proprius Ecclesiasticæ potestatis 142. est maximè potens contra hæreticos 216.217. illud adulterant plurimi Concionatores 203.204. quam efficax, si congruè adhibeatur 136.202. Veritas nulla tam dilucida, quæ sophismatum laruis nequeat obscurari 275. Vitia spiritualia per se grauiora carnalibus 64. illis inficiuntur sæpè qui a carnalibus abstinent 191. Vilitas in vestibus potissimè congrua Concionatoribus Euangelicis 284. Votum de ingressu Religionis, in qua iregulariter viuitur, non obligat 233. Votorum quandoq. ex natura rei cessat obligatio 233.234.235 Zelus etiam pro spiritualibus reprehenditur, si indiscretus 136.

SECVNDVS INDEX PECVLIARIS de spectantibus ad Romanum Pontificem, Cardinales, Episcopos, ac Principes.

IN Romani Pontificis ELECTIONE inter cætera, quæ recensentur p. 4. attendatur illius præ cæteris Catholicis fides, & Charitas ibid. 170. 171. 244. Fama eius obseruanda 4.5. Non est attendenda per se nobilitas in eligendo 15. Haud eligendus est superbus; nam e superbo ingentia in Ecclesia mala 15.16. Humilis valde idoneus 114.115. nec qui in temporalium negotiorum tractatione excellat, si minùs pietate excellat 244. nec qui magis sit politicus, quàm solidè spiritualis 211. nec prorsus omninò qui Pontificatum appetat 172.174.175. in quonam casu appeti posset 174. non est simonia dare pecuniam, ne indignus eligatur, vel dignissimus inter cæteros eligatur ibid. qui appetit Pontificatum ostendit, se non credere iudicium Dei, nec se reddituram rationem pro omni Ecclesia Dei apud iustum iudicem. ac præterea se declarat Gentilem 172.260. quinam indignus Pontificatu e sententia quoque Imperatorum in C. de Sacr. Eccl. 261. Optimus inter Catholicos eligendus, etiam non Cardinalis 170. 171. Optimi electio quandonam fuit, vel erit 52.54. Electores debent vehementer insistere orationi 46.47.51.56. quid attendere debeant iuxta constitutiones etiam Pontificias 47.48. a quibus præcauere ibid. eorum voluntas potest esse minùs libera e duobus capitibus, & quænam 47.48.50. electio hæc ante cæteras esse debet maximè libera 51. cur Principes se illi immisceant 52. quandonam Card. organa Diuini spiritus in tali electione 51. impius hæreticorum sensus de R.P. electoribus ibid. Simoniacè electus tenetur prorsus Pontificatum renuntiare 69. tutæ opiniones de validitate electionis complectendæ omninò 259.262. Vide verb. Bulla Iul. II. & Simonia. Electus a quibus abstinere, & quid tunc agere debeat 190 191. 193. in quos amorem tunc, ac deinceps peculiarem præferre 191. non ostendat odium in eos, qui suæ electioni non adhæserunt 98. 99. quæ promisit Deo in Conclaui adhuc Cardinalis, vel statim electus, soluat, nec secum dispenset, nisi e causa valde probata 236.237. si desistat ab ijs, quæ primò tunc salubriter cœpit, non erit aptus regno Dei 237. Perpendat finem, ad quem Pontificatus a Christo institutus 147. esse onus plusquam Angelicis humeris formidandum 67. esse locum su-

blimio-

blimiorem, sed non tutiorem, vel securiorem 296. esse præ cæteris expositũ amplioribus peccati occasionibus ratione obligationum sui muneris, ac sibi astantium, & honorum, opum, auctoritatis &c.130. vitet de Pontificatu incõgruum, & non Catholicum planè sensum 148.172.188. iuxta Euangelicam veritatem omninò existimet Pontificatum esse ministerium, & seruitutem, non dominatũ 132.171.& seruitutem splendidam quidem 300. sed onerosissimam præ cunctis prorsus 179. 192. 212. 299. idque perpendat antequam consentiat electioni, & post consensum id sæpissimè recogitet. Fidei Professio R. P. statim electi è Priscis Canonibus, & Concilijs Constant. & Basil. 2. Electus tunc magis sequatur Christum 187. & ostendat se paratissimum dare animã suam pro Christi ouibus 180.

ROMANVS PONTIFEX debet esse vehementer deditus orationi, meditationi, contemplationi 1.207.244.245.247.268.273.293. quosdam dies à cæteris vacuus curis illi dicare debet 268. quandonam potissimum orare debeat 22.24.56.78.131.154.207. Pro qua re ab illo orandum potissimè 18.54. 118.154.162.207.215.216.254. Angelum sibi peculiariter Custodem cælitus datum peculiari cultu prosequatur 241. Quandonam indicendæ ab eo publicæ preces 22. 221. In quosnam peculiariter debet esse beneuolus 1.3.33.90.91. 151.152.153.156.191. Quos adhibeat peculiariter Consiliarios 152.156. 167. A quibus maximè alienus 1.32.33.34.65.77.90.107.151.152.154.155.266. Decipitur sæpe 63.113.120. 132. 138.150.151.155.203. Exponitur a multis irrisioni, vel contemptui, vel minori venerationi 122.127.243 Vitet Doctorum quorumdam consilia. & opiniones 69.70.150.153.154.167. Non consulit sæpe honori suo quoque in terris 35.40.152. Famæ etiam in terris sibi comparandæ plures recensentur modi 128.129. pro quibus nulla, aut leuissima, aut inanis 129.130. qualis eius fama esse debeat 168.169. Honor illius in quo potissimè 159. Honores, qui sibi deferuntur, ad Christum referat 26.273. illis se prorsus indignum putet 115. Obligationes sui officij perpendat 146. 147. & vnam horam in singulos fermè dies in id impendat 268. non excusatur, si eas ignoret 122.123. Summam adhibere diligentiam tenetur in suis obligationibus explẽdis 185. nec excusatur, si quasdam sequatur opiniones 153. Acceptionem personarum solerter vitet 3.58.121.127.163.242.271.273. etiam Regularium 63.64. 70.142.273. A nonnullis præsertim se regi non sinat 63.129.130.243. Quibusnam minorem fidem habeat 126.252.253. Non construat tria tabernacula in vaticano monte 79. quasdam definitiones vitet 121. Circa infallibilitatem sibi tributam in definitionibus deceat attendat 119.120. quædam infallibilitas in ijs, quæ de facto, nouissimè inuenta ferè stulta 120. quasdam censuras in priuatis hominibus, & scriptoribus vetet 127.128. Circa opiniones de sua potestate quid illi attendendum 74.75.140. assentatoriæ quænam vniuersim 75 76. Quandonam modicæ in Deum fiduciæ signa ostendat, & vndenam hæc modica a 57. ad 64. Quandonam sit cum Christo, & quandò non 57. Quandonam Diaboli potiùs, quàm Christi verbis adhæreat 70. Quandonam non sapit, quæ Dei sunt 77. Quandonam nescit, quid dicat 79. Quandonam mollis animo 72. Quandonam abiectum præferat animum 62.63.64 Quandonam significaret, se hypocritam fuisse 19.35. 147.189. Quandonam gloriam humanam quærere videretur 108. hanc contemnat ibid. & 189. Quandonam sequitur a longè Christum 144. Quandonam dimittit omnia, & sequitur Christum 16.102.103 vbi octo signa, quod illum non sequatur 108.109.192. Quandonã ostendit, se odio aliquos prosequi 99. si insectetur illos, qui publica referunt R. P. crimina, fermè læthales morbi Ecclesiam inuadent 277.279. quandonã potest correctionem alijs debitam omittere 94. quandonam dormiat 132. &

quæ-

quænam ex eius somno in Ecclesiam mala 73.133.181. quænam vigilantia, & quinam somnus in eo reprehensibilis 212. quandonam de minori prudentia notari posset 12. quandonam humanam videatur quærere gloriam 128. quandonam pecuniæ amorem præferret 26.105.106. ab hoc maximè alienus esse debet 109. cupiditas teterrimum in eo vitium 297.298. malorum fons in Ecclesia. Vide Verb. *Cupiditas*. quandonam temporalia dimittere teneretur 21. 103.109.211. quandonam animarum Piscator 10.16.108.167.168.298. quandonam magnos pisces cum Petro capiet 168. terrena contemnere ostendat 3.6.7. nec de illis sit anxius, aut valde sollicitus 6.7.8.128.192.191.215.243.244. ad illorum contemptum alios allicere debet 224. Ne Maiestatem, Auctoritatemque Pontificiam reponat in quibusdam exterioribus 7.8. vbi quidnam conciliauerit in R.P. venerationem, & munificentiam Principum, populorumq; 7. 212. quandonam Principum beneuolentiam sibi congruè conciliare possit 220.221. Vbi enumerantur duodecim, quæ præstari possunt. multa impetrabit, si illorum opem imploret 6. quod cum non fit, Ecclesiastica disciplina multis in locis valde imminuta conspicitur ib. honoret Principes, eorumque Ministros 159. nolit opiniones nominatim vulgari Iudæ Galilæi sensibus fauentes contra Romanos Imperatores 149. Amplior fides in eo, quã in cæteris, esse, ac fulgere debet 2.57.70.71. cauendum, ne minor sit, quàm in alijs 119.144. modicissima in eo Ecclesiæ nocet vehementer, & quando sit talis 57.58.132. qualis in eadem constantia 70. quanta, & qualis ibid. quænam eius fidei signa 71. Charitas in eo quoque fulgere debet 95.169. quæ illius signa 170.171.176.177.186.187. tenetur condonare iniurias, imò ante alios suis benefacere inimicis a 95. ad 102. Vbi ostenditur, multas illi posse fieri iniurias, vt non Christi Vicario; refelluntur que duæ excusationes, ne Christi præceptum, consiliumque amplectatur; & quænam ex hac iniuriarum remissione in R.P. & R.C. bona. Tenetur pro facultate sua omnibus vbique indigentibus opem ferre in temporalibus ipsis 110.213. Ciuium suarum famæ consulat, & nouem ad id præstandum proponũtur 125.126.127. perpendat, quod infamati solent irrefrænatè postea peccare 126. Calumniatores seuerè puniri iubeat 126.252.253. Humilitas pariter interior, ac exterior in eo fulgere debet 24. & a 114. ad 117. vbi quænam illius signa 180.188.298.218. Superbiam vitet quàm maximè, quam tribus modis dæmon illius animo inserere studet 117. 118. e superbia minor in R.P. veneratio orta 117. nimia quædam humilitas in eo reprehenditur 62. Magnanimitatem, fortitudinem, constantiamque contra quoslibet, etiam Principes, in quibusdam exhibeat a nu. 59. ad 63. ac præterea 72.73.98.101.113.218.219.220.240.281.286.298. Modestiam amet in ipsomet victu, ac vestitu 77.129.211.282. Cur otiosus aliquando sedeat 146.147. in quibus hæres Petri, & Apostolorum 164.219. illius præcipua sollicitudo in quibusnam 94.128.211.212.243.244. Quænam vt verissima prorsus habeat in suo regimine 275.276. dicta a S. Petro S. Clementi diligenter attendat 244. Præsumptionem vitet 131. in omnibus fiduciam in Deo cum primis reponat, ibid. suspicionem quamlibet incontinentiæ vitet 144.145.146.160. nulli prorsus fœminæ sit familiaris ibid. in quas se possit beneuolum ostendere fœminas 267. In peccatores, ac hæreticos pœnitentes singularia beneuolẽtiæ signa exhibeat 157.213.214. sicuti & in peccantes ex infirmitate 132. ignorantiæ tribuat sæpe plurima peccata, ac hæresim ipsam, instar Christi, Petri, & Pauli 214.215.216. Mansuetudo, & clemẽtia propriæ illius virtutes 99.100.178.239. Seueritas contra quos ab eo adhibenda 102.101.126.222.223.227. Non despoticum exerceat dominatum, & abhorreat a tyrannico quam maximè in omnes, & peculiariter in populos R.E. subiectos, ac præ cæteris in Romanũ

popu-

populum, vbi quæ huius signa a 178. ad 183. Est Pater, imò Mater omnium Christianorum 13.14.178. Non est bonus Pastor, si intendat commoda sua, vel suorum 183.184. sed mercenarius 186. quandonam pascat iuxta S. Petrum Christi oues a 296. ad 300. Heroicæ, & Apostolicæ virtutes, cũ sit in sũmæ præ omnibus perfectionis statu, sunt illi cõsectaneæ 100.109.152.187.188.192.211. 217.274. Quæ laudanda in eo valde 165. quæ munera illius maximè propria 148.149.245. In cuiusnam Trid. Cõc. decreti obseruantia peculiariter insistere teneatur 35.67.110.111.124.150. tenetur vigilare super omnes, & oues, & pastores alios 10.54. Iram fugiat, & vltionem, vnàque molliorem affectum in iudicijs &c. 100. Corripere tenetur etiam Reges 86.218. peccat, si leuiter corrigat grauiter delinquentes 94.95. tenetur corrigere se ipsum, vt alios cum fructu corrigat 94. tenetur operam dare, vt restitutio famæ ablatæ, quam nouerit, fiat 125. tenetur scandala etiam passiua vitare solerter 29. ea placare reddendo etiam rationem 276.277. de qua re plurimùm scandalizaret omnes cũ ingẽti Ecclesiæ detrimẽto 227. reuocare debet quædã 112.113. quod omittere potest ex timore ibid. Interroget sæpe sinceros homines, quid populi de suo sentiant regimine 71.72. audiat libenter alios, ac illorum salubribus adhæreat consilijs 1.291. sinceritatem, sincerosq; homines amet 32.37.101.277. fidelitatem seruet in pactis, concordatis &c. 85. Amorem sui, & suorum, vt hostem Diuini amoris, repellat 65. ne nimis amet aliquos etiã non consanguineos 17. quosnam peculiari prorsus amore prosequatur 92.152.191.153.156. Audientiam sæpe publicam præbeat 13.14.18.165. & potissimè pauperibus 13. ac illos defendat, sustentet &c. 4. cum illis libentiùs versetur, quàm cũ diuitibus, nobilibus &c. 14.269.270. tenetur insistere, vt prædicationis officium frequenter, ac salubriter exerceatur a 198. ad 205. & vt a Regularibus ordinibus irregulares mores auertantur 235.295. Cur eius vota, ac labores irriti esse queant 131. quandonam immeritò argui possit de mala electione Cardinalium, & Episcoporum 194.254. Vndenam ingentia ab eo in Ecclesiam damna 124.125. Pro quo re gaudeat, & pro quibus non gaudeat 240.241. A pijs etiã nonnullis operibus abstinere debet, vt præcipua sua obeat munera 248. Simoniæ vitium quàm longissimè remoueat; & ad hoc quatuor præstanda a 256. ad 263. Hospitalitatem exerceat maximè cum Episcopis, & Sacerdotibus Romam petentibus 269. Vbi necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ, non suorum, vrget, abeat Roma aliò etiam sine multo comitatu 266.267. tenetur pro viribus cõformare se Christi actionibus 152. ad quã statetam mores suos examinet 221. Vigilet, ne Ecclesiastici reditus malè impendantur 21.154.222.223. & in hoc ipse alijs præluceat exemplo 107.180.188.213.222.224.226. Auctoritatem nonnullorum moderetur 64. qualis, quantaque contra quosuis fiducia in quibusdam 59.60. Venialia etiam peccata vitet 16.11. quæ in ipso sæpè mortalia esse queunt 274. Omnia illius peccata sunt in eodem genere grauiora 274. & forsan etiam semper specie differentia 294. Quænam e capitalibus vitijs eum æternæ damnationis reum efficere queant 187.195.265.282.299. Etiam si solum negligens sit, æternas luet pœnas 184. licet quibusdam etiam pietatis operibus sit deditus 146.147. quandonam in primis mortaliter peccet 67.71.111.171. Periculum æternæ damnationis a quibusnam hominibus illi maximè immineat 18.35. Vide Verb. *Adulatores* in Ind. Gen. & a quibus debet esse maximè alienus. Quidnam remouere possit illum a pascendo se ipsum, & suos 297. Quoddam prædicationis genus, siue vnum saltem ouium pastum nequit euitare sine peccato mortali 207.248. Exempla illius quàm salubria 107.108.166.192.193.217.265.300. quàm noxia 176.177.185.186.188.

214.217.224.226.234.300.& quædā vniuersim enumerantur 193. De peccatis publicis quidni publicam ipse sibi irroget pœnam 153. occasiones proximas peccati vitet 134.135.154.& quænam sint a 144 ad 153. In sacra scriptura debet esse versatissimus 4.119.205.206.216.268.284. Quorumnam lectioni librorum illi vacandum 70.130.205.206.245.246.268. Qualis illius sermo 217. 267.& de quibus 78. qualis illius aspectus 239. Non sit inflexibilis in suis consilijs, ac decretis 214. In Gentilium conuersionem sollicitè incumbat 11.284. Mortis memoria illi perutilis, & quid ad eam excitandam opportunum 188. 189. Cuinam R.P. mortis memoria grata, & cuinam ingrata 188.190. Quęnam senior vitare debeat 189. Cupere debet esse quàm primū cum Christo 78.298. Ne nimis suæ sanitati, aut vitæ prorogandæ indulgeat 207.208. non existimabit durè fuisse interdum a nonnullis correptū, si octo animaduerterit 92. 93. *Alia vide multa in primo Indice Generali.*

CONSANGVINEI sunt sæpe hostes R.P. 16.17. sunt tentatores, & quasi Diaboli illi assistentes perpetuò 118.134.135. Sunt milites, inter quos dū, mire potest catenis vinctus 282. quandonam possint Ecclesiasticis dignitatibus decorari, & pars aliqua regiminis illis committi 17.34. hi per se cæteris præferendi 34. Eorum actiones indagandæ sollerter 17. Puniendi, & seuerè si peccent in regimine 18. Eos quandoque tenetur dimittere, & a se, & Romana Curia 135.154.190. illi non dormiunt, dum ipse dormit 132. querelæ populorum de ijs audiendæ, ac perpendendæ, nec quidam eorum assentatores auscultandi 19. illis munerum receptio vitanda 17. monopolia pariter 183. amor eorum nimius ad interos facilè eum adducit 17.19.35. eos tenetur omninò dimittere, si occasiones præbeant proximas peccatorum 190.191. Saluberrimum est eos a conspectu suo remouere 36. eorum amore irretitus nihil ferè generosum aget 19. quædam etiam permittet, vel concedet R.P. indecora 64. quidnam de Pontificatu ipsi sentire queant 16.17. Solent operam dare, ne homines valde docti, nisi admodum suis fauentes cupiditatibus, Cardinalitia potiantur dignitate 29. ac ne penes Pontificem sit sincerus admonitor 294. In eos vehemens propensio Ecclesiæ perniciosissima 18. quid effici posset, vt hæc ingens pernicies ab Ecclesia prorsus auertatur 36. enumerantur aliqui Pontifices ab hac propensione alieni 17. *Alia suggeret complura Index superior de R.P.*

CARDINALIVM creationi oratio a R.P. præmittenda feruens, imò etiam indicenda Romæ 24.56.195. cur mense Decembri sex, & amplius sæculis a priscis R.P. crearī 23.24. quanti æstimanda eorum electio 24. quales eligendi iuxtà Bullam quoque Sixti V. 23.25. Cur ad hanc normam non eligantur 89. Principes viri haud facilè ad Cardinalatum admittēdi 26. nec ex quorum admissione vacant quædam officia, quæ deinde emuntur, nisi in ijs sit eximia pietas, aut doctrina, aut Christiana prudentia; & quæ mala, si secus fiat 26.27. ab auaritia maximè alienī esse debet 195. Egregiè docti prorsus cùr plures eligendi 28. & quàm id Ecclesiæ opportunum 30.31. cur hi non eligantur 29. probandi priùs, nec purpura repentè concedenda 25.26. quorumdam electio maximoperè vitanda 55.70. ex omni natione eruendi 38. eligēdi quoque, qui nunquam Romæ fuerunt, & ex improuiso, & id neque cogitantes, per nuncios, aliosq. a R.P. habita eorū notitia, ipsis præcipiētibus, vt ad se deferantur nomina illorū, qui sunt valde insignes in pietate, ac doctrina, vt ijs cōferat Ecclesiasticas dignitates, in qualibet Prouincia, vel in omni Ciuitate, & oppido etiam 3.38.129. Politici quidam a purpura excludendi 34. priscis aliquot sæculis R.P. tenebatur in Cardinalium præsertim creatione ipsorumque Cardinalium

dinalium

dinalium sequi votum 54. vnde nam illis hæc auctoritas ablata 55. modò sæpe non fit nec cum Cardinalium consilio, nisi apparêter ibid. Cur in multis modò non adhibeantur a R.P. cōsiliarij 49. Cardinales nihil prorsus ab vllis Principibus accipere deberent 49. addicti Principibus nimis affectiones solent habere præ alijs vehementiores ibid. Cardinali cuilibet certi, & congrui reditus assignandi, ad quod septem modi proponuntur 50. Vt sint fideles consiliarij, quid adhuc præstari posset 53. quales eorum mores 39. magis, quàm Episcopi, virtutibus, fulgere debent 40. tenentur residere penes R.P. 43.44. Non sunt ab Vrbe dimittendi, vel Episcopi constituendi, etiam id petentes, nisi in quibusdam Vrbibus 44 45. Eorum numerus ante Leonem X. qualis 41. quandoque illorum numerus valde imminutus 41. quandonam maximè amplificatus, & a quibus id cæptum 42. Cur 70. a Sixto, & a Basiliensibus Patribus 24. ibid. e multiplicato numero a Sixto V. quæ damna iuxta nonnullos 43 tenentur præ cæteris ad correctionem R.P. fraternam 87.88.89. & cum aliquo nec leui incommodo, & cur eam omittant ibid. de quibus inter se consultare, & quæ R.P. suggerere debeant 148.149. Quam famam de Cardinalibus Romæ degentibus inde recedentes in patriam deferre debeant 164.165. Ex ijs legati ad Reges, ac Prouincias quales 40.182. peccant grauissime, & contra iustitiā, si non eligant inter Catholicos optimū, & virtutē maiorem R.P. 171. & 213.

EPISCOPI quinam eligendi e sententia quoque Imperatorum 260. 261. quidnam in ijs requiratur ante electionem omninò 169. indigni prorsus Episcopatu 171.172.173.260.261. tenētur triplici pastu oues sibi commissas pascere iuxta dicta Petro, Pasce oues meas 175.176.177. eorum præcipuum munus est prædicatio 9.10.198. tenentur mittere idoneos concionatores per suas diœceses 8.9.10. ante millesimum pluris æstimati quam Cardinales 44.292. quando minoris æstimari illis cæperim 44. cur a populis quoque, ac Principibus 212. prisci perterrefecerunt etiam Imperatores ipsos, ac illis obstiterūt 59. 218. honorandi a R.P. & Cardin. 292.293. ob auaritiam, & ambitionem aliqui R.P. adulatores 299.300. ne cito manus imponant, & præsertim ne subdiaconatum facilè concedant 161.162. tenentur præ cæteris in temporalibus ipsis ouibus suis opitulari 106. non premendi pensionibus 106.129.130. immeritò de illis conqueruntur nunnulli 179. non dandi inuitis Principibus 250. quinam modus priscis aliquot sæculis in illorum electione 249. Hospitalitatem exercere debent, & qua ratione 269.271. Debēt esse admodum versati in sacra scriptura, & non in prophanis 205.206.268. Sanctum Euangelium præsertim, ac Epistolas S. Pauli non solum crebrò lectitare, sed etiam, quantum possunt, memoriæ debent commendare 26. Virgines professionem emissuras diligenter examinent, ac sollicitè seruent Trid. Conc. decretum 227.228. *Plurima ad Episcopos spectantia quoque suggerent significat de R.P.*

PRINCIPES quandoque tenentur fraternè R.P. corripere 89. cur quandoque id possint ommitere 90. ipsi in primis corripiendi etiam per districtionem Ecclesiasticam, seu excommunicationem, quando necesse fuerit 85. 86. non sibi iurisdictionem spiritualem vindicent 85. tenentur concedere quasdam Immunitates Ecclesiasticas, ne Sacerdotes pij in primis suis muneribus populorum saluti necessarijs auertantur 84. & ampliores Sacerdotibus, quā alijs, ac multò ampliores Episcopis &c. 81. illorum minus æquis precibus, postulatis, ac etiam minis, si eas intentarent, fortiter resistendum a R.P. a nu. 59. ad 63. ac præterea 72.73.98.101.113.218.219.220. 240.281. 286.298. tenentur quandoque ad nutum R.P. & Episcoporum vti gladio temporali 141.238. ac fouere Ecclesiasticam disciplinam 238.251. Cur in quosdam Regulares possint

sint esse minùs propensi 70. Venerentur summopere R.P. 159. nec putent suo detrahi honori, dum quædam illis non concedit &c. ibid. Si vnquam R.P. detineretur ab infidelibus, vel hæreticis, omnem operam adhibeant, etiam illato bello, vt libertati restituatur 285. si obsistant iustis verè R. P. mandatis a Deo punientur 219. nullam profectò iniuriam inferant, vel inferri permittãt R.P. PERSONÆ, licet aliqua agat minus æqua, vt Princeps potiùs sæculares, quam Ecclesiasticus 281. manutenenda, imò in ditione, quam modò legitimè possidet, contra iniquos iuuatores a Principibus tuenda prorsus ROMANA ECCLESIA OMNIVM ECCLESIARVM MATER, AC MAGISTRA.

Ioan. 1.

Ioan. 1. verſ. 40. 41. 42.

I. PETRO optanti, venturum ſperanti Meſſiam, ac eumdem quærenti (dixit ſiquidem illi Andreas frater, *Inuenimus Meſſiam*) annuit Deus. Votis pariter Romani Pontificis liberaliter idem Deus, qui ei ſuas vices demandauit in terris, & Chriſtus, qui illum ſui Vicarium apud nos conſtituit, annuet, ſi hæc fuerint de ſpiritualibus, ac de ſpectantibus ad ſalutem, & perfectionem ſuam, & commiſſi ſibi gregis; ſed opus eſt, vt hæ preces ſint aſſiduæ, ſeu frequentes, attentæ, deuotæ, ex amore Dei feruente in primis emanantes, cum ſpe firma (humanis tamen prudentibus conſilijs, ac medijs haud prætermiſſis) obtinendi, quod petitur. Exorabit procul dubio, quicquid voluerit, ſi ouium Chriſti, inter quas ipſe primaria eſt, animabus opportunum, ac ſalutare fuerit.

II. Non ſolùm non indignatur Petrus, quod Andreas, licet natu minor, fuerit primus, qui inuenerit, adieritque Chriſtum; verùm etiam vnà cum illo ſtatim ad Chriſtum profectus eſt; nec dubitandum, quin ingentes gratias Andreæ de huiuſmodi nuncio egerit. Si ab alijs, ac nominatim a Cardinalibus, ac Epiſcopis, qui ab ipſo appellantur *Fratres*, accipiat R.P. quæ ad ſalutem ſuam, vel Dominici Gregis ſpectãt, vel ſpirituali Eccleſiæ bono præſertim ſint vtilia, gratum ſe illis exhibeat, non infenſum; fraterno tunc potiſſimè eos proſequatur amore; peculiaria in eos conferat beneficia; non in adulatores, ſeu in loquentes ad ſuam voluntatem, ac voluptatem; non in eos, quorum voces reuelat caro, & ſanguis; non in eos, qui in virtutibus, rebuſque geſtis illi diſſuadẽt imitationem Chriſti, Apoſtolorum, illorumq. Principis S. Petri, ac plurimorum re ipſa Sãctiſſimorum Pontificum, quos vniuerſalis colit Eccleſia, Hiſtoriaque Eccleſiaſtica mirificè commendat; non in eos, qui ſuis ipſum retrahunt conſilijs à muneribus Paſtoralis officij proprijs, & ad indulgendum, tum ſuis, tum ſuorum commodis, attrahunt; ac *breui*, in eos, qui aliud corde (ſi non ore) volunt Euangelium, alium Ieſum Chriſtum. Indignus eſt Pontificatu, qui in Homines ſinceros, ac prudentes haud ſemet beneuolum declarat; aſſentatorum verò, inter quos maximè numerantur Rhetores, ac Sophiſtæ quidam, licet Theologi nuncuparentur, amiciſſimum.

III. Magna Petri fides, qui ſoli Andreæ credidit narranti Chriſtum adeſſe Meſſiam: Maior certè, quam ipſius Andreæ; etenim Andreas (verſ. 36.) iam a Ioanne, cuius celeberrima erat fama, audierat, quod Chriſtus eſſet *Agnus Dei*, hoc eſt Cæleſtis, ſeu Diuinus, *qui tolleret peccata*, ſeu *peccatum mundi*, hoc eſt, qui ſua naturali virtute, ac verè, non figuratiuè, quodlibet peccati genus penitus auferret, penitus deleret; quin etiam cum ipſomet Chriſto (verſ. 37. ac 38.) locutus fuerat; imò

cum eo manserat præcedenti die duarum spatio horarum, &, iuxta multos, tota insequenti nocte. In R. P. amplior fides exigitur, quam in cæteris fidelibus; & non solùm *Extensiuè*, cum explicitè credere debeat plura, quàm alij, cum id ipsius postulet munus, vtpote vniuersalis in fidei materia e communi sententia Doctoris, ac Institutoris, ac *parati* præ cæteris omnibus *reddere rationem* de ea, quæ in Ecclesia est, *fide* 1. Petr. c. 3. v. 15. ac *potentis exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere* ad Tit. c. 1. vers. 9. Verùm etiam *Intensiuè*, cum promptior esse debeat præ alijs ad quodlibet Catholicæ Fidei Dogma cum vitæ ipsius discrimine tuendum; & ante alios teneatur nullam probabilem præbere suspicionem, seu in factis, seu in verbis, seu in scriptis a Catholica fide deflectendi, nullius planè minis, ne dum precibus, vt firmissima omninò Ecclesiæ Petra, commotus. Sic antiquitus R. P. statim electi, *Sancta octo Vniuersalia Concilia* (in Oriente habita) *vsque ad vnum apicem immutilata seruare, & pari honore, & veneratione digna habere, & quæ prædicauerunt, & statuerunt, modis omnibus sequi, & prædicare, quæque condemnauerunt, ore, & corde condemnare*, profitebantur d. 16. c. *Sancta octo*; quod ibi repositũ est e collectione Canonum Deus dedit Cardinalis (hic inter Cardinales ascriptus fuit à Greg. VII. electo Pontifice an. 1073. Apr. 22. adeoque hanc professionem fuisse tunc etiam in more positam R. P. significat) quam seruari in Vaticana Bibliotheca tradit Decretum Gratiani emendatum, & Notationibus illustratum sub Greg. XIII. eiusdemque iussu postea editum ann. 1580. Cui Canoni se conformarunt Constantiensis Concilij Patres, qui sess. 39. ann. 1417. Octob. 9. præmittentes; *Quantò Romanus Pontifex eminentiori inter mortales fungitur Potestate, tantò clarioribus ipsum decet fulciri FIDEI vinculis, & Sacramentorum Ecclesiasticorum obseruandis ritibus alligari; eapropter, vt in futurum Romanis Pontificibus in suæ creationis primordijs, & singulari splendore luceat PLENA FIDES*, decreuerunt, vt antequam Summi Põtificis electio publicetur, coram suis electoribus publicè confessionem, & professionem faceret huiusmodi. *In nomine Sanctæ, & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. Anno a Natiuitate Domini millesimo &c. Ego N. electus in Papam omnipotenti Deo, cuius Ecclesiam suo præsidio regendam suscipio, & B. Petro Apostolorum Principi corde, & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere, & tenere Sanctam Fidem Catholicam secundum traditiones Apostolorum, Generalium Conciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum, maximè autem Sanctorum octo Conciliorum Vniuersalium, videlicet Primi Nicæni, Secundi Constantinopolitani, Tertij Ephesini, Quarti Chalcedonensis, Quinti, & Sexti Constantinopolitanorum, Septimi item Nicæni, Octaui quoque Constantinopolitani; nec non Lateranensis, Lugdunensis, & Viennensis Generalium etiam Conciliorum; Et illam fidem vsque ad vnum apicem immutilatam seruare, & vsque ad animam, & sanguinem confirmare, defensare, & prædicare: Ritum quoque pariter Sacramentorum Ecclesiasticorum Catholicæ Ecclesiæ tradi-*

traditum omnimodè prosequi, & obseruare. Hanc autem professionem, & confessionem meam per Notarium Scriniarium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ me iubente scriptam propria manu subscripsi, & tibi omnipotenti Deo pura mente, & deuota conscientia super tali altari &c. Sinceriter offero in præsentia talium &c. Datum &c. Similem professionem insserunt Patres Concilij Basileensis (hoc Concilium non est receptum a Catholicis omnibus Ecclesijs, nec simpliciter vnquam a Romana Sede probatum fuit) sess. 23. an. 1436. Mart. 25. iterumque sess. 37. an. 1439. Octob. 24. faciendam ab electo Pontifice, vbi electioni consensisset; In qua tamen addiderunt 1. *Constantiensis*, & *Basileensis* post ly *Viennensis* 2. *Iuro etiam prosequi celebrationem Conciliorum Generalium, & confirmationem Electionum iuxta decreta Sacri Concily Basileensis.* 3. *Polliceor etiam fideliter laborare pro tuitione Fidei Catholicæ, & extirpatione hære um, & errorum, reformatione morum, ac pace in populo Christiano.* 4. *Hanc professionem mea manu subscripsi, & tibi omnipotenti Deo, cui in die tremendi iudicij redditurus sum de hoc, & cunctis operibus meis rationem, pura mente super altare offero; quam in primo publico Consistorio solemniter repetam.* Deinde sic statuerunt. *Ne lapsu temporis*, hæc tam salubris institutio de memoria Summi Pontificis elabatur, singulis annis die, quo anniuersarium celebratur Electionis, vel Coronationis suæ, intra Missarum solemnia Primus Cardinalis, qui ibidem affuerit, publicè, & alta voce coram Summo Pontifice legat sic. *Sanctissime Pater, Attendat Sanctitas Tua, & diligenter consideret promissionem hanc, quam die electionis tuæ Deo fecisti.* Postea eam legens, in fine dicat. *Curet igitur Sanctitas Tua, pro honore Dei, & salute animæ suæ, & vtilitate Vniuersalis Ecclesiæ, prædicta omnia pro viribus obseruare, bona fide, sine dolo, & fraude. Recogites etiam, cuius vicem geras in terris, illius videlicet, qui animam suam pro ouibus suis posuit, qui ter, antequam oues suas Petro committeret, petijt, an ipsum diligeret; quique sicut iustus iudex, & quem nullum latet secretum, rationem a Te exiget omnium vsque ad minimum quadrantem. Memineris, quid B. Petrus, alijque sibi succedentes Pontifices fecerunt, qui nihil aliud cogitabant, nisi honorem Dei, propagationem fidei, publicum Ecclesiæ bonum, salutemque, & vtilitatem filiorum suorum; & tandem imitantes Magistrum, & Dominum, animas suas pro commendatis sibi ouibus exponere non dubitarunt. Noli tibi, aut tuis thesaurizare in terris, vbi tinea, & ærugo demolitur, vbi fures, & latrones effodiunt, sed thesauriza tibi in Cœlis. Non sis acceptor personarum, nec sanguinis, nec patriæ, nec nationis. Omnes filij Dei sunt, & Tuæ Curæ, & Custodiæ, pariter commissi. Dicas exemplo Christi* (Matth. 12. Marc. 3.) *qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ille meus frater, soror, & mater est. In distribuendis dignitatibus, & beneficijs, non carnem, non munera, non quid aliud temporale, sed solum Deum, & virtutes, atque hominum merita tibi proponas. In corrigendis excessibus Ecclesiasticorum exerce disciplinam, memor, quam gratiam Phinees, quam pœnam Heli, alter Dei iniurias vlciscendo, alter dissimulando, meruerunt. Pauperes autem, & miserabi-*

les personas defende, iuua, & sustenta. Ad omnes autem paternam habe charitatem. Licet istæ leges non obligent, quia communiter censentur la tæ a non habentibus potestatem, & non laudatę ab vllo R. P. qui solus communiter censetur habere potestatem ferendi, & approbandi leges Vniuersales, & peculiariter spectantes ad electionem, personamque Pontificis; ostendunt tamen, quàm eximia fides, & charitate feruens in R.P. requiratur. Hinc explorandum; An illi, qui euehendus ad summam Sedem proponitur, adsit scientia, nec vulgaris certè, Catholicorum dogmatū, & An eam veræ charitatis operibus exhibuerit viuam; An Catholicæ Fidei zelum præsetulerit in ea tuenda, ac propugnanda, voce, scriptis, opera; An profectò probabilem suspicandi materiam obtulerit, quod iam definitis contra hæreticos dogmatibus non adhæreat; aut in ea, vel leuiter, propensum se manifestauerit. Cauendum tamen a temerarijs suspicionibus; multòque magis a calumnijs, quas non boni planè Catholici contra optimos Catholicos non rarò adhibuerunt, adhibentque, eò quòd illis non arriserit horum vitæ, vel doctrinæ ratio, aut modò non arrideat. Ab illis certè non fuerunt immunes Viri sapientiæ, ac morum integritate conspicui; inter quos superiori etiam sæculo valde cōspicui Cardinales, & Legati quoque R.P. ad Tridentinum Concilium, ac superioribus sæculis complures Romani Pontifices, vt Ecclesiasticæ Historicæ, & Controuersiarum cum Apostolicæ, ac Romanæ Fidei hostibus periti norunt.

IV. Christus, cui interna Simonis fides, & charitas perspectissima erat, tū præsens, tum futura, antequā mutationem nominis in illo, *super quem, tanquam supra Petram, ædificaturus erat Ecclesiam* Matt. 16. vers. 18. designaret, Simonem fuit *intuitus*. Debent Cardinalibus exploratissimi esse mores illius, cui summam Dignitatem Ecclesiasticam sunt delaturi (quam cognitionem in Episcopo ordinando requisiuit Syric. Papa ep. 1. c. 9. ad Hymer. Tarrac. d. 77. c. 3.) ab adolescentia vsque ad maturam ætatem, ac deinceps; *An* præclarè, & cum proborum laude, se gesserit in quibuslibet Ecclesiasticis gradibus, ac muneribus ab Apostolica Sede illi demandatis; *An* a Luxuriæ, & Auaritiæ sordibus omnino alienus fuerit; *An* non infectus Ambitionis nefaria, ac importunissima peste; *An* amantissimus spiritualium Ecclesiæ Vniuersalis commodorum, ac legitimorum Romanæ Ecclesiæ iurium cōstans defensor; *An* frugalis victus, ac modestæ suppellectilis studiosus; *An* a molli in suos propensione remotus; *An* insignia fidei, & charitatis in proximum documenta dederit &c. Nec debent Cardinales contenti esse fama vulgari; hæc siquidem emanare potest ab hominibus, qui propter priuatas causas, nollent, aut vellent aliquem, vel aliquos ad Pontificatum euehi. Fallax illa sæpissimè: Et *MALA* quidem oriri potest de Viris probatissimis, & ad Pontificatum aptissimis ab hominibus maleuolis, maledicis, inuidis, & quibus præsens vitæ ratio, quam prosequitur Cardinalis, exprobratio ipsorum vitæ aperta sit, & quibus timor irrepsit, ne hic Pontifex electus in ipsorum reformationem

nem ſedulò incumberet; qui timor foret vehementior, ſi Cardinalis quandoque opus eſſe tali Reformatione indicaſſet; vel quibus perſuâſum eſt, haud fore in ſe beneuolum e peculiaribus circumſtātijs, & maximè, ſi iam in aliqua cauſa haud ſuum fautorem experti fuiſſent. Hi profectò optimum Cardinalem nota non leui, etiam in materia fidei, aſpergere queunt; a qua licet ſe purgaret, ſi tamen cicatricis veſtigium appareret, id remouere poſſet Electorum pro illo ſuffragium. Animus maleuolentia in aliquem ſuffuſus, ac immodicus ſui amor, calumniarum, nedum detractionum, fœcundiſſimi parentes ſunt. *PROBA* conſimiliter oriri poteſt ab hominibus; *tum* ſimplicibus, & fucatæ ſanctitatis, vel pietatis ſigna habentibus incomperta, nec hypocritas ſciētibus ſecernere a veræ ſanctitatis, ac pietatis cultoribus, ac homines illos ſanè ſpirituales cenſentibus, qui carnalibus vitijs non ſordent, licet ſpiritualibus ſint contaminatiſſimi; *tum* amiciſſimis, & ſua quærentibus, atque ſibi dominatum in Pontificatu pollicentibus. Et hi quidem Politici falſa (mendacij haud reos ſe eſſe putantes e Reſcrictionis Mentalis vſu, quem licitum ſibi, imò ad illum ſe teneri cenſere queunt ex vtilitate, quam inde ſe reportaturos ſperāt) de iſtius, quem Pontificatum aſſequi vehementer cupiunt, virtutibus narrare queunt, aliqua bene geſta mirum in modum exaggerare, apud Curiales, Principes, alioſque opinionem ſublimem de iſtius aptitudine ad Pontificia munera ſerere &c. Cum ſemper inter Cardinales ſint nonnulli, qui cēſentur vulgò Pontificatu digni, vel locum occupaturi viuentium Pontificum, vbi obierint; horum mores præ cæteris, a cautis, prouidiſque Cardinalibus, quam diligentiſſimè obſeruandi, ſemota prorſus qualibet praua animi affectione; atque ſi Vrbe non adſint (quidam enim conſultò ab ea recedunt, Epiſcopatum, etiam quandoque tenuem, petentes, vt Curialium oculis ſemet ſubducant, ac lynceis illorum obſeruationibus minimè ſint obnoxij) a fidelibus omnino viris, quique notitiam præbere poſſint exactam, Cardinalium huiuſmodi abſentium accipienda, publicarum, priuatarumque actionum; quæ ampliori digna erit fide, ſi a pluribus habeatur, qui haud ſint inter ſe amici, ſeu non probabile ſit, eos inter ſe conueniſſe, ac potiſſimùm nullam habuerint occaſionem Cardinales hoſce abſentes peculiari amore, vel odio, ſeu maleuolentia proſequendi.

Luc. 5. a verſ. 1. ad 12.

V. ASCENDIT Ieſus ſolummodò in Petri nauim; quem & priùs rogauerat a terra illam reducere puſillum; & in illa ſedens turbas docuit. In ſola Petri nauicula Chriſtus adeſt; ab illa, cuius Rector, & Gubernator eſt R. P. qui longè abeſt, haud Chriſti ſectator eſt, haud Chriſti doctrinam percipere poteſt.

Hæc

Hæc attendens R.P. secum reputabit *Primò*; Se instar Christi debere plura rogare,quam præcipere, libentiùs monere,quam imperare, dissimilem prorsus illis Pastoribus, de quibus conqueritur Deus apud Ezechiel. cap.34. vers.2. *Cum austeritate imperabatis eis*. Sic Christus in Euangelica lege plurima tradidit consilia, paucissima verò præcepta. Sic Apostolicum primum Concilium , quod censetur omnium Regula Conciliorum Generalium,tria duntaxat præcepta Gentilibus ad Christi fidem conuersis indixit Act. 15. vers.29. inter quæ postremum censetur etiam naturale. Quin nec suæ arbitretur detrahi Pontificiæ dignitati, si Principes roget, vt concedant, vel permittant, vel annuant, vt ipse, vel ipsius Nuncij, ac Ministri, aut alij Ecclesiastici nonnulla agant, ac statuant opportuna, vel etiam necessaria externo maximè Christi ouium regimini. Sit R.P. planè certus, eò plura se in Principum ditionibus impetraturum, quò magis a dominatu, ac imperio in ijsdem alienum se ostenderit; noueritque, magna saltem ex parte oriri Euangelicæ in populis, ac nominatim in Ecclesiasticis, dissolutionem disciplinæ,quæ in cōpluribus Prouincijs cuiq. obuia est, quòd penitus incōsultis Principibus Ecclesiastici Præsules absolutū quoddam dominium, quoad politiam externam Ecclesiasticam, in ipsorum ditionibus exercere velint; quorum opem, & patrocinium si implorarent, pijssimi Principes æquis illorum postulatis libentissimè obsecundarent. *Secundò*;ipsum meritò tunc censeri in naui cum Christo, ac Petro sedere, cum nihil loquitur, vel agit dissonum doctrinæ, ac moribus Christi, & Petri; atque tunc omnibus declarare, se in hac sedere naui, cum Euangelica populis verbo, atque exemplo proponit præcepta, & consilia. Existimabunt complures,haud R.P. in Petri sedere naui, aut non congruè,vel in eadem dormire, cum illius gubernaculum cōspicerent ineptè tractari,vel eam nō rectam tenere ad æternæ salutis portum viam, vel minimè idoneos remiges eamdem propellere,vel procellosis fluctibus, ventisque vehementibus hæresum, aut hæreticorum irrisionibus de Romano Pontificatu, suis prauis moribus expositam.

VI. Post auditam Christi concionem,quę certè fuit de spectantibus ad Regnum Dei, post auditam, ac executioni mandatam Christi vocem imperantis, vt *duceret in altum, & laxaret retia* sua in piscium *capturam*, Petrus cum tota nocte laborans nihil cæpisset, adeò copiosam eorum multitudinem rete comprehendit, vt rumperetur; quam certè nunquam sperauit. Si R.P. quæsierit in primis spectantia ad Regnum Dei in se,& in ouibus sibi commissis, seu in ea incubuerit, quæ ad salutem suam,ac Dominici gregis pertinent, Christoque mandanti Io.21. *Sequere me*, & *Pasce oues meas*, obsecutus fuerit; experietur, non tantùm se vltra spem Euangelicis retibus conclusisse animarum adeò vberem copiam, vt quasi rumpantur; verùm etiam temporalia, quorum acquisitionem haud sibi in animarum piscatione habebat propositam, adiuncta Ecclesiæ affluenter, deprehendet. Non potest non re ipsa comprobari illud Christi effatum Matth.6.vers.33. *Quærite primùm re-*

gnum

gnum Dei,& hæc omnia, non tantùm necessaria, aut valde opportuna victui, ac vestitui piscanti cum Petro animas, verùm etiam decora Pontificiæ Dignitati, *adijcientur*. Cur, quæso, R.P. superioribus sæculis, tam amplum pro sua sustentatione obtinuere a Principibus, populisque patrimonium; tot temporalium bonorum, quæ Ecclesijs fideles elargiti sunt, censentur esse supremi dispensatores; tot honores consecuti ab Imperatoribus, ac Regibus ipsis, quos & venerabundos ad suos pedes, vel pietatis, aut veniæ de aliquo crimine petendæ causa conspexerunt; in multis ex iure positiuo impetrarunt ab ijsdem, vt Clerus, qui est sibi peculiari nomine subiectus, esset immunis, a quibus laici non eximuntur; leges suas, imò & consilia, tanquam Diuina prorsus oracula, a feris quoque, ac ferreis nationibus haberi conspexere; nisi quia illorum mores, resque ab ijs gestæ indicabant clarissimè, non nisi animas Christo piscari, non temporalia sibi commoda lucrari, eos intendere? Vndenam verò ab aliquot iam sæculis minor obedientia, & obseruantia in R.P. (quæ vtinam in dies non augeatur) nisi quia eos non minùs, quam sæculares, sæcularia tractasse negotia; temporalibus curis potiùs, quam spiritualibus detentos; plus de D. Petri patrimonio, quam de regno Christi propagando, sollicitos; terrenisque rebus valdè addictos complures fuisse; Experientia luculenter testata fuit? Existimant Principes sæculares agendum cum P.R. potiùs quasi cum Principe sæculari, quam Ecclesiastico, cum magis videatur ipsis anxius circa sæcularia, quam spiritualia. Nec sanè vnquam pristina auctoritas Apostolicæ restituetur Sedi, nisi in ea sedentes minùs in temporalia semet propensos manifestauerint. Cum nihil fermè diuinum in R.P. temporalibus dedito agnoscunt Principes, & populi, sed ijsdem cupiditatibus, ijsdem animorum affectionibus agitari, quibus ipsi quoque agitantur, aiunt, non posse non agere cum R.P. nisi tanquã cum Principe ipsis persimili. In exteriore splendore, quem exhibet, sæculares multi Principes præstant, vel præstare R. P. possunt. Hisce apud eos auctoriras obtineri congruè nequit. Præclarè S.Greg. d.40. c.3. *Nos, qui præsumus, non ex locorum, vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec vrbium claritate, sed fidei puritate*; & Concil.4.Cartag.Patres 217.an.398.Nou.13. statuerunt (ac reponitur d.41.c.7.quod innouarunt Patres Trid.Conc. sess.25.c.1.) *Episcopus vilem supelectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat*; seu Episcopi *modesta supellectili, & mensa, ac frugali victu contenti sint* (sic interpretantur Patres Trid.Concil.) *& dignitatis suæ auctoritatem Fide, & Vitæ meritis quærat*. Stultissimi essent procul dubio, qui R. P. e vestibus, e domestico apparatu, ex aulicorum frequentia, e militum corona, ex auri, argentique copia æstimarét, vt indicat ipse etiam Sen. ep.42. nam Babylon quoque Ioannes vidit circumdatam Apoc. 18. vers. 16. *bysso, & purpura, & cocco, & deauratam auro, & lapide pretioso, & margaritis*, vt animaduertit *B.Petr.Dam.* lib.*6.ep.*15. nec horum hæredes reliquit S.Petrus R.P. qui *reliquerat omnia* Matth. 19. v.17. nec *habuit aurum*

rum, & argentum Act.3.v.6. nec Christus horum possessores illos constituit, qui mendicus fuit, & pauper, nudusque etiam obijt; Verùm insignis R.P. probitas est illa tantummodo, quæ allicere, imò compellere potest Principes, atque populos ad insueta quoque R.P. obsequia exhibenda, eorumq. munificentiam omninò excitandam. Sic de Hierusalem loquitur Sacer Codex 2. Machab.3. vers.1. *Igitur cum Sancta Ciuitas habitaretur in omni pace, leges adhuc optimæ custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem, & animos odio habentes mala, fiebat, vt & ipsi Reges, & Principes locum summo honore dignum ducerent, & templum maximis muneribus illustrarent; ita vt Seleucus Asiæ Rex de reditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.* Errarent profectò, & contra fidem ipsam, qui putarent, si R.P. admodum pij forent, & Curialium Romanorum animi odio acerbiori haberent mala, & optimæ leges a Generalibus Concilijs, & Romanis ipsismet Pontificibus latę custodirentur Romana in Vrbe diligentiùs, temporalia ad congruam eorum sustentationem a Deo, & Christo non subministranda. Lites equidem multæ de temporalibus in vtroque foro sopirentur; ac Principes quoque vel eas non intentarent, vel non persequerentur, vel etiam in Romanæ Curiæ fauorem ipsi a suis Magistratibus contestatas dirimerent.

VII. In Christi verbo *laxauit* Petrus retia. In Christi cõfidens ope e cælo suppeditanda, & ad eius iussum, seu iuxta modum a Christo præscriptum in hominum, siue animarum, piscatione, laxet Euangelicum rete R.P. Perspiciet admirabundus intra illud remotissimas, innumerasque gentes. Si autem in humanis omnino subsidijs spem reponat, aut media non adhibuerit consona Euangelicis præceptis, moribusque Christi, & Apostolorum in animarum piscatione, ac præsertim non Summum habuerit animarum zelum ad gloriam illius, qui eas creauit, ac redemit, emolumento quouis posthabito, quærendo eas, non quæ earum sunt; vel nullas, vel stolidas quasdam solùm animas capiet. Petrus hoc in loco quidem vers.10. designatur *piscator hominum*, non pecuniarum, non temporalium bonorum, vel commodorum. Permittit Deus, vt illi Euangelicum rete effugiant, vel etiam aliquando ab illo elabantur pisces, qui non condiendi sint pro cælesti mensa, sed potissimè piscatoribus futuri essent, vel interdum sunt in delicijs. Hi enimuerò non Christo piscantur, sed Christus ipsis potiùs piscator est, etsi illius nomine videantur ducere nauim in altum, & laxare retia.

VIII. Tenentur quidem animarum Pastores instar Petri, cum se satis non esse ad animarum regimen agnoscunt, annuere alijs, siue precibus, siue etiam congrui promissione stipendij, allicere alios, qui se adiuuēt. Sic enim *Innoc III.* cum Concilij Lateranensis Patribus quasi mille, ann. 1215. iussit Episcopos omnes, *Viros idoneos ad sanctæ prædicationis officium assumere, potentes in opere, & sermone, quæ plebes sibi commissas vice ipsorum (cum per se ijdem nequiuerint) solicitè visitantes, eas verbo ædificent, & exemplo* cap. *Inter cætera* de off. Iud. Ordin. Vbi & subiungitur;

gitur; *Præcipimus, tam in Cathedralibus, quàm in alijs Conuentualibus Ecclesijs, viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint Coadiutores, & Cooperatores habere, non solùm in prædicationis officio, verùm etiam in audiēdis confessionibus, & pœnitentijs iniungendis, & cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum.* Hunc Canonem quoad priorem partem innouanit Trid. Concil. sess. 4. c. 2. init. alia etiam decreta condens circa prædicationis ministerium; quæ sess. 24. c. 4. deinde aptiùs præsentium temporum vsui accommodando mandauit; Vt Episcopi *in Ecclesia sua ipsi per se, aut, si legitimè impediti fuerint, per eos, quos ad prædicationis munus assument; in alijs autem Ecclesijs per Parochos, siue ijs impeditis, per ab alios ab Episcopo, impensis eorum, qui eas præstare, vel tenentur, vel solent, deputandos in Ciuitate, aut in quacumque parte Diœcesis censebunt expedire, saltem omnibus Dominicis, & solemnibus diebus festis; tempore autem Ieiuniorum, Quadragesimæ, & Aduentus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, si ita oportere duxerint, Sacras Scripturas, Diuinamque legem annuncient, & aliàs quotiescumque id opportunè fieri posse iudicauerint.* Obseruandum autem est, C. *inter cætera* conditum fuisse, postquam idem *Innoc. III.* viuæ vocis oraculo *S. Francisci* Regulam approbauerat, concesseratque *S. Dominico*, eiusque socijs Ecclesiam S. Sixti Romæ, & ad Euangelicam prędicationem ipsum cum suis hortatus fuerat socijs, illos simpliciter vocans *Prædicatores*; horum verò, sicuti & *Minorum Ordines*, authenticè a *Clem. V.* cum Viennensis Concilij Patribus ann. 1311. Clem. 2. de sepult. declaratum fuit, esse *cooperatores Prælatorum quorumcumque, & Parochorum in prædicationis officio, & propositionibus verbi Dei, in confessionibus audiendis, similibusque ministerijs*; Quos in eodem munere subsecuti sunt Ordines *Heremitarum S. Augustini, Carmelitarum, Seruorum B. V.* alijque Mendicantes Fratres; ac superiori sæculo multæ Regularium Sacerdotum familiæ, & ante cæteros Clericorum Regularium, qui vulgò *Theatini* appellantur, ac mox *Societatis Iesu Patrum*, qui apertè, & amplè magis in vtraque Instituti sui Formula a *Paulo III.* ac *Iul. III.* approbata, quam cæterorum prius Ordinum Regula, & Constitutiones, declararunt ministeria in animarum salutem, ad quæ tenentur, ita vt nullum ferè sit opus Charitatis ad hunc finem, quod ipsi refugere possint: Vnde Episcopi, & Mendicantium, & Clericorum Regularium, ac potissimè Soc. Iesu Patrum opera vti possunt, ac debent, si Parochi desint, aut minùs idonei sint, aut magis habiles horum Ordinum Religiosi, quam sæculares, in prædicationibus, confessionibus, & alijs, quæ pertinent ad animarum salutem. Si autem Episcoporum est prædicationis munus præcipuum, vt aiunt ipsi quoque Trid. Conc. Patres init. c. 2. & cap. 4. iam allatis, ita vt difficillimè a lethali peccato excusari possint, qui illud non exerceant, si standum sit, non *S. Nazianz.* Orat. 1. Apol. *S. Chrysost.* Hom. 15. in Epist. 1. ad Timoth. *S. Prosp.* de Vit. Contempl. lib. 1. sed Apostolo 1. Timoth. c. 3. vers. 2. qui & 1. Corinth. c. 9. vers. 16. apertè inquit, *Si Euangelizauero, non est mihi gloria; necessitas enim mihi incum-*

bit; væ enim, mihi si non euangelizauero; Sed & Christo Matth. 28. vers. 15. erit etiam præ alijs pręcipuum R.P. Qui licet ab eo exercendo magis se immunem in præsentia existimare possit, quam Episcopi; præ istis tamen initi debet, vt per alios sanè idoneos exerceatur; & cum Gentium omnium (Petro siquidem peculiariter dictum fuit, *Prædica Euangelium omni creaturæ* Marc. 16. vers. 15. qui iam Pastor vniuersalis constitutus fuerat Ioan. 21.) seu vniuersi mundi conuersio R.P. demandata sit, siue ab infidelitate, siue ab hæresi, siue a vitijs; nec satis sint ad id Episcopi, qui *in partem solicitudinis pastoralis*, quam ipse vniuersalem habet, *vocati sunt* c. 4. de Auct. & vs. Pal. & Parochi, qui in partem propriæ ipsorum solicitudinis vocantur; ad Prouincias gentilismo, hæresi, schismate, ac vitijs infectas grauibus, a quibus haud exemptæ sunt Catholicæ, mittat Viros integræ omnino vitæ, ac doctrinæ, & qui habiles sint ad homines Christiana, Catholicaque fide imbuendos, & a criminibus reuocandos; iubeatq. seuerè, (ipsius enim est, vt Summi Sacrorum Principis, omni studio contendere, vt cæteri Vrbium sacris præfecti speculatores agant, & vigiles ad ouilis Christiani custodiam sibi demandatam, Gregemque Dominicum cælestibus recreent pascuis; ad hoc enim mittuntur a R. P. vt Episcopi ab Atheniensibus, vt docet *Octau. Boldon.* Episc. Thean. in Epigr. p. 115.) Episcopos hoc idem præstare in suis Diœcesibus iuxta decretum Concil. Later. ac Trid. Et cum non sola prędicatio, sed & aliorum ministratio Sacramentorū ad æternam hominum salutem necessaria sit, quæ etiam primò ad R. P. spectat, cui indictū est, *Pasce oues meas*, sicuti Petro; habiles pariter illorū Ministri sui loco substituendi sunt, ac spiritualis suæ iurisdictionis pars eis concedēda, atque, ne illius impediatur vsus illegitimè ob quorumdā auaritiam, vel inuidiam, omninò elaborandum: Quin etiam si Episcopi forēt desides in consulendo suis gregibus per idoneos Prædicationis, Confessionis, &c. Ministros, & adhuc id omitterent moniti, tenetur ipse eorum supplere negligentiam, delegando iurisdictionem suam in spiritualibus illis, quos ea prudenter, ac fideliter vsuros arbitraretur. Et Diuina quidem prouidentia ipsi in primis, vt Supremo animarum piscatori (Singillatim enim Christus dixit Petro vers. 10. *Ex hoc iam homines eris capiens*) socios in piscatione destinauit peculiares quosdam Ordines, qui vel e suorum Fundatorum, Maiorumq. praxi, vel e Regula, vel Constitutionibus suis tenentur Vacare animarum saluti, ministeria exercendo spiritualia, ac ipsi R. P. tenentur potissimùm parere in ijs, quæ ad animarum salutem, & Christianam perfectionem procurandam attinent; quales sunt nominatim Benedictinorum Monachorum, Fratrum Mendicantium, Canonicorum, atque Clericorum Regularium, & maximè Societatis Iesu; de quibus cunctis aliàs seorsim agendum est; Quorum Generalibus Præfectis iure potest ipsemet pręcipere, vt in singulos annos sibi, vel *Sacræ Congregationi de Propaganda Fide*, quosdam selectæ probitatis, ac eruditionis offerant, Cameræ etiam Apostolicæ sumptibus (qui magis laudabiliter in hoc insumuntur,

tur, quàm in quibusdam alijs) dum aliunde necessaria ad iter, ac mittendorum alimenta non suppeterent, mittendos in Prouincias Gentilium, Hæreticorum, ac etiam Catholicorũ ad Fidem, ac pietatem propagandam; Qui si offerãtur pauci, vel si oblati non sint re vera propter defectũ in moribus, aut doctrina habiles, vel si habiles ex ætate, ac eruditione, non se promptos, & alacres ostẽdant ad hasce Missiones; argumento id erit certissimo, in ijs Ordinibus non institui homines (contra finem ipsis propositum) in tali pietate, ac scientia, vt tandem, si annuat R.P. possint ipsi in animarum piscatione, & captura esse socij; neque enim hæc certis lacubus, vel fluuijs, vel maribus circumscribitur, in Religionibus præsertim Mendicantibus, & Clericis Regularibus, ac nominatim in Societ. Iesu, cuius Professi quatuor Votorum non ex voto obedientiæ tantùm, sicuti alij ex eadem Societate, & ex ordinibus maximè Mendicantibus, sed peculiari voto obligant se R.P. ad Missiones in quibusuis mundi plagis, & eo plane modo, qui ipsi arriserit. Sed de his, vt dictum, alias. Si est potissimè R.P. cum videt, *Messim quidem multam, operarios autem paucos, rogare Dominum messis* Matt. 9. vers. 37. 38. Luc. 10. vers. 2.) *vt mittat operarios in vineam suam*, & multò æquiùs id facturus est, si regiones sint *magis siccæ ad ignem, quam albæ ad messem* (vt loquitur *S. Bern.* lib. 2. de Consid. ad Eug.) atq. in Domini agro tritici, salubriumque fructuum, & suauium florum loco apparere perspexerit paleas, vepres, glandes, poma Sodomiticis persimilia, flores teterrimum, ac veneficum odorem afflantes; tunc enim ipse, tanquam Villicus in agro Domini constitutus, Apostolicam falcem adhibere debet, & sarculum ad purgandas segetes a zizanijs, & aratrum circumducere, cuius vomere terra germinans vepres infidelitatis, hæresis, ac peccati, frugifera, ac fructuosa reddatur *tritici in Domini horreo* (Matt. 13. vers. 30.) *congregandi*; An non tenebitur consimiliter Operarios iam cælitus missos ad excolendum, purgandumque, ac serendum Domini agrum, qui *Vniuersus* est *mundus* Mar. 16. vers. 15. ad idem admouere opus? Id optimi Pontifices egerunt semper, imitantes peculiariter *S. Gregorum*, qui *S. Augustinum*, aliosque Monachos e *S. Benedicti* Ordine in Angliam misit; nec vnquam non agent, e Mendicantibus maximè seligentes, qui Reformatis nomen dederunt, ac præ cæteris Patribus Soc. Professos quatuor Votorum, quorum ingens est a multis annis in Societate Iesu numerus; hi enim omnes debent esse paratissimi ad sui executionem Voti, adeoque ad dimittenda commoda, quibus fruuntur in Domibus, & Collegijs: Quin etiam prouidi P.R. etiã si Clerici Seculares, vel Regulares in aliquibus Prouincijs degẽtes iam, qui non satis ibi ad animarum culturam forent, non annuerent alijs, vt se, non dissentiente R.P. adiuuarent, debent vltro socios in Apostolico labore illuc allegare. Sic *Clem. VIII.* ann. 1600. Decemb. 12. (est Bulla 74. in Bull.) cum *Greg. XIII.* ann. 1585. Ianuar. 28. Vetuisset, ne præter Religiosos Soc. Iesu vllus Sacerdos, vel Minister Ecclesiasticus, tam sæcularis, quàm cuiusuis Ordinis Regularis, quicunque foret, ad

Regiones,& Prouincias Iaponum Euangelij prædicandi causa, vel doctrinam Christianam docendi, aut Sacramenta ministrandi, aliaue munia Ecclesiastica obeundi causa, sine sua, & Sedis Apostolicæ expressa licentia proficisci auderet;& a Rege Catholico accepisset, tam Chinæ, & Iaponum, quam alias illis vicinas,& adiacentes Insulas, Regiones,& Prouincias, ac finitima regna Indiæ Orientalis amplissima, & populis refertissima esse, ac pro tanta animarum multitudine ad Fidem Catholicam traducenda,& spiritualibus alimentis fouenda plures operarios, ac ministros opus esse, quam e sola Religiosorum Societate Iesu haberi possint; Concessit *omnibus Mendicantium Ordinum Generalibus, vt cum necessitas postularet, quoslibet sui Ordinis spectatæ vitæ, & eruditionis Religiosos in Indias transmittere possent* &c. Et *Paulus V.* an. 1608. Iun. 11. (est 90. in Bull.) idem confirmans, indulsit Superioribus Mendicantium Ordinum, vt liceret suos Religiosos etiam per aliam viam, quam per Lusitaniam, ad Iaponicas, & alias Indiarum Orientalium regiones transmittere prædicandi, aut Christianam fidem docendi causa &c. Qui secus agerent, haud verè sincerum præseferrent animarum zelum, sed potiùs aliquod sibi emolumentum sibi præfixisse declararent; oppidò non imitatores essent Petri, qui cum socijs annuit alijs, vt venirent, & se in piscium captura adiuuarent.

Matt.4.vers.16.19.20. Marc.c.1. vers.6.7.8.

IX. SÆpissimè Christus concionabatur ad mare, cum magna ibi adesse soleret hominum frequentia mercaturæ causa, eorumque communiter ignobilium, ac magna saltem ex parte pauperum. Qui vult Christum imitari Euangelicus Concionator, non minùs enimuero ignobiles, ac pauperes, quam nobiles, ac diuites Euangelica imbuere disciplina conari debet, quin etiam illos vltro quærere; siquidem eos habebit attentiores, & obsequentiores, ac ex ijs vberiorem, quem intendit fructum, reportabit. Qui in Ciuitatibus tantùm,& ad selectos homines conciones habere vult, haud Euangelicus Concionator est, haud Christi imitator, qui per *vicos*, & *Castella* quoque *in circuitu* docebat Marc.1.vers.38. & 6.vers.6. atque Apostolorum, qui iuxta Christi mandatum Marc.16. vers.19. *omni creaturæ Euangelium prædicarunt*. Equidem R.P. enitendum est, vt qui morantur in vicis, villis, alijsque locis quibuslibet a Ciuitatibus remotis, fidei mysterijs imbuantur, verbo Dei, & Sacramentis fruantur; Nam sunt plurimi, qui petunt panem vitæ, aut eo indigent, & non est, qui frangat eis: Quamobrem missiones identidem per Catholicas omnes Prouincias instituat, vel institui a quibuslibet Episcopis omninò iubeat,

seli-

feligatque, aut feligi præcipiat viros ad huiufmodi hominum in Christiana vita, ac doctrina inftitutionem idoneos, ampla etiam illis, circa Confeffionis Sacramentum maximè, facultate conceffa: Et cum peculiare fit Patrum Soc. Iefu inftitutum, *pueros, ac rudes in Chriftianifmo inftituere*, & cuique Verbi Dei, atque Sacramentorum minifterio nulli plane addictos loco vacare (vt paulò ante fignificatum) hofce, & Profeffos Quatuor Votorum inter cæteros, mittat Apoftolico more circumeuntes Diæcefes quaslibet. Ipfe autem R. P. aditum ad fe non minus fæpè præbeat ignobilibus, ac pauperibus, quam nobiliffimis, ac ditiffimis, imo per fe potiùs illis, quam iftis; Nam non rarò illi ab audientia excluduntur primariorum Curialium Virorum, vel non nifi fumma cum difficultate, temporifque difpendio, audiuntur, ac non rarò ita breui, vt non fuas fatis calamitates, vel caufas exponere queant; quin etiam, cum non habent, quod dent, vel quod amplius expendant, ab Iudicibus, vel ab ijs, cum quibus lites exercent, opprimuntur iuxta c.72.11.q.3. *Pauper, dum non habet, quod offerat, non folùm audiri contemnitur, fed etiam contra veritatem opprimitur. Citò violatur auro iuftitia; nullamque reus pertimefcit culpam, quam redimere nummis exiftimat*. Viduarum, pupillorum, pauperum oppreflorum, omnium denique miferabilium perfonarum Romana Ecclefia fe tutricem, ac patronam, nec femel in facris Canonibus declarat; præterquam eft cuiuslibet prorfus Epifcopi, vt fignificauit etiam antiquæ praxi, & doctrinæ SS. Patrum d.84.c.1.d.86. c.6.d.87.c.1.2.4.7.8. innitens Trident. Concil. feff.23. init.c.1. *pauperum, aliarumque miferabilium perfonarum curam paternam gerere*. Hinc meritiffimò S. Bern. lib.4. de Confid. inter cætera elogia hoc R. P. tribuit, quod fit *refugium oppreflorum, pauperum aduocatus, miferorum fpes, tutor pupillorum, iudex viduarum &c.* Hinc Patres Conc. Bafil. feff.23. ftatuerunt. *Cum ad ipfum, tanquam communem Patrem, vndique homines confugiant, audiri fe ab omnibus facilè permittat. Vnam ergo faltem in hebdomadam diem pro publica ftatuat audientia, in qua omnes, præfertim pauperes, & oppreffos, patienter, & benignè audiat, & quantùm cum Deo poteft, exaudiat, omnibufque, ficut Pater filijs, prout cuique opus fuerit, iuxta vires confilio, & auxilio prouideat benignè; & fi corporali neceffitate impeditus fuerit, alicui, vel Cardinali, vel alteri infigni Viro omnia fibi relaturo, committat; omnibufq. Curiæ officialibus iubeat, præfertim Vicecancellario, Pœnitentiario, & Camerario, vt ipfos pauperes citò, gratifque expediant, memor Apoftolicæ Charitatis, qua Petrus, & Paulus* (Gal.2, verf.10.) *inuicem dexteras dederunt, vt pauperum memores effent*; Additque Paulus ibidem, fe *follicitum fuiffe, hoc ipfum facere*. Equidem cum 2.q.6.c.8. ex ep.1. *Zephyr.* Papæ Martyris 26. Augufti legatur, *Ad R.E. ab omnibus, maximè tamen ab oppreffis, appellandum eft, & concurrendum, quafi ad Matrem, cuius vberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & a fuis oppreffionibus releuentur; quia non poteft, nec debet Mater obliuifci filium fuum*; addatque *Ioan.22.* init.c. Vn. de Sent. Excom. edito an.1316. Dec.10. S.R.E. *Matris*

vbera

vbera esse refecta dulcedine, ac ad R.P. *clementiam*, *tanquam ad Patris plenam prouidentia pietatem*, orbem terrarum, & qui habitant in eo gratiarum spe assiduè confluere vniuersos; si R.P. facilè permitteret, se ab omnibus adiri, & saltem in mensē duos pro publica statueret audientia dies; O quot oppressos audiret iniquissimè prorsus in ipsamet Curia, & alibi, ab Ecclesiasticis Iudicibus, & Prælatis, Regularibus quoque; quibus ipse, vt clementissimus Pater, vnaque mater *habens vbera dulcedine plena*, consuleret profectò, & a suis oppressionibus releuaret! Innumeri sunt, qui a potentioribus opprimūtur; eò quòd quorumdam opera fieri sciant, ne R.P. illos audiāt, vel audire velint, falsis, vel exaggeratis suggestionibus eorum animis preoccupatis; aut nonnisi selectis præberi aditum ad R.P. iuxta placitum quorumdam &c. Christus certè se familiarem omnibus, ac nominatim plebeis hominibus, præbuit, miracula omnibus exhibuit, omnes sanando &c. Nec Petrus Christo fuit dissimilis.

X. Cum Christus voluerit suos sectatores in primis mites, & humiles corde, sicut ipsemet Matth. 11. vers. 29. elegit illos, ac præcipuos, & quibus postea etiam peculiaria beneuolentiæ signa exhibuit, e piscatorum genere; quod cōstare solet ex ignobilioribus, ac pauperioribus: Etenim Nobiles, Diuites, ac Potentes solent esse superbi; quin etiam contumeliosi ex Aristotele ipso 2. Rhetor. c. 15. 16. 17. ac experientia teste rerum magistra; E qua illud etiam apertè constat, vbi his Ecclesiasticæ dignitates, Ecclesiasticaque beneficia conferri cæpere; mirificè in Ecclesiasticis superbiam fuisse propagatam. Quamobrem cum etiam è S. Greg. ad Ioan. Episc. Rauen. d. 100. C. *Non multum*, & C. *Contra morem* habeatur, *Humilitatem esse solam officij Sacerdotalis erectionem, & nihil in Episcopali ceruice splendidiùs fulgere, quam humilitatem*; ac præterea Trid. Concil. Patres sess. 25. c. 1. init. Episcopos omnes, atque Cardinales monuerint, *mores suos ita componere, vt reliqui ab eis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, & quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ Humilitatis exempla petere possint*; Ecclesiasticę Dignitates haud tribuendæ Nobilibus, Diuitibus, ac Potentibus, nisi prius Christianæ humilitatis præclara dederint argumenta. Sic *Ioan. Caram.* in Regul. S Ben. n. 450. ad c. 60. Reg. cui titulus, *De Sacerdotibus, qui voluerint in Monasterio habitare*, inquit; *Ne admittantur seniores, aut dignitate, aut substantia, aut sanguine excellentes, ni priùs exhibuerint specimen humilitatis. Nobiliores difficiliùs sunt humiles. Plus damni exemplo, & persuasione infert, qui pollet auctoritate nobiliore. Illorum, qui eminent, operationes millenis oculis respiciunt vniuersi, imò ad eorum imperium componuntur.* Vnde & *Orland.* tom. 1. Hist. Soc. Iesu lib. 9. n. 83. vbi narrauit, e duobus Nobilibus, qui in Societatem admissi fuerant, a *S. Ignatio* alterum fuisse dimissum, abijsse alterum, subdit, hinc declarari, *Quanti tandem consilij sit Principibus Viris Religiosos Ordines aperire, & quanto sit moderanda fræno Nobilitatis adlegendæ cupiditas, cuius adeo notabilis, vel ad decus, vel ad turpitudinem exitus est*; præmiserat verò, *B. Patrem*

ex

ex ijs, qui Nobilitate Generis, humaniſque donis inſigniter præcellebant, ſingularia quoque Religioſæ diſciplinæ exempla poſtulaſſe, quòd reſidens ille ex fulgore ſæculi ſplendor Religioſis in cœtibus in eam partem, ad quam acceſſerit, momentum afferat maximum; Et ante *Orland.* inquit *Maff.* c.6. lib. 3. Vit. *S.Ign.* eos, quos admiſiſſet Generis Nobilitate pręſtantes, maximè ante cæteros continuiſſe in diſciplina, *quippe quorum dicta, factaue*, ſubdit, *ad* omnes partes *valeant plurimùm*; & adhuc priùs *P.Claud.Aquau.* Præp. Gener. eiuſdem Soc. in litt. de Fel. Progr. Societ. an.1581.n.13. tradit. *B.Ignatium* miris mortificationibus ſuos exercuiſſe, *eòque magis, quò inſigniores* &c. Cum igitur *Superbia* ſit Vitium naturæ Nobilium omnino inſitum (de qua re *Tiraq.* eruditè c.23. de Nobil.) atque in Eccleſiaſticis, & potiſſimè Primarijs fulgere debeat *Humilitas*, quam verbo, & exemplo in primis docuit Chriſtus Matth. 18. init. Marc.9. a v. 33. Luc.9. a v.46. ita vt, qui maior eſſet *Dignitate*, maior quoque foret *Humilitate* Matth. 20. a v.25. Marc.10. a v.4. Luc.22. a v.25. Ioan.13. Ignobiles Honoribus, Reditibuſque Eccleſiaſticis potiùs decorandi *per ſe*; quæ vox conſultò additur; quia *cæteris paribus* Nobiles Ignobilibus præferendi (imò hi etiam præferendi, ſi ſint idonei, licet illi præcellerent pietate, vel doctrina, ſi Eccleſia verè Nobilium opera, & auctoritate indigeat, nec Clerus, vel Populus facilè ſe regi ſinat ab Ignobilibus Prælatis) vt ſapienter cum quibuſdam Canoniſtis idem *Tiraq.* c.20. n.17. interpretatur quoſdam Canones, & complurium Canoniſtarum ſententiam de anteponendis Nobilibus in beneficijs, ac in eorum etiam multitudine diſpenſanda, ac in electionibus Dignitatum ſpiritualium: Aiunt tamen omnes, irritum eſſe ſtatutum, vel conſuetudinem de non admittendis in Canonicos Eccleſiæ, niſi Nobilibus, c.pen. de Præb. quod c. conditum fuit a *Greg.IX.* e gente Signinia ex Comitibus, ſicut & eius Auunculus Innoc. III. quæ fuit, eſtque modò inter Romanas Nobiliſſima. In ipſamet nominatim R. P. electione ad proſapiæ obſcurum nomen haud eſt attendendum, ſicuti nec Chriſtus attendit in conſtituendo Petro. Succeſſor eſt R.P. piſcatoris; & hoc Damaſo in memoriam reuocat S.Hieron. in ep. ad illum, inquiens, *Cum ſucceſſore piſcatoris, & diſcipulo Crucis loquor* 24. q.1. c.25. vbi Gloſ. verb. *Inuidia* refert, cum duo certarent de electione, & vnus allegaret nobilitatem alterius, aliū ex aduerſo reſpondiſſe, *Piſcatori Petro, fabri filio ſucceſſorem quærimus, non Auguſto. Nobilitas faſtum; faſtus litem parit, armat. Lis odium: capiunt hæc tria mortis iter.* Qui hoc ſuperbiæ vitio laboraret, licet in quibuſdam alijs excelleret reddentibus illum Pontificatu dignum, haud Cardinalium ſuffragijs dignus eſt; cum enim Pontificia Maieſtas modò amplam ſuperbiendi materiam ſuppeditet ex opibus, potentia, ac honoribus, qui illi deferuntur; hominem exigit potiùs in vera humilitate inſignem. Superbus enimuerò Pontifex nunquam aptè Eccleſię nauim reget, imò naufragij periculo (ab illo tamen ſemper immunis erit, ad illius gubernaculum ſemper ſedente Supremo Nauclero Chriſto Matth. 16. verſ. 18.

& 28.

& 28. in fin.) illam exponet; Nam aliorum consilia detrectabit; dominatum haud paternum exercebit; quælibet a se facta, vel dicta, tanquam diuina haberi oracula, ac e diuino emanantia afflatu haberi cõtendet; illis insistet amplificandis, quæ ad suam spectant externam maiestatem; cum sæcularibus Principibus non humaniter aget, illosque non rarò parum beneuolos Apostolicæ Sedi reddet, & quandoque contra se irritabit; ac re ipsa poterit etiam declarare, ab eorum planè assentatorum se non recedere sententia, quæ Dominum totius Orbis, & maximè Christiani, in temporalibus ipsis Romanum Pontificem constituunt.

XI. Si velit R.P. esse re ipsa hominum piscator instar Petri, necesse est, vt veniat post Christum, seu sequatur Christum, seu Christi insistat vestigijs. At qui sequitur Christum, debet *tollere Crucem suam* Matth. 10.v.38. (& *quotidiè* Luc.9 v.23.) seu Luc.14.v.27. *Crucem suam baiulare, & abnegare se ipsum* Matth.16.v.v4. Marc.8.v.34. hoc est, debet semper esse paratus ad subeundam mortem etiam Crucis, instar Petri, & Andreæ, pro Christo, seu pro Ecclesia, ouibusque Christi; nullamque mortalis huius vitæ rationem habere, vt Deo viuat, gratiam semper diuinam, quæ vita est animæ rationalis, prauis, insitisque animi cupiditatibus præferens. Nec vnquam dicetur Chr stum sequi ille R. P. qui *amat Patrem, aut Matrem, filium, aut filiam* Matth.10. v.37. *plusquam Christum*, siue etiam *non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem, & animam suam* Luc.14. vers.26. hoc est commoda sua, & suorum non anteponit Christo, eiusque Euangelicæ doctrinæ; nunquam enim ab horum amore debet se pertrahi sinere, vt peccatum vllum, etiam veniale, in genere etiam scãdali, quod Christo certè displicet, vnquam patret. Cum autem R. P. a palatio suo, & ab Vrbe saltem, relegaret illos, quos nouisset, aut etiam non omnino temerè suspicaretur vitæ insidiari suæ; multò æquiùs id præstabit contra eos, qui saluti suæ, quin etiam famæ, & honori, insidiarentur; qui plerumque sunt domestici, hoc est, præ cæteris consanguinei, & affines; hi enim sunt frequentissimè capitales illius hostes, qui hortantur, vel suauiter etiam cogunt R. P. ad agenda quædam Diuinæ aduersantia legi, vel vniuersali Ecclesiæ admodum perniciosa, populisque valde scandalosa, retrahuntque ab ijs, quæ sunt Pontificij muneris propria, ac ex Pastorali officio prorsus debentur. Solent cognati P.R. ex illis nonnisi honorem suum, aut vtilitatem suam quærere, instar Christi cognatorum Ioan.7.v.3. reprehendentibus simul, & hortãtibus Christum, vt iret Hierosolymam ibi miracula facturus, tanquam in celeberrimo loco; minus decorum siquidem putabant sibi, quod ea faceret in Galilæa, loco scilicet occulto; Notat autem ibi v.5. *Sanctus Ioannes*, cognatos Christi nondum *in eum credidisse*; Vtinamque perfectè credant in Christum Cognati R. P. Quod profectò eueniret, si existimarent, Pontificatum esse a Christo institutum, vt ipsos amplificet in reditibus, honoribusque, & non vnicè ad omnium prorsus animarum

marum directionem in æternæ salutis viam per media a Christo instituta; illudque summo curarent studio e Pontificatu; quod non consequerētur planè, nisi a Pastoralibus curis R.P. animum speciosis quibusdam titulis carni, & sanguini sapidis auerterent. Si non est R.P. ea præditus virtute, quæ fulsit iam in *Clement. IV. Cælestino V. Bened. XII. Vrb. V. Adrian. VI.* inter quos *Primus* vni filiæ (susceperat enim iam e legitimo matrimonio duas) Monasterium adire volenti pro dote e suo patrimonio triginta paruos Turonenses; alteri nubenti trecētas libras Turonenses pro dote constituit; ac nepotem e tribus beneficijs, quæ a Galliæ Episcopis acceperat, duo dimittere iussit, nec aliam ei dignitatem concessit; *Secundus* vix beneficiolum simplex ad vitæ sustentationē Nepoti cōcessit; *Tertius* agnatum tātummodo vnicū suum, Cardinalibus id enixè petentibus, ac dignissimum, Arelatensi Ecclesiæ præfecit, ac vnicam Neptem mutui tradidit cuiusdam simplicis Tholosæ mercatoris filio; *Quartus* non nisi duos e suis inferioribus Ecclesiasticis dignitatibus decorauit; alijs autem, etsi idoneis, nōnisi beneficia quædā simplicia, ac tenuia elargitus fuit; nec Patrem suum a Galliarum Rege reditibus vllis ditari permisit, ac nepotem vnicum matrimonium inire voluit cum filia mercatoris cuiusdam Montispessulani hominis valdè rudis; *Quintus* patruelis filium, cum Senis studijs vacans Romam concessisset, illicò Senas remisit sine vllo prorsus munere; & consanguinitate quosdam sibi iunctos, cum e Germania Romam petijssent, mediocri viatico instructos, & sago lineo donatos, pedites in locum, e quo discesserant, reuerti mandauit: *Saltem* non ditet R. P. consanguineos e superfluis suæ sustentationi congruæ in vsus pios cætera erogandis: *Saltem* ijs Ecclesiasticas Dignitates, & maximè primarias, non conferat, nisi valde idonei sint; de quo sensum suum habeat suspectum, sicuti & aulicorum quorumdam, ac externorum, qui propriæ consulunt, non vniuersalis Ecclesiæ, vtilitati, nec Pontificis ipsius saluti, & gloriæ, illi in cælis, huic in terris quoque; in discrimen enim ambæ manifestum adducuntur, cum *ædificat Sion in sanguinibus, & Hierusalem in iniquitate* Mich. 3. v. 9. Sed quærat proborū, fideliumq. Virorum testimonium, etiā iuratum, cum de re grauissima agatur; ac per similes viros enitatur certiorem fieri de illorum actionibus, & maximè si partem regiminis, vel spiritualis, vel temporalis illis concesserit; fieri siquidem facillimè potest, vt incongruè illam exerceant propter defectum prudentiæ, vel intelligentiæ, vel ambitionem, auaritiam, munerum (quæ omnino seuerissimè interdicenda quorumcumque) receptionem, iniustitiæ frequenter parentem, nimiamque auctoritatem, quam sibi vindicant, spemque conceptam de impunitate propter summè beneuolum in ipsos R. P. *Saltem* errata consanguineorum cum populorum grauamine, ac offensione, quæ a fide dignis acceperit (erraret, peccaretque nec leuiter, si non beneuolè exciperet hæc fideliter narrantes, cum potiùs essent præmijs afficiendi) non dissimulet, sed corripiat primò; atque, si se non emendauerint, partem illam regiminis illis omnino subtrahat, & pro

 ut ibi

delicti etiam grauitate eosdem puniat, & acriùs etiam, quam alios, qui in idem incidissent crimen, cum propter cognationem, quam habent cum Pontifice, qui est Ecclesiæ Sponsus, ac Pater omnium vniuersalis, & peculiari nomine Romani Populi, aliorumque Populorum immediatè Romanæ Ecclesiæ subiectorum, teneantur ante alios commodis Ecclesiæ spiritualibus, ac temporalibus potissimè populorum, qui subsunt Apostolicæ Sedi, omni studio consulere; atque si illos velut tyrannicum perspexerit exercuisse dominatum, ac nonnulla egisse suæ voluntati penitus aduersantia, e conspectu suo, & ab Vrbe remoueat, ac in certum releget locum &c. Ni hoc egerit, ac leuissimè illos delinquentes grauissimè punierit, ac in ijsdem detinuerit officijs, nemo non dicet, eorum R.P. criminum esse prorsus participem, talemque regendi rationem illi omnino arridere: *Saltem* non permittat, se ita clausum in cubiculo a consanguineis detineri, vt cogatur tantùm scire, quæ illi loquuntur, nolintque cuiquam patere accessum ad Pontificem, nisi noto sibi, & quem non suspicentur ingrata sibi ad Pontificem relaturum, cum tamen vltrò admittendos iubeant, qui ipsorum honores, ac opes sint promoturi: Quod vt vitet, sæpè in omnium conspectu positus, omnes audiat. Nimis damnosa est Ecclesiæ nimius R. P. in cognatos suos amor. Ipsemet Greg. VII. c. *Peruenit* 1. q. 3. atque 16. q. 7. inquit, *eße grauius, decimas, atque oblationes dare consanguineis, quam militibus, aut seruitoribus*, cum facilior possit excessus, ac diuturnior voluntas esse sic illos ditandi. Importunus est, ac vehementer flexibilis hic amor, qui cum R.P. animo insederit, ab illo sponsæ, idest Ecclesiæ, amorem procul dubio repellet; quin etiam quandoque illam *dote sua* priuabit, & *patrimonio Crucifixum*, vt loquitur *Bern.* lib. 4. de Consid. vtrumque largiter consanguineis tribuens; nec vllatenus laborabit, vt *Regina* Ecclesia Psal. 44. v. 18. *assistat* Christo, qui eam R.P. desponsauit, *circumdata* virtutum *varietate in vestitu* Charitatis in Christum ipsum *inaurato*; sed gracilis potiùs, & squallida, siue plurimorum in filijs suis sordida vitiorum cœno Catholicis, & non Catholicis apparebit. Morbum hunc paulò minùs, quàm læthalem, quo iam cæperat Ecclesia laborare, vehementer, & multis deplorat *Alu. ir. Pelag.* ex Ord. Min. Pœnitentiarius *Ioan.* 22. mox Episcopus Syluensis in Lusitania lib. 2. de Planctu Ecclesiæ artic. 15. & sequ. præsertim L.M. qui cupit, Omnes Prælatos (ac potissimè R.P.) memori mēte semper euoluere illa Dauidis verba; *Quæ vtilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Verùm hęc non attenderent illi, quorum *Dij essent*, vt idem scribit, *nepotuli, & alij consanguinei, ipsos supra, & contra Deum diligerent &c.* quorum amor ita illos obcæcare potest, vt Diuinæ, Naturalisque legis lucem non intueantur, vel in terra adeo defixos detineat illos, vt ad cælum, seu Beatorum Sedem non conuertant; a qua cæli Claiger S. Petrus excludet prorsus, & cum indignatione eos, qui sibi in honore successores, non successerint in sequela Christi, carnalem nominatim amorem in suos dimittentes, instar ipsius, qui etiam *S. Petronillæ* filiæ pro dote paralysim

ſim,cum alijs vitam quoque ipſam reſtituerit, tradidiſſe fertur. Omnis R.P. qui velit Chriſtum ſequi,debet dicere cum Chriſto Matth. 12. v.48.& 50. *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei? Quicumque fecerit voluntatem Patris,qui in cælis eſt,ille meus frater, ſoror, & mater eſt,* multòque magis *nepos*. Vnde S. Ambroſ. in c.8.Luc. *Nec iniuriosè refutantur parentes, ſed religioſiores copulæ mentium docentur eſſe, quam corporum; & Chriſtus paternis ſe myſterijs ampliùs, quam maternis affectibus debere cognoſcit*. Caueat verò ſollicitè is, qui initio Pontificatus ſe eſſe alterum profiteretur Melchiſedechum abſque genealogia, nullos planè conſanguineos ſe habere dictitans, ne illos, & multos, deinde ad ſe accerſeret, eos præficeret ſpiritualibus, ac temporalibus curis, eorum crimina diſſimularet, aut leuiter corriperet inſtar *Heli* 1.Reg. c.2.v.22.ac 23. Nec non,licet populi de illorum regimine cõquererentur,& improbæ illorum actiones meritò vniuerſim vituperarentur,ipſe tamen falſarios, vel mendaces, vel etiam calumniatores exiſtimans omnes eas ſibi narrantes, at veridicos prorſus, qui immeritas eſſe de ſuis conſanguineis querelas affirmarent, aut illis etiam populis eſſe gratiſſimos prędicarent, adeoq. veritatem aſſequi nullatenus contendens, adhuc conſanguineos in delicijs haberet, atque nunquam ab eorum diuitijs, ac honoribus augendis deſiſteret; timere ſiquidem poſſet;nec temerè, ne (præter perpetuam hypocriſis notam) ſicut *Heli*, qui cum *magis honoraſſet* filios ſuos, *quàm Deum* v.29.*cadens de ſella retrorſum fractis ceruicibus mortuus eſt* c.4. v. 18. e Petri cathedra cadens deorſum ligatis ceruicibus *primo gehennæ mancipio* d.40. c.*Si Papa* traderetur, morte ſempiterna puniendus cum ſuis forſan poſtea conſanguineis. Ad Pontificatum euectus conſtanter ſemper opere confirmet; *Quod quicumque fecerit voluntatem Patris, qui in Cælis eſt, ſeu illius ſe obſequentem præbuerit mandatis,ſuus frater,ſoror,mater, nepos, ac neptis futurus ſit*; & quò magis illius fecerit voluntatem, amore Dei, atque proximi ardens,eò potiores in ſuo amore obtenturum partes;ac ſæpiſſimè illa e Pſ.18.v.14. memori reuoluat mente, *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero* (hæc verba erant in *Pij IV.* ſigillo, ſeu ſigno repoſita) *& emundabor a DELICTO MAXIMO*. Sic Chriſti, Deique Vicarium ſemet vniuerſo declarabit orbi, qui & ſemper eum inter dignos Petri ſucceſſores numerabit. Sciat autem R.P. ſagacium quorumdam,etiam Magnatum,opera, eaq. ſedula fieri,vt potiſſimùm Pontificatus initio alliciatur ad vehementem conſanguineorum amorem, rhetoricè exaggerando, vel mendaciter narrando illorum qualitates,prætexentes pariter publici boni cauſas, ſi illis ſecundas partes in Põtificio regimine concedat; vt hoc delinitus amore,minùs rigidum cenſorem,correctoremque non piè a ſe geſtorum habeant ipſi Magnates R.P. ac faciliùs impetrent per eos multa, cæteroqui ab eo non exoranda. A R. P. fœmineo ſuorum amore irretito nihil virile expectãt Magnates, imò putant,ſe facilè eum in ſuarum retia cupiditatum pertrahere.

XII. S. Petrus continuò *relictis retibus*, quibus alimenta sibi parabat, secutus est pauperem Christum, qui ex oblatis sustentabatur eleemosynis. Vellent R. P. complures insensissimi e quibus etiam nonnulli operam, ne dum consilium, præbuerunt, vt R. P. esset mendicus, Romanaque Ecclesia nullis frueretur stabilibus bonis, certisque reditibus (Ecclesiasticis facultatibus ipsi inhiantes, *O Vulpina charitas*) vt ille esset similis Christo, cuius est Vicarius, ac Petro cuius est successor; cum tamen detrectent ipsi esse similes ijs, qui Petro iam Pontifice electo concionante, *credentes possessiones, & substantias, siue agros, ac domos vendebant, ac pretia eorum, quæ vendebant, p nebant ante pedes Petri, aliorumque Apostolorum, fidelesque omnes omnia habebant communia, nec quisquam egens erat inter illos, cum diuiderentur illa omnibus, prout cuique opus erat* Act. 2. v. 44. 45. & Act. 3. v. 34. 35. *Toleranda* sunt (cōsulit ipse *S. Bern.* lib. 4. de Consid.) quoad exteriorem apparatum multa in P. R. sicuti toleratur multa in alijs fidelibus, ipsisque Magnatibus, temporum conditione id exigente, ac illo etiam nomine, quod ipsimet Christiani Principes eiusmodi bonis Romanam Ecclesiam, ac honoribus R. P. decorauerint; illorumque vsus possit esse valde bonus, vt in compluribus patuit Pontificibus, qui in sanctitate insignes ab ipsis quoque Romani Pontificatus inimicis habiti sunt, & habentur. Nō tamen *hæc affectanda pro debito*; quasi Pontificia dignitas necessariò exigat horum p ssessionem temporalium, temporalemue simpliciter vllam iurisdictionem; integra siquidem fuit Pontificia Auctoritas in Petro, & plurimis illius locum excipientibus, ista penitus destitutis: Pertinēt hæc ad ornamentum, non fundamentum Pontificiæ Dignitatis: Cauendum tamen, ne illa, quæ sunt ornamenta, nimis excedant; nam horum excessus pulch am cæteroqui faciem deformem reddit, imò sæpissimè significat, deformem esse faciem, quæ tot indiget ornamentis. Quin etiam R. P. honores, quos sibi deferri videt, debet illos mente referre in Deum, & Christum, ac se, vt hominem, illis planè indignum coram Deo, & sincerè, fateri, & alacriùs Pontificijs se addicere curis, cum in terris ad huiusmodi etiam terrenos honores euectus fuerit; alijsque temporalibus bonis vti ad eos fines, ad quos Principes fuere elargiti, hoc est, tum ad decora ipsius alimenta, tùm ad Vniuersalis Ecclesiæ, cui ipse præsidet, beneficium: Quod certè non est, si in superflua, vanaque erogentur Ecclesiastici reditus; ij, & affluenter, tribuantur hominibus quibusdam non plane dignis; seu ad gloriolæ aucupium impendantur in ædificijs, ornamentisque ipsius vrbis, etiam interdum sacris, non necessarijs, atque ad voluntatem ipsius, non autem verè Christi, cuius sunt patrimonium, distribuantur; Indeque pauperes non subleuentur; plures Clerici, ac Sacerdotes pij, & docti mendicare cogantur; Ecclesiæ quarum sunt redditus, vel corruant, vel careant idonea suppellectili sacra; non erogentur ij in subsidium Catholicis Principibus bella gerentibus cum hæreticis, vel infidelibus, qui si euaserint victi, eorum Ciuitates, ac Prouinciæ sint ab illis occupandæ,

ac inde Christiana,& Catholica Religio remouēda cum innumerarum dispendio animarum, ac temporalibus Romanæ etiam Ecclesiæ incōmodis. Dolebit ex animo pijssimus P. R. posteriora hæc sæcula illi reddita fuisse infelicitati obnoxia, improbioribus redditis hominum moribus, vt R.P. ferè cogantur ad quædam vsurpanda Imperatoribus, ac Principibus laicis, sæcularibusque personis per se dumtaxat consentanea. At quilibet R.P. si pius etiam tantùm esse velit, paratus esse debet temporalia quæcumque non necessariò Pontificiæ potestati annexa dimittere ipsomet effectu, si certò deprehenderetur, ea obstare, quò minùs obiret proprias spiritualis omnium Patris, ac Magistri functiones, seu si expediens omnino foret spiritualibus Ecclesiæ vniuersalis, cuius ipse supremus est Rector, commodis: Nec non diligentissimus esse debet in hoc, vt R.E. aliarumque etiam Ecclesiarum facultates, omnes demum Ecclesiastici reditus, quorum ipse est Supremus dispensator constitutus a Domino super familiam suam, distribuantur iuxta ipsius Domini voluntatem; quæ nunquam protectò est, vt illi expendantur in superflua, vana, statuique Clericali non congrua, multòque minus illicita, & ipsius Christi legibus repugnantia. Enimuerò si piè Ecclesiastici reditus expendantur, & a R.P. & ab alijs, tollitur occasio hæreticis obloquendi contra Catholicos Præsules, ac beneficiarios, suisque suggerendi (qui tamen errores sunt meritò damnati a Conc. Constant. Patribus sess. 8. in ar. 32. 33. ac 38. errorum Vvicleſ) *ditasse Clerum fuiße contra Regulam Christi; Errauisse Siluestrum Papam, & Constantinum Imperatorem dotando Ecclesiam; & Papam cum omnibus Clericis suis possessiones habentibus esse hæreticos, eò quòd possessiones habeant, & consentientes eis omnes videlicet dominos sæculares, & cæteros laicos*; ac ijsdem deinceps suadendi, Dominos temporales suos bene egisse, ac agere, *ad suum arbitriū auferendo*(hoc impius Vvicleſ ar. 16. tradidit) *bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquētibus, idest, ex habitu, non solùm actu delinquentibus*; vndque Catholicis conquerendi de abusibus sanè ingentibus hac in re, ac fraude facta, vt complures aiunt, legitimis testatorum voluntatibus, quorum plerique saltem haud talia Ecclesijs, vel Ecclesiasticis legassent bona, si illis vnquam venisset in mentem fore, vt Ecclesiastici impunè prorsus, ac permittente R.P. ad prophanos, ac non rarò ad criminosos vsus, ea applicarent. E quò fit, vt Idiotæ quidem, minúsq. oppidò Prudentes, sed non pauci, auditi fuerint, & audiantur adhærentes Hæreticorum sensibus; qui modò vellent, R.P. cæterosque Ecclesiasticos habere alimenta ex erogatis a pia fidelium liberalitate, quę nunquam deesset; Sic enim, inquiūt, fieret, vt Ecclesiastici essent minùs populis scādalosi; quod cōpertum est pariter in Regularibus, qui bona non possident stabilia; in his enim disciplina exterior magis conspicitur, quam in possessoribus immobilium &c. Vel saltem reditus Ecclesiasticos omnes a selectis quibusdam integerrimæ vitæ hominibus administrari, ac in eum quoque vsum, vel similem, propter quem certum esset, aut verisimillimum,

illos Ecclesiasticis fuisse tributos. Hi sensus illis pij videntur, cum tamen censeantur valde impij, ideoque ab eorum mentibus repellendi sana Catholicorum doctrina, ac euincendi illo etiam nomine, quod simile quid agendum circa Principum, & laicorum reditus, cum hos iuxta Diuinam pariter legem haud fas sit in superfluis, vanis, atque criminosis impendere; quod tamen sæpiùs in illis, quàm in Ecclesiasticis, contingit. Fatendum tamen peculiari titulo Ecclesiasticos teneri ad superfluorum erogationem in vsus pios, & Iustitiæ quidem iuxta antiquiorum sentẽtiam, & forsan certiorem, Charitatis autem tantùm, ad mortale tamen obligantis, iuxta recentiores *Dominicũ Sotum* lib. 10. de Iust. q. 4. ar. 3. potissimè subsecutos, hoc est a centum, & viginti circiter annis. At cum sæpissimè non adsint, qui efficaciter hosce refutent sensus, vel commodè id præstare possint, demenda est ab Ecclesiasticis, & ante cæteros a R.P. illorum occasio, opportuniùs re ipsa declarando, Ecclesiæ, & Ecclesiasticis, Romanisque Pontificibus inprimis modò esse, non effectu, sicuti Petrus ipsamet relinquens retia, sed affectu tantùm mobilium, immobiliumque possessionem dimittere, quæ honestis supersunt alimentis, in vsus verè pios impendentes. Quod nisi præstent, reditibusque Ecclesiasticis abutantur: præcauendum, ne Principes laici, quorum quoque est operam dare, ne quis sua re male vtatur, vt testatorum voluntates impleantur, quique peculiariter tenentur consulere indemnitati pauperum, orphanorum &c. velint exigere rationem, dum R. P. in hoc negligens esset, acceptorum, ac expensorum e reditibus Ecclesiasticis in annos singulos, ac obsequium se putent præstare Deo, si in his, tanquam temporalibus, semet immisceant (a quo tamen dehortandi Catholici Principes, ne hinc aditus aperiatur ad grauiora instar Principum S. R. E. rebellium) aut saltem omnino velint, cunctos planè Ecclesiasticos reditus (quod minùs vituperandum foret) expendi in ditionibus suis, nolintq. eos grauari Pensionibus exteris hominibus dandis, similibusque Exactionibus; cum illi censeantur, nec temerè, primò donati, seu concessi ad vsus pios in tali Prouincia, Ciuitate, Oppido &c.

Matth. 10. init. Marc. 3. a vers. 13. Luc. 6. a v. 12.

XIII. ANtequam Christus Apostolos eligat, ac nominet, in montem ascendit, ibique tota nocte orauit. Tunc maximè, & diu, & attentè, & deuotè debet R.P. orare, cum electurus est Cardinales, qui referunt *Apostolos Christo in terris assistentes* ex Bulla 15. *Eug. IV.* §. 5. atque 50. *Sixti V.* §. 1. & *quorum consilio*

consilio apud Romanum Pontificem Vniuersalis Ecclesiæ administratio innititur, vt inquiunt Trid. Concil. Patres sess. 25. c. 1. Si mente pura, & ab omni perturbatione libera Deum rogauerit R. P. vt sibi suggerat magis ad tale munus idoneos, non poterunt non suggeri planè *lectissimi*, quales a R. P. asciscendos monuerunt ijdem Patres eodem cap. in fin. Non dabitur locus in illius mente Nationi, Patriæ, Consanguinitati, Familiaritati, Gratitudini, Nobilitati, Precibus, Ambitui, multoque minùs pecuniæ, sed personarum tantummodo meritis, hoc est, insignium, vel insigniorum pietate, doctrina, prudentia, & maximè si vnà hi diu, & cum singulari laude pro Romana laborauerint Ecclesia; imò multos, in quibus illæ refulgeant dotes, in quacumque degentes regione, licet nunquam Romæ fuissent, ex inopinato hac decorabit dignitate cum singulari laude ad posteros perpetuò transmittenda. Sic Christus Apostolos declarauit, *quos voluit*, vt dicitur Marc. v. 13. (voluntas autem Christi non potuit non esse rectissima) adeoque non ambientes, non pecuniam, vel munera deferentes, non ad aliorum preces &c. At licet natura fuerint ad tale munus habiles, merita tamen vlla haud ad illud præcesserũt, vnico conferente Christo supernaturales necessarias, ac valde opportunas virtutes ad Apostolici ministerij executionem, naturales verò pariter corroborante: Quod cum præstare non liceat R. P. nonnisi quos præclara morum nobilitas, eximia in sacris maximè litteris, ac Ecclesiastica eruditione peritia, & non mediocris rerum vsus commendaret, essent in Apostolicum Senatum referendi. Sic Sixtus V. §. 2. Bullæ, de qua paulò ante an. 1586. Dec. 3. conditæ, atque a 37. Cardinalibus subscriptæ post ipsius Sixti subscriptionem, ac publicatæ die 13. eiusd. mens. *Cum itaque ipsi veri cardines sint, & clarissima Ecclesiæ lumina, templi Dei bases, firmamenta, & columina Christianæ Reipublicæ, singulari quadam pietate, ac doctrina, nec vulgari, aut mediocri, sed INSIGNI, atque EXIMIA virtute abundare debent, vt quam gerunt personam, dignè, & honorificè valeant sustinere. Ac quemadmodum præcipuæ sunt partes Summi Romani Præsulis in ijs asciscendis EXQVISITAM adhibere DILIGENTIAM, & accurata circumspectione prouidere, vt viri optimi, ac lectissimi aßumantur, & vel in hoc potissimùm necessitati, atque vtilitati totius Ecclesiæ sibi commissæ consulatur*; ita etiã *Prælati, cæteræque personæ Ecclesiasticæ ad tantæ dignitatis sublimitatem promouendi anteactæ vitæ laude, atque EXCELLENTI quadam, & RARA meritorum commendatione præ cæteris fulgeant, necesse est, vt hoc amplissimo honore digni habeantur; Siquidem eorum vita, ac mores cæteris exemplo esse debent, verba, & responsa pro oraculis, monita, ac præcepta ab vniuersis Christianis regulæ, & norma rectè viuendi, rectèque sentiendi existimantur; ab ijs, quasi sapientissimis magistris Ecclesiasticæ disciplinæ forma suscipitur, quæ ad mores, vitamq. cunctorum fidelium componendos longè, latèque diffusa propagetur.* Hactenus Apostolico planè spiritu Sixtus, mirificè dicta confirmans; Qui & §. 10. cum statuat, *Antiquum Clementis, Anacleti, Euaristi, Alexandri, & aliorum Sanctorum*

Pon-

Pontificum prædecessorum nostrorum morem , per sexcentos , & amplius annos continuata serie obseruatum sequi volentes , ac decretum aliàs per nos in nostro Consistorio editum innouantes , perpetuò sancimus , tempus creandorū Cardinalium , seu promotionis ad Cardinalatus honorem faciendæ, mense Decembri dumtaxat in ipsis temporibus, & diebus ieiuniorum, & non alijs esse debere; significat pariter , Deum quam maximè orandum , cum sunt Cardinales creandi , illis enim diebus prolixiores decreuit iam Ecclesia preces, quibus, vt efficaciores sint , ieiunia adiunxit. Certè si hisce diebus, vt fiat placēs Deo Ecclesiæ ministrorū electio, instituta est Clericorum ordinatio solemnis c. 2. de Temp. ordin. æquissimum fuit hoc *Sixti* decretum (quod tamen, sicut & alia ibi abrogare licet R.P. si rationabilis valde adsit causa) vt Cardinalium promotio, qui sunt primarij Vniuersalis Ecclesiæ ministri , eodem tempore pariter fiat . Selecta autem fuere, & a priscis Pontificibus, & a Sixto ieiunia Decembris ; *tum* quia a fidelibus maiori in veneratione habita, vt pote Natalitium Christi Domini diem præcedentia ; *tum quia* cum Natalitij dies sint maximè festiui, Sponso Vniuersalis Ecclesiæ humanissimo cōgruum videtur illam reddere hilariorem, optimorum creatione Cardinalium, quorum consilio ipsa regitur . Saltem Romæ, dum imminet tempus a R.P. præfinitum Cardinalium electioni , solemnes quædam preces, ac Missæ videri possent indicendæ, prçcauendo tamen sollicitè hypocrisis vitium ad vulgares quosdam decipiendos homines, dum certò iam statuisset R. P. nonnullos ad Cardinalitiam euehere dignitatem , minimè diuinis afflatibus liberam mentem , ac voluntatem permittens : Quibus si aditum patefaceret orans ipse cum alijs, non rarò multorum loco , quibus purpuram destinasset, alios verè dignos, vel digniores subrogaret . Christo semet conformauit S. Petrus cum reliquis Apostolis, alijsque ferè centum viginti in cænaculo, cum eligendus fuit pro Iuda Apostolus Act. 1. v. 24. & cum imponenda fuit manus septem Diaconis Act. 6. v. 6. Sic quoque Apostoli ieiunantes , & orantes, imponentesque Paulo , & Barnabæ manus dimiserunt illos ad Euangelij prædicationem &c. *Par quidem esse* , inquit apertè *Gregor. XIV.* in Bullæ damnantis Sponſ. seu Excomm. *Sup. elect. Rom. Pont. & Promotionibus S.R.E. Cardinalium* init. (de qua etiam infra) *vt hoc potissimùm tempore summo deuotionis feruore ex intimo cordis affectu ab vniuerso fidelium cœtu orationes, & vota, & piæ preces offerrentur, vt promotionibus Cardinalium Spiritus sanctus assisteret &c.* Siquidem eorum consilio vniuersum R.P. regit fidelium cœtum . E quibus patet, hunc Pontificem tanti ponderis putasse hanc Cardinalium promotionem, vt quoad assistentiam Sancti Spiritus illam comparauerit electioni R. P. pro qua exoranda existimat implorandum deuotis, feruentibusque precibus cæleste lumen a cunctis fidelibus . Verùm hi non solùm promotionis tempus ignorant, sed etiam norūt, vniuersum hoc negotium esse in vnius arbitrio R. P. qui sæpe ad illud magis declarandum reticet nomina promotorum ; nec peculiares solet indicere preces publicas,

cas, cum promotionis tempus proximum est. Quid igitur mirum, si non lectissimi, & quales iubent Apostolicę Constitutiones ipsæ, eligantur Cardinales? neque enim hos suggerere non potest Sanctus Spiritus, e cuius afflatu illi Canones, illæ Constitutiones censentur conditę.

XIV. Antequam Christus duodecim nominaret Apostolos.

1. *Diu cum illis versatus fuit*, peculiaria illis monita, consiliaque dedit, ac in Euangelica perfectione exercuit; adeoq. ipsamet experientia notissimos habuit illorum mores. Prouidè prorsus Sixtus V. §. 14. *Vt non solùm honore, sed etiam re ipsa cardines sint, super quibus ostia vniuersalis Ecclesiæ tutò nitantur, diuinaque, & humana ministeria sibi commissa vtiliùs exequi possint; statuimus, vt LECTISSIMI, & PRAECELLENTES Viri in ipsum Collegium ascribantur, & quorum vitæ probitas, morum candor, PRAESTANS doctrina, & eruditio, EXIMIA pietas, & erga salutem animarum ARDENS studium, & zelus, in dandis consilijs SINCERA fides, & integritas, in rebus gerendis SINGVLARIS prudentia, constantia, & auctoritas, & aliæ qualitates a iure requisitæ, tam ipsi Pontifici, quam vniuerso Collegio cognitæ, & probatæ sint:* Quod oppidò contingere potest in compluribus, qui nunquam Romæ fuissent, quorum virtutes præclaras, tum morales, tum intellectuales verax fama ad R.P. & Cardinalium aures, vel etiam ad oculos, si libros edidissent, iam detulisset. Ac præterea §. 15. vt Clericali charactere insigniti, & in quatuor minoribus ordinibus constituti per annum saltem ante promotionem habitum, & tonsuram, gestauerint promouendi ad Cardinales, districtè præcipit; *ne homines sacrarum rerum planè imperiti, & rudes, atque Ecclesiasticarum functionum ignari, quasi in Ecclesia Dei hospites, & peregrini statim* Cardinalitio *muneri præficiantur*. Detestanstantur Summi Pontifices d. 59. quod aliquis maximè Sacerdotio initietur, qui in ceteris ordinibus tot annis, quot præscribunt sacri Canones d. 77. (de quibus nouissimè Trid. Conc. sess. 23. c. 11. 12. 13. 14.) laudabiliter Ecclesię non inseruierit. Promouendine ad Cardinalatum homines, qui totam fermè vitam duxerint in castris, seu in militia, in negociationibus, in sæcularibus planè tractandis negocijs, in politicorum lectione librorum, in sæcularium Principum aulis, in sæculari disciplina &c. quando hi, & consilia, & vota in Consistorio sint daturi in arduis, ac spiritualibus Ecclesiæ negocijs, præficiendi tot Congregationibus, in quibus spiritualia tractantur, S. Inquisitionis, Interpretum Sacri Tridentini Concilij, Rituum &c. a quibus Responsa dantur Episcopis, ac Regularibus, eorumque controuersiæ dirimuntur? Debentne paucissimi esse inter tot Cardinales, qui habiles sint ad huiusmodi consilia, vota, iudicia, & quibus tutò R.P. committere possit spirituales causas, quæ ad Romanam Sedem innumeræ confluunt? Idoneusne præceptor esse potest, qui minimè, aut paululum litteris operam dederit? Quis Dux, nisi priùs Tyro? Hospes, & peregrinus in Ecclesiastica disciplina audebitne de illa differere, circa illam suffragia ferre, eam indicere &c.? *Præterea* minori in honore habetur ille, qui pur-

D pura

pura induitur, si paulò ante lorica, vel ense præcinctus fuerit, ad mensam sedens nummos numerauerit, prophanas omninò consuetudines habuerit, Sacros Codices vix legerit, aut manibus versauerit, assiduus in primis explorator fuerit naturæ Principum, temporalis eorum iurisdictionis, &c. Sit eligendus, si non *practicè* re ipsa, saltem *theoricè* in Ecclesiastica versatus disciplina, quæ habetur ex Iuris Canonici libris, ac præsertim e Gratiani Decreto, Bullarioque Pontificio, & ex familiaritate cum viris illius peritis. Sic Apostoli electi a Christo Euangelicam ab ipso, & theoricè, & practicè iam perceperant disciplinam.

2. *Non eos elegit Nobiles, Diuites, Potentes*; sed ignobiles, pauperes, contemptibiles; sic enim natura quoque erant magis habiles ad Mansuetudinem, Humilitatem, cæterasque Euangelicas virtutes, & ad subeunda Euangelicæ prædicationis onera. An Ecclesiæ expediat, primarijs quibusdam ob externas dotes viris, ac nominatim PRINCIPIBVS purpuram elargiri, non temerè disceptari potest; Nam licet hoc ad illustre ipsius Ecclesiæ decus videatur spectare, imò interdum ad ipsius auctoritatem tuendam illi censeantur etiam necessarij; non raró tamen cõtingere potest, vt valde perniciosa sint praua illorũ exempla, & sanè perniciosiora horum, quam aliorum; alios Cardinales, vel in multo non habeant pretio, vel ad sua pertrahant vota; quærantque vltionem, si his minùs obsecundent; minus obsequium R. P. deferant ipsis, & contra illos, ne dum alios, sed & populos quandoque, & sagacibus quibusdam modis, irritent; in Romana velint Curia, & Vrbe quasi esse Domini; Sint etiam Principes factionum in Conclaui, dum eligendus est R. P. nec non ad eorumdem arbitrium aliquis etiam dignissimus a B. Petri Sede repellatur, minùsque profectò dignus in ea reponatur. Si Principes viri sint Christianis moribus, & quæ in Ecclesiasticis præsertim exiguntur a Patribus, Sacrisque Canonibus, conspicui, licet non doctrina, hi vltrò Cardinalium Collegio aggregandi; secus minimè. Sic Basileenses Patres sess. 23. §. *De numero, & qualitate Cardinalium*, inquiunt; *Inter hos vigintiquatuor (hunc numerum præfixerunt illi, sed vltro potestatem suam e communiori Theologorum, & Canonistarum sententia) esse aliqui poterunt admodum pauci, filij, fratres, aut nepotes Regum, seu magnorum Principum, in quibus cum circumspectione, & maturitate morum competens litteratura sufficiat*. DIVITES quoq. haud inter Cardinales numerandi, cum opibus suis longè supra Cardinalium decentem statum, aliorum Cardinalium, ac illorum præsertim, qui vix congrua suæ Dignitati habent alimenta, suffragia, nedum Primariorum Curialium, sibi queant piscari; nisi vnà ostenderint se *diuites in fide* c. 2. epist. Iac. v. 5. ac *non sublime sapere, neque sperare in incerto diuitiarum*; ac deprehensum fuerit, eos *facilè tribuiße, communicaße, thesauriʒaße sibi fundamentum bonum in futurum, vt apprehendant vitam æternam*; *BREVI, diuites iam factos in bonis operibus* 1. Thim. c. 6. v. 17. 18. 19. Excludendi penitus, qui pecuniam, etiam ingentem, offerrent; hac enim oblatione, etiamsi alias essent purpura dignissimi,

indi-

indignos se illa penitus declarant; quemadmodum nec illi, qui dum ea donarentur, vacantibus quibusdam officijs, nō leuem pecuniæ summam ex illorum venditione, aut concessione, R.P. reportaret, nisi pariter excellerent in qualitatibus, quas Constitutiones ipsæmet Pontificiæ, Sacri Canones, rectaque ratiò postulant in prouehendis ad Cardinalatum. Sordes istæ remoueantur longissimè a generosis R. P. animis. Quid turpius, & promotoribus, & promotis, quod sola pecuniarum merita aditum ad præcipuam Dignitatem Ecclesiasticam aperuerint? Romane meritò illos vituperaret Principes, qui quosdā honores, titulos &c. tribuerent certā pecuniā, aut ampliorē ante alios, sibi præbentibus? Qua etiā libertate possent R.P. Episcopos, aliosue Prælatos corripere, ac punire, qui quędā officia nō spiritualia omnino in sua cōstituerēt Ecclesia, quæ dato pretio vēderent, aut largirentur (vt vitetur nomen vēditionis, adeoq. emptionis) & paulo post illis, qui hisce fugerentur officijs, pingue aliquod beneficiū cōcederent, vt sic in eorū locū alios substituerent, similem pecuniam accipiendo; aut aliquem Canonicatum, cuius ipsi essent distributores, tribuerent certam exhibenti pecuniam, aut quasi sub hasta plus offerenti, idque agerent, vt se, vel suam Ecclesiam ære alieno liberarēt, ac simili eximerēt necessitate; Si quando R. P. similia ageret circa Cardinalitiam dignitatem? Id enimuerò si non est species, habet absque dubitatione speciem Simoniæ. *At interest Pontificiæ perfectionis*, vt inquit *S.Bern.* lib. 3. de Consid. *& malas res, & malas pariter species deuitare; In altero enim conscientiæ, in altero famæ consulit*; ac potissimùm, dum agitur de dignitate, qua nulla Pontificiæ proximior. Fidelesne isti sæpe Ecclesiæ Ministri, aurum recuperare appetentes, quod profuderunt; atque si ad sugendos mittantur populos, an non varijs artibus, quas ingeniosa suggeret auaritia, eos opprimere poterunt, aut saltem grauiter vexare; sinere, vt auro iustitia violetur; permittere cædes, aliaue facinora vltro, vt e data illis venia iam datum R.P. aurum sibi modò reddant?

3. *Rudes literarum* elegit, quibus ipse cælestem esset sapientiam impertiturus pro loco, ac tempore, vt hoc c.10. v.19. ait Christus, qui & post resurrectionem eorum aperuit mentem, vt possent scripturas intelligere Luc. 23. v. 45. Debent Cardinales non solùm *facere*, hoc est pietate præstantes esse, sed & parati *docere*, Matth.5. v.19. Sunt siquidem R.P. consiliarij in fidei, similibusque arduis Ecclesiæ negocijs, ac innumeræ quæstiones eorum iudicio dirimendæ proponuntur vndiq. & ipsi verè sunt, inquit *Sixt.V.* in fin. §.1. *Sal terræ, ac lucernæ positæ super candelabrum, vt inter sanguinem, & sanguinem, causam, & causam, lepram, & lepram discernant, ac doctrinæ opportunitate, & veritate, infirma confirment, disrupta consolident, deprauata conuertant, luceant omnibus, qui in domo Domini habitant, ac primæ huic Sedi assistentes, cunctos Pastores, dum in grauioribus negocijs eamdem Sedē consulunt, eiusue opem implorant, suo indicio, consilio, & auctoritate instruere, dirigere, ac docere non cessent; & ad eos spectat plurima, & maximi momenti negotia, &*

causas, quæ eis in diès committuntur, præclara fide, & prudentia cognoscere, ac Legationibus in Prouincijs gubernandis, & in grauioribus rebus sæpiùs ad Reges, & Imperatores persungi. Statuit quidem Concil. Basil. vbi supra, sic de Cardinalium doctrina. *Sint Magistri Doctores, seu Licentiati, cum rigore examinis in iure Diuino, vel Humano; sint saltem tertia, vel quarta pars de Magistris, aut Licentiatis in Sacra Scriptura;* Itaque sex inter 24. saltem ex huiusmodi magistris requisierunt; At moderatiùs Sixt. V. §. 9. *Inter hos septuaginta Cardinales, præter EGREGIOS vtriusque Iuris, aut Decretorum Doctores* (non satis est, vt in Vniuersitate etiam Studiorum Magistri, siue Doctores, aut Licentiati in Iure Ciuili, vel Canonico, vel etiam Sacra Theologia sint promoti; nam patet, in Italia præsertim, plurimos hosce gradus adipisci planè immeritò, ac multis, qui sunt in hisce scientijs quasi infantes, vel balbutientes, suffragari dumtaxat titulum eximię Nobilitatis, aut Dignitatis alicuius Ecclesiasticæ, siue etiam Canonicatum cuiuslibet omnino Cathedralis Ecclesiæ; vnde prudenter Trid. Concil. sess. 22. c. 2. postulat, vt ad Ecclesias Cathedrales assumendus sit *meritò* ad hosce gradus promotus; Sed & *Greg. XIV.* in Bul. 6. de For. Prom. ex præscr. Concil. Trident. ad Regim. Eccl. Cathedr. edita an. 1591. Maij 15. §. 9. addidit; *Quia circa doctrinam plures fraudes committi solent, & sæpe contingit, vt nonnulli scientia vacui, de solo Doctoris titulo, aut priuilegio glorientur, volumus, vt de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur, qui vel Doctoratus, aut licentiæ titulis, & priuilegijs gaudent, vel etiam a publicis Academijs testimonium habuerunt, quod idonei essent ad alios docendos, nisi fortè aliquorum insignis doctrina ex publica ipsorum functione notoria esset. Ita verò inquisitio facienda erit, vt quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu Theologiæ, vel Iuri Canonico promouẽdus operam dederit cognoscatur &c. Testes præterea deponant, se de scientia promouendorum certos redditos esse, ex eo quòd prædictos promouendos, specimen suæ doctrinæ, publicè, vel priuatim dedisse cognouerint &c.* Vnde & Sixtus consultissimè EGREGIOS addidit) *non desint aliquot INSIGNES Viri in Sacra Theologia Magistri, præsertim ex Regularibus, & Mendicantium Ordinibus* (quia apud Regulares, & Mendicantes præ cæteris, videtur Theologia modò florere; quod & in Tridentino patuit) *saltem quatuor, non tamen pauciores.* Non erunt autem INSIGNES in Theologia Magistri, qui non sint insigniter periti in Sacra Scriptura, in Traditionib. Diuinis, in Cõcilijs, in Sanctis Patribus, in Constitutionibus Pontificijs spectantibus ad Fidem, bonosque mores Christianos, in Ecclesiastica Historia; quorum peritia deficiente in superioris sæculi Theologiæ Magistris, vt notum est, Lutheranæ hæreses non statim initio extinctæ, sed latè fuerunt propagatæ; in quibus tamen non deficiebant argutæ, præter sophisticas, Philosophicæ rationes, aliorumque aduentitiorum Theologiæ locorum notitia; Quæ etiam modò non deest plerisque Theologiæ Doctoribus, ac Professoribus, licet absit ab illorum intellectu fermè semper detento in Philosophicis, vel ijs, quæ solùm per accidens, ac redu-

ctiuè

ctiuè ad Theologiam pertinent, germanarum Theologiæ argumentorum cognitio sedium, adeoque, vt ait ille, *apud vulgus* (in quo numerantur complures etiam clamydati, & vtinam non infulati, vel purpurati) *Theologi sunt, reuera tamen non sunt*. Mirantur nec pauci, quod adeò moderatum *Sixti* Decretum (cum saltem inter septuaginta sexdecim, vel ad minus duodecim in Theologia INSIGNES forent numerandi) a plurimis iam annis R.P. executioni non mandauerint: Quam admirationem adimunt illis alij inquientes; *quòd* cum P.R. sint Theologiæ expertes, aut leniter gnari, in Theologia INSIGNES apud se detrectent habere, quasi perpetuos suæ insipientiæ, seu tenuis scientiæ, exprobratores; vel *quod* nolint eorum regi consilijs, quæ cęteroqui forent multi æstimanda; vel *quod* experti sint, vel ab alijs acceperint, Theologiam versari etiam nostris temporibus in cauillis, verborumq. pugnis, seu vocum contentionibus, in quęstionibus vanis, & minimè ad salutē opportunis &c. (quod sanè haud verum est de solida Theologia, & quæ Theologos verè INSIGNES, quales vult *Sixtus*, reddit) ideoque paruì illam æstiment. *Addunt alij*; culpā hanc ascribendā potiùs cōsanguineis R.P. qui cū omnia suo arbitratu regere velint, ac e Pōtificatu excogitabilia quælibet reportare cōmoda; si aliquot, & *insignes* Theologi, qui vnà forēt insignitè probi, essent Cōsiliarij Papæ ex officio assistētes, de multis eū humiliter monerent ipsorū placitis repugnantibus, ipsorū mores, & actiones eidem non occultarent, ac illum potissimè a multis auerterent, quæ in ipsorum agit, aut statuit beneficium. Vt omittantur hæretici Apostolicum, vt meritò nos appellamus, Senatum irridentes, in quo perrari sunt, *in scientia, moribusque, ac rerum experientia excellentes*, vt voluerunt Conc. Basil. Patr. seu in quibus cōspiciantur qualitates petitæ a Sacris Canonibus, Pontificijsque Constitutionibus, ac præsertim *Sixti V.* Bulla, de Vnanimi Cardinalium consensu promulgata, *qua*, inquit §. 3. in fin, *& nosmetipsos in re tam graui nostri muneris admonemus, & quam nobis legem imponimus, eamdem nostris successoribus indicamus, quos & sui officij non immemores fore confidimus, & se aliquando in districto, ac tremendo Dei iudicio suæ villicationis rationem esse reddituros, Apostolo dicente, Omnes stabimus ante Tribunal Christi, & vnusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo*; non immeritò penitus complures R.E. studiosissimi conqueruntur, quod Cardinales in negocijs spectantibus ad Fidem, quæstionesque ad veram Theologiam, tum Scholasticam, tum Moralem, ad Ecclesiasticam Historiam, aliaue similia, non solùm necessariò opera aliorum indigeant; verùm etiam illorum voto obsequi teneantur, cum ipsi sint imperiti, aut parum periti; vel si vnus, aut alter Cardinalis sit peritus, nisi imprudenter, ac temerè velint agere, his adhærere cogantur alij; & non rarò vix terminos quęstionis, nodumque difficultatis multi intelligant: & cum responsio afferenda alicui Hæreticorum libro, accersendus sit omnino aliquis, e Regularibus maximè, cum nullus sit inter eos aptus ad legitimam responsionem. Et hinc quidem apud Catholicos minuitur obseruan-

tia

tia erga Apostolicũ Senatũ,& circa Cõgregationum, quibus prepositi sunt Cardinales plurima sanè decreta; quæ ad aliorũ potiùs placitũ,ac suggestionem videntur nonnullis sępè promulgata,qui vel minùs docti fuere, vel prauis animi cupiditatibus *amore, odio, metu, cupiditate* occæcati; vel etiam incautos, imperitosque Cardinales decipere potuerunt: Quæ suspiciones(hæ temerarię penitus,nisi subsit legitima suspicandi causa) non facilè suborirentur, si ipsimet Cardinales essent versatissimi in ea;quæ agitatur, materia. Hæc certè vna est e causis,propter quas hæretici modò contemnunt (quod nullatenus Catholici faciunt,licet minùs aliqua laudent, & plurimi illa non admittant, cum sciant,*aliqua* falsis inniti; *aliqua* solùm propter aliquorum potentiam in Vrbe constituta; *aliqua* non cõmuni Christianæ Charitati consentanea; *aliqua* dumtaxat edita ad tuendum,quod semel, etsi minus æquè, e Romanis Congregationibus emanauit; *aliqua* in odium aliquorum, qui non propensi putantur in R.Sedem,vel Curiam, licet verissima, ac notissima, & e zelo honoris R.S. atque C. vt optimi filij quædam scribunt,in dies diuulgari &c.) Decreta ex Vrbe prodeuntia a Sacra Congregatione Inquisitionis, vel Indicis &c. typis consignata; ac fuit e præcipuis, propter quas hæreticorum primarij suaserunt populis,non esse Tridentini Concilij decreta, vt diuina prorsus oracula, ab ijs recipienda, vtpote non ab Episcopis, qui in Generalibus Concilijs sunt Controuersiarum fidei Iudices,edita,sed a Theologis,& potissimè Regularibus, quorum consultiuis tantum quidem per se, in decisiuis tamen ipsi stare tenebantur,vtpote quod vel nihil,vel parum quæstiones inter Catholicos Romanæ Sedi obsequentes, & ipsos controuersas intelligerent, atque potiùs libros Aristotelis, Platonis, Poetarum, prophanorumque Scriptorum, quam Sacros Codices euoluissent: Cum tamen,præter insignes aliquos Tridẽti in Theologia Episcopos,& Cardinales quoq. legatos,vt *Reginaldũ Polum, Marcellũ Ceruinũ,Hieronymũ Seripandũ,Stanislaũ Hosium*, non assistat peculiariter Diuinus Veritatis Spiritus Episcopis, Romanisq. Pontificibus, eò quòd sint docti, vel doctiores,sed eò quòd sint illi particularũ Ecclesiarum,hi vniuersalis Ecclesiæ Pastores;sicut in Io.11.v.51. apertè dicitur Caiphas *nõ a semeipso dixisse,sed cũ esset Põtifex anni illius,prophetasse, quod Iesus moriturus erat pro gente*;neq. enim eius meritis,sed Sacerdotali officio datum est,vt sic prophetaret, seu diuinus per eum loqueretur spiritus, vt obseruant *Chrysost.Cyrill.Aug.Beda,Theophyl. Euthym.* pariterq. alij interpretes. Si forent enimuero inter Cardinales duodecim insignes Theologi, & sex,aut octo egregij Iuris vtriusq. Doctores,magis Rom.Ecclesia appareret omnibus *terribilis, vt castrorum acies ordinata* Cant.6.v.10.vel *vt turris Dauid ædificata cum propugnaculis,e qua penderent mille clypei,omnis armatura fortiũ* Cãt.4.v.4.siue magis *esset circũcincta*,vt loquitur *Honor.III.* c.fin.ne Cler. vel Monach. *muro inexpugnabili bellatorum, quibus resistere valeret ascendentibus ex aduerso*, hoc est hæreticis, vt verb. *Bellatorum* explicat *Glos.* & *Bellatorum* quidem nomine apertè significantur

cantur

cantur ibi in Theologia, sacraque pagina versati. Non auderent sanè hæretici tunc igneis tot librorum tormentis aggredi R.E.cum scirent, illius fore fortissimos propugnatores Viros ob dignitatem quoque ipsam venerandos; illorumque decreta ab *insignibus* hisce Cardinalibus probata non floccifacerent, sed aliquo in pretio habere inciperent, nec tam acriter damnarent, sed accuratè ponderarent; Imò etiam minùs Catholici repugnarent quibusdam legibus e Romana prodeuntibus Curia, si scirent latas ex huiusmodi Cardinalium consilio, qui futuri essent sapientissimi illarum tutores &c.

4. *Haud elegit eos sapientes secundum carnem; sapientia enim huius mundi stultitia est apud Deum, & quod stultum est Dei, sapientius est hominibus* 1.Corinth.v.25.26.c.1. & c.2.v.19. vnde qui *est sapiens in hoc sæculo, debet fieri stultus, vt sit sapiens Deo* v.18. At quænam huius mundi sapientia est? Explanet *S. Gregorius* Pontifex, & Ecclesiæ totius Doctor probatus, & primo loco C.Vnic.de Reliq.& Ven.Sanct. in 6.vbi & additur; *Qui meritis inclytus Sedis Apostolicæ curam gessit*; qui cunctis Doctoribus planè præfertur a *S.Idelfonso* c.2. de Vir. Illustr. & meritò quidem in *Ethicis aßertionibus* e *Glos*.d.9. c.6. verb.*Græci*, & priùs e testimonio Synodi 8. Toletanæ c.2. vt refert *Cardin. Baron.* in not. ad 12. *Mart.Rom.Martyr.* celebratæ ann.665. Hæc habet lib.10. in c.12. Iob c.16. *Huius mundi sapientia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare, quæ falsa sunt, vera ostendere, quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia vsu a iuuenibus scitur, hæc a pueris pretio discitur; hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt; hanc qui nesciunt, subiecti, & timidi in alijs mirantur; quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata diligitur, dum mentis peruersitas, Vrbanitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab alijs mala multiplicius reddere; cum vires suppetunt, nullis resistentibus cedere; cum virtutis possibilitas deest, quicquid explere per malitiam non valet, hoc in pacifica bonitate possidere. At contra, sapientia iustorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera vt sunt diligere, falsa deuitare, & bona gratis exhibere, mala libentiùs tolerare, quam facere, nullam iniuriæ vltionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare; Sed hæc iustorum simplicitas deridetur, quia ab huius mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur: Omne enim, quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur; & quicquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat. Quid namque stultius mundo videtur, quam mentem verbis ostendere, nil callida machinatione simulare, nullas iniurijs contumelias reddere, pro maledicẽtibus orare, paupertatẽ quærere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti alteram maxillam præbere?* Quid præclariùs? Hæc nihilominus doctrina si primò doceretur, ac disceretur in Principum sæcularium aulis, seu Curijs, ac frequẽtissimus eiusdem foret vsus, & quò quisque in ea magis proficeret, eò sapientior, indeq. Principibus sæcularibus euaderet acceptior, licet improba omnino foret, vtcunq.

tole-

Hierusalem, quæ Apoc.21.v.18.dicitur esse *aurum mundum simile vitro mundo*, hoc est,*claritate fulgens in auro, & puritate translucens in vitro*; omnis autem liquor in vitreo vasculo clausus patet, vt scribit *S.Greg.* in c.28.Iob.v.17.c.25.qui & subdit; *Ibi quippe vniuscuiusque mentem ab alterius oculis membrorum corpulentia non abscondet, sed patebit animus, patebit corporalibus oculis ipsa etiam corporis harmonia, sicq. vnusquisque tunc erit conspicabilis alteri &c.* Prudentia quidem exigitur in eligendis ad Cardinalatum,sed *Qui* comitem habeāt Columbæ cādorem,non fraudes foueant,non simulationes ament,non tacitas mentis restrictiones sectētur in promissis,in pactis, in concordatis, similibusque humanam firmātibus societatem; & *Qui* ea simplicitatis, an sinceritatis iam talia dederint argumenta, vt in Apostolicum allecti Senatum spes non dubia sit, quin ex hac vita migraturi possint cum Apostolo 2.Corinth. 1.v.12.dicere, *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ,quod in simplicitate cordis,& in sinceritate Dei,& nō in sapientia carnali,cōuersati sumus in hoc mundo*: *Quique* pariter magis versati sint in spiritualibus ministerijs, quam in negocijs sæcularibus; quoniam *Sancta Ecclesia ad regimen animarum* (verba sunt S.Greg. in 1.lib.Reg.c.14.) *non eligit negocijs sæcularibus strenuum, sed spirituali conuersatione decorum*; *quia per sapientes reprobos,robur nostrum destruitur,non augetur*. Nulli vnquā sint sapiētes maximè reprobādi inter Ecclesiasticos,qui nōnullis præsertim libris addicti, & familiares quosdam habentes, qui nunquam *æternos*, dissimiles prorsus Dauidi Regi, Ps.76.v.6. *Annos in mente habentes*, & forsan non credentes futuram præmiorum, ac suppliciorum æternitatem, *Ecclesiæ felicitatem reponant in temporalibus, eorumque affluentia*, ita vt hæc sit Summa Ecclesiastici Regiminis; & dūmodo consuetis honoribus,reditibusque non priuentur R.P. illis callidè nitantur suadere, vt reipsa, nihil, aut parum laborent de spiritualibus commodis populorum;vtque illos augeant,Diuinam legem,ac Naturalem haud suggerant esse contemnendam, sed in tali circumstantia peruersè eam non habere locū interpretentur; Sacros Canones esse de iure positiuo aiant, ac posse pro libito a R.P. abrogari, nedum derogari asserant, cum sit supra Ius omne R.P. vel affirment quamcumq. rationabilem, quæ ipsi visa fuerit, causam satis esse ad eorum licitam derogationem, & hanc solùm quandoque, vt declaret se nullis etiam Cōciliorum Generalium legibus adstrictum esse penitus; vtque Pontificia Monarchia exterior in omnibus ferme absoluta conseruetur, tandem omnia posse iura proteri,& conculcari tacitè insinuent, cum arbitrentur illius conseruationem,ac etiam amplificationem,esse supremam omnium legem; *sapientia* siquidem *carnis inimica Deo,Legi Dei non est subiecta*; *nec enim potest* Rom.8.v.7. Istine *sapientes secundum carnem*, & quibus hæc principia *reuelaret caro,& sanguis*,& nō potiùs hi,quibus opposita,vtpote *paruulis* propter simplicitatem iustorum propriam, sicuti fuerunt Apostoli. *Reuelat Pater Dominus Cæli, & terræ* Matth.11. v.25. abscondens ea ab huius sæculi prudentibus, ac sapientibus, ad Cardinalitiam assumendi

 digni-

dignitatem? Veh Ecclesiæ, si plurimi ea decorarentur dignitate, eò quòd forent egregiè politici, seu egregiè tractassent, aut tractarent, aut tractare scirent, quæ sæcularia sunt, atque ad res politicas, atq. ad status gubernationem pertinent; non vulgarem haberent notitiam illorum, quæ ad Principum sæcularium iurisdictionem pertinent; & hi non essent egregiè pariter probi, sacrarumq. literarum periti. Quomodo enim aptè gubernari posset regnum Christi spirituale, seu Ecclesia ab his, quorum mens propemodum tota detineretur in terrenis? Quid si Cardinales multi maiori tribuerent suæ laudi, vel inde etiam R.P. in eos semet exhiberent magis propensos, quòd amplius in politicis artibus, quam Euangelicis moribus, excellerent?

5. *Elegit quidem Christus inter Apostolos aliquot*, qui erat cognati, seu etiam consobrini sui; sed hi planè Apostolatu dignissimi erant; vnde peculiariter *Iacobus maior*, eiusq. fratrer *Ioannes* dicti sunt Boanerges, *filij* scilicet *tonitrui*, cum futuri essent Euangelij præcones ardentissimi, ac *Iacobus Minor* appellatus fuit *Iustus*. Per se non est negandum licere, & cum laude, aliquos e cognatione sua ad Cardinalatum extollere, si in illis fulgeant dotes; quæ tali dignos honore eos reddant, nec præferantur alijs dignioribus; quin etiam par videtur, vt cæteris paribus omnino hi præponantur; tunc enim non ad cognationis vinculum, sed ad personarum merita coram Deo, & hominibus mens dirigitur. Quia tamen experiētia docuit, naturali insito in genus suum R.P. amori obsecundantes, non dignos sæpissime Nepotes, aliosque Consanguineos, vel Affines inter Ecclesiæ Senatores reposuisse, Concil. Basil. Patres sic decreuerunt sess. 23. de qua supra. *Non fiant Cardinales Nepotes ex Fratre, vel Sorore Romani Pontificis, aut alicuius Cardinalis viuentis*; & antea; *Ne Summus Pontifex carnalitatis trahi videatur affectu magis, quam iudicio rationis, atque vt scandalis obuietur*, inquiunt, *quæ, experiētia teste, sæpe secuta sunt*, circa consanguineos, vel affines, vsque ad tertium gradum inclusiuè statuerūt, ne *faceret, aut esse permitteret Ducem, Marchionem, Comitem, Feudatarium &c.* Quæ decreta non seruarunt (neque tenebantur, vt lata a Basil. Conc. e communi sententia) posteriores Pontifices, nec *Sixtus* ipse *V.* hac in re sibi legem vllam imposuit, nec illam suis successoribus, vt in alijs, indicauit; solùm enim §.17. confirmauit decretum Iul.III. in Sacro Consistorio ann. 1554. Ian. 26. editum, *Quod frater germanus alicuius Cardinalis viuentis ad Cardinalatum promoueri non possit, & ex nulla quantumuis vrgentissima causa aduersus hoc decretum dispensare liceat* (ex Bulla 22. in Bul.) amplians quoque illud, ne *patrueli*, vel *amitino, aut consobrino viuēte alter eius patruelis, aut amitinus, aut consobrinus ad Cardinalatum valeat promoueri*; nec non §.18. idem de *patruo, aut auunculo nepotis ex fratre, vel sorore Cardinalis viuentis, & e conuerso de tali nepote patrui, & auunculi*: Quibus nec *Sixti* successores steterunt. Et saluberrimum quidem foret, vt R.P. Ecclesiasticum hunc Principatum non *sanguini deferrent, sed vitæ* 8.q.1. c.6. *nullamque consanguinitatis, nullam propinquitatis haberent contem-*

patio-

plationem c.16.e S. Hieron. eiusque non esset modò querela iustior de multis R. P. Cardinales eligentibus: *At nunc cernimus plures hanc rem beneficium facere, vt nō quærant eos in Ecclesia erigere columnas* (hoc nomine Cardinales nuncupat Sixtus §. 1. & priùs *S. Bern.* lib.4. de Consid.): *quos plus cognoscunt Ecclesiæ prodesse, sed quos, vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs deliniti, vel pro quibus maiorem quispiam rogauerit, & (vt deteriora taceam) qui, vt Clerici fierent, muneribus impetrarunt*. Inter eos, quos amant R.P. sunt oppido Consanguinei; quorum amore deliniti, vel etiam precibus allecti, adolescentes, & quandoque imberbes, crearunt Cardinales, licet in ijs ætas, sicuti in Episcopis, triginta annorum, & expletorum d.77. c.5. & c. *Cum in Cunctis* de elect. requiratur. Meminerint R. P. *TVM* Declarationis Trid. Conc. ab ipsis etiam approbatæ R.P. clarè comprehendentis Cardinales etiam Diaconos, ad controuersiam inter Doctores dirimendam, *eos mortaliter peccare, qui non digniores, & Ecclesiæ magis vtiles iudicauerint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum existentibus meritis, præfici diligenter curauerint*; & grauiùs quidem, quā si aliquos minùs dignos Cathedralibus præficiant Ecclesijs, cum Cardinalitia dignitas (dempta Ordinis potestate) sit amplior, quam Episcopalis, & absolutè censeatur eidem modò præferenda, & grauiora, & magis ardua, vniuersaliq. vtiliora Ecclesiæ tractare negocia Cardinales soleant, & magis ad ipsorum mores cuncti oculos conuertant, & in conspectu Orbis sint expositi, si potissimùm in Vrbe morentur &c. *Tum* Moniti eiusd. Trid. c.25. c.1. *Vt omnem humanum erga Fratres, Nepotes, propinquosque carnis affectum, vnde multorum malorum in Ecclesia seminarium extat, penitus deponant*. Ipsi dum Cardinales tantummodo erant, id apertissimè agnouerunt verum esse, ac detestati sunt sæpenumero humanum hunc viuentium Pontificum in Consanguineos suos affectum, & forsan constanter proposuerunt, se illum planè deposituros, si in Petri Cathedra quandoq. sederent: Quomodo igitur eorum, vbi Pontificatum inierant, fascinatus est animus, vt loco humani humanissimū prorsus affectum in Consanguineos reposuerint, ad eos honoribus, ac opibus efferendos quasi semper intenti, memoria obliterata experientię, quam olim ipsi quoque fassi fuerant, ex illo *Seminarium multorum malorum in Ecclesia existere*, dum inest maximè R. P. grauissimarumq. nominatim offensionum in populis, & Catholicis, & non Catholicis? Nunquam fiat, vt vlli Pontifici illud a Christo exprobrari possit. *O insensate* Pontifex, *quis te fascinauit non obedire veritati? Sic stultus factus es, vt cum spiritu cœperis, nunc carne consummes?* ad Galath. c.3. v.1. ac 3. Cum Cathedra Petri eos, qui *eriguntur* ad Pontificiæ dignitatis apicem, *illustret*, nec *peccandi licentiam* tribuat, sed potius ex se subtrahat (c.1. d.40.) decolorat Te, qui in eadem sedens *peccandi licentiam inde suscipis*, obscurumque perpetuò reddit nomen tuum? Caue, ne in obscurum pariter gehennæ carcerem perpetuò detrudaris. Hanc Christi exprobrationem, vt effugiat R.P. procul ab illius conspectu (vt qui-

dam Sanctissimi Pontifices egerunt) adeoque in Vrbem non admittendi, forent remouendi illius Consanguinei; est enim quædam quasi fascinatio amoris, seu passio amoris illata ab oculis Consanguineorum. Quamobrem, sicuti *Sixtus* §.16. prohibuit, *ne aliquis qui vtriuslibet sexus filiam, seu filios, etiam ex legitimo matrimonio susceptos, vel Nepotem, seu nepotes ex eis habeat, vllatenus in Cardinalem assumi, aut promoueri possit*, reddita ratione, *quòd Pater erga proprios filios naturali affectu nimia quadam propensione feratur, verendumque sit, ne propterea varijs propriæ domus negotijs, ac multiplici liberorum cura distractus, Ecclesiæ negotia sibi credita, aut negligẽter tractet, aut minùs sollicitè, & fideliter, quàm par est, eiusdem Ecclesiæ iura tueatur:* Quidni simile statutum condatur a R. P. (sed opus esset, vt hic vel non haberet nepotes, consanguineosque proximos, vel esset similis Clem. IV. alijsque Pontificibus, de quibus supra) vt inhabilis sit ad Pontificatum, qui Nepotes habeat, Consanguineosque valde proximos; vel antequam publicetur R. P. electio, & Cardinales eidem electo obedientiam exhibeant, teneatur publicè Deo promittere, se nulli vsque ad tertium gradum Consanguineo, vel affini vllam Ecclesiasticam dignitatem, vel vllum sæculare officium prorsus delaturum, nisi de voto iurato maioris partis Cardinalium, qui testarentur, aliquem ex his ijs dotibus esse exornatum, quas sacri Canones, & Pontificiæ Constitutiones requirunt &c. Cardinaliũ sanè est, cum apertè videant, quot *malorum in Ecclesia Seminarium sit hic humanus R. P. in Fratres, Nepotes, Propinquosque Carnis affectus*, tanquam digniori deferre Pontificatum illi, qui careret Fratribus, Nepotibus, alijsque Consanguineis proximis, in quo conspiceretur insignis probitas, licet mediocris scientia, ac prudentia, omnibus illis præferendo, in quibus hæc duo eminerent. Qui multos nepotes, propinquosque proximos habent, non sunt verè idonei ad Pontificatum, & præsertim si non leuem in eosdem propensionem iam ostenderint; quæ tamen dissimulari potest consultò à Cardinalibus, illa exuberante, vbi Pontificatum adepti fuerint. Certè cum teneantur ex officio, adeoque ex iustitia, maximè idoneum toti Ecclesiæ Pastorem præficere, non excusandi a læthali crimine, si hoc in *Ecclesia Seminarium malorum* non auertere suffragium laturi non conentur; quapropter iustissimè punientur a Deo, tanquam rei violati iuramẽti, quod suffragium daturi in R. P. electione, post sacram quoque Communionem, emiserunt; ac præterea participes culparum commissionis, & omissionis erũt in quas labetur R. P. ex humano hoc affectu in suos, si verosimillimum putauerint ex antecedentibus, ac cæterorum praxi Pontificum, hunc ab eo Pontifice electo minimè deponendum.

6. *Apostolos elegit Christus e sola ferè Galilæa*; cuius homines, etsi eãdem cum Iudæis religionem profiterentur, apud eos tamen, velut gens contemptibilis, habebantur, vt innuitur Ioan. 7. v. 52. vnde & Iudæi stupentes, ac mirantes, quòd die Pentecostes Apostoli varijs loquerentur linguis dixerunt Act. 2. v. 7. *Nonne ecce omnes isti, qui loquuntur Galilæi*

sunt?

sunt? Erat autem gens simplex, & candida; Iudaicæ non tantum linguæ aliquo discrimine, sed & in moribus opposita, cum hæc propensissima foret in murmurationem, & calumniam, vt notant interpretes ad Ioan.6.v.41.& 11.v.37. ac etiam in mendacium, qua de causa quoque Christus illos sic reprehendit, *Vos ex Patre diabolo estis* Ioan.8. vers.44. *& desideria patris vestri vultis facere; ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit, quia VERITAS non est in eo; cum loquitur MENDACIVM, ex proprijs loquitur, quia mendax est, & PATER eius.* Ab hisce linguæ vitijs remoti erant Galilæi, quorum erat peculiariter *suspensa, vel ambigua, vel obscura verba, perplexum de industria, incertumque sermonem deuitare*, similes *S.Ignatio* Soc. Iesu Fundatori, e *cuius ore*, vt legitur in illius Canonizationis Bulla ann.1623. Aug.6. sub Vrb.VIII. *pura veritas sine vlla fallacia, fuco, fictione, aut obscuritate processit, cum cordis puritate, & simplicitate*; qui & fertur a Maff.in fin.c.10.lib.3.Vit.S.Ign. illa *detestatus semper fuisse verba suspensa &c. vti barbaras artes, & SVBDOLA MENDACII tegumenta, ac societatis humanæ perniciem*; nam si licet Mentali Restrictione vti, etsi quis iuret se non ea vti, vel vsurum, propter aliquam vtilitatem inde emanantem, aut emanaturam; quænam fides haberi poterit vllius verbis, scriptis, editisq.; cum possit quilibet dubitare, loquens maximè, vel contrahens cum alijs, & maximè si hi sint aulici, non vulgares, sagaces &c. an aliquam sibi proposuerint causam ex illis, quas illius opinionis assertores multiplices proferunt sufficere ad laudabilem Restrict.Ment.vsum? Verba in familiari etiam sermone, an non poterunt haberi similia illis, quę hominis adhebent, vt vulgò dicitur, in Cæremonijs, quibus nulla plane fides; & sic significatio Vocum communis an non omninò tolletur? Siccine in iustos *agno* persimiles in innocentia, ac simplicitate (sicuti propter eamdem indicat *S.Aug.*tr.4.in Ioan.Christum dictum a *Ioanne Baptista* Io.v.29. *Agnum*) dominabuntur improbi persimiles *vulpi*, quod nomen indidit ipsemet Christus Herodi Luc.13.v.32. *propter fraudes eius*, inquit Beda, *ac dolos, quod plenum fraudis sit animal?* Cum igitur eximij Veritatis Cultores Galilæi forent, ex ijs Apostolos selegit, quibus indixit hoc eodem c.10. v.16. *Estote prudentes, sicut serpentes*, cauentes Iudæorum insidias, & fugientes v.23. *& simplices, sicuti columbæ*, hoc est sinceri; Breui, *estote Cauti, sed non Callidi*; est autem Callidus quicumque subdola mendacij tegumenta adhibet, sensum verbis velat &c. Priùs autem Christus, qui est *Veritas* Ioan.14. v.6. cunctis indixerat Matth.5. v.37. *Sit sermo vester, Est, Est, Non, Non*, siue *semper vera loquens*, vt inquit *S.Aug.*c.17. & 22. in Ench. *Omnisque iustus fictione caret, sectatur veritatem, sinceritatem, simplicitatem*, vt clarè *S.Basil.*Hom.7. in Hexam. ac iustorum dicta *sunt pura veritate conspicua, nec aliud se per fallaciam protendunt exteriùs, & aliud reseruant interiùs*, teste *S.Greg.* c.28.in Iob. c.30. Quamobrem etiam e Galilæis ipsis Apostolatum tribuit Piscatoribus, hominum scilicet generi in aqua commoranti cum piscibus, qui propter aqueum humorem in ipsis dominantem minùs sagaces, quā terrestria,

ac volatilia animalia, faciliùs prædæ sunt expositi; & hinc illa *Aug.* lib. 22. de Ciuit. c. 5. *Ineruditos liberalibus disciplinis, non peritos Grammatica, non armatos Dialectica, non Rhetorica inflatos, Piscatores cum retibus fidei ad mare huius sæculi paucissimos misit, atque ita ex omni genere tam multos pisces, & tantò mirabiliores, quantò rariores, etiam ipsos Philosophos, cæpit.* Selegit præterea illos e sola natione Hebraica, quæ Sola verum colebat Deum; nam Gentiles, & Samaritani idola venerabantur, cum quibus Iudæi commercia non exercebant; & licet a colloquio cum illis non abstinerent in rebus necessarijs, maximè tamen cum illis cibum, vel potum sumere declinabant, putantes se ea potissimùm re pollui, vt significatur Ioan. 4. v. 9. Et cum ad Iudæorum primò conuersionem Apostoli omnes essent mittendi, vt paulò post euenit, imprudentissimum planè consilium fuisset, e Samaritanis, vel Gentilibus vllos recensere inter Apostolos, quibus etiam hoc c. 10. v. 5. præcepit, *In viam Gentium*, hoc est, ad Gentes, *ne abieritis, & in Ciuitates Samaritanorum*, qui propriè nec Gentiles erant, nec Iudæi, *ne intraueritis*. Cum autem R.P. omnibus Christianis nationibus præsit in spiritualibus, Cardinalium numerus non est ad Vnicam coarctandus Nationem, verùm ad omnes porrigendus. Et Basil. quidem Patres decreuerunt, vt de vna Natione vltra tertiam partem, ac de vna Ciuitate, & Diœcesi vltra vnũ inde oriundum, qui sit de eadem Natione, non Cardinalium constaret Collegium. At Patres Trid. decreuerunt dumtaxat a R P. ex omnibus Christianitatis Prouincijs, quantum commodè fieri poterit, prout idoneos repererit, Cardinales assumendos; cui decreto inhærere se professus est *Sixtus V.* §. 11. idq. *vt in regimine Vniuersalis Ecclesiæ vtiliter assistere valeant R. P. ac de omnibus Christianorum Regnorum, Prouinciarumque moribus, rebus, & negotijs promptè, & fideliter certa ab eis notitia, pro rerum emergentium opportunitate habe. tur*; quæ causa præponderat illi, quæ affertur a *Card. Iacob.* de Concil. lib. 1. ar. 1. sub num. 212. scribente, conuenientius videri, vt assumerentur de terris peculiaribus S.R.E. quia sic Cardinales forent liberiores in ferendis Papæ consilijs; quod reprobat quoq. *Flau. Cherub.* Schol. 1. in Sixti Bullam cum *Gomes.* in Reg. Canc. q. 1. de Idiom. Non desunt in Italia extra terras S.R.E. in Gallia, Hispania, ac Germania Viri illustrissimi pietate, doctrina, vsuq. rerum, purpura dignissimi, ac multi non rarò digniores ijs, qui R.P. subiecti sunt, qui tamen cæteris paribus præhabendi reliquis propter *Card. Iacob.* rationem. Pastor vniuersalis vniuersarum ouibus nationum consulere debet, quod opportunè non poterit præstare, nisi Consiliarios habeat peritos in earum moribus, legibus, genio &c. & hi quidem vltrò in Sacro reponendi Senatu, etsi nunquam Romam adierint, nedum in Vrbe morentur, etsi nullus id petat, vel ipsi ambiant, vel appetant; Sed Romæ retinendi, & ob grauissimas solùm causas ad Prouincias remittendi, inde confectis reuersuri negocijs; neque enim a Curia absentes ita prouidis iuuare possunt R.P. consilijs, sicuti præsentes, nec ad hunc finem illi creantur, vt extra Vrbem illi sint R.P. consiliarij: Nec

satis

ſatis huic obtemperatur decreto ſummè rationabili, ſi ſolùm Cardinalatus deferatur ijs, qui a Principibus maximis nominantur; præterquã enim illi aliquando Italos nominant (in quo haud facilè eorum votis annuendum &c.) ſic electi Cardinales ſunt maximè hiſce Principibus obſtricti, quorũ cõmodis, quã vniuerſalis Eccleſiæ, ſæpenumero magis proſpicere poterũt. Inſignium huiuſmodi hominum in qualibet natione notitia haud R.P. deerit, ſi ex animo illam cupiat. At amor priuatus nationis, patriæ, conſanguinitatis, pecuniæ &c. potior frequentiſſimè eſt publici amore boni, vt nemo nõ animaduertit: Qui mentis, corporiſque oculos, ſi in Cardinales defixerit, deprehendet omninò, non ſolùm in vno, vel altero, pauciſſimis certè, a cõpluribus iam annis conſpici virtutes, quas ſingillatim enumerat S.Bern. lib. 4. de Conſid. cupiens videre *tam inclyto agmine ſtipatum R. P. & Eccleſiam Dei talibus innixã columnis*, ſed & pleroſq. ijs deſtitutos dotibus, quas Summi quoque ſuperiori ſæculo in ijs poſtularunt Romani Pontifices: Sic enim *Leo X.* in Bulla *Reformationis Curiæ* promulgata in Concil. Later. ſeſſ.9. ann. 1514. Maij 5. (& eſt 7. in Bull. §.16. *Cum S.R.E. Cardinales cæteros omnes in ipſa Eccleſia poſt Summum Pontificem bonore, ac dignitate præcedant, conueniens, ac debitum eſt, vt vitæ munditia, ac virtutum ſplendore cunctis præfulgeant. Quapropter non modò hortamur eos, ac monemus, verùm etiam ſtatuimus, & ordinamus, vt de cætero quilibet Cardinalium pro tempore exiſtens, iuxta doctrinam Apoſtoli, ita ſobriè, caſtè, ac piè viuat, vt non ſolùm a malo, ſed ab omni etiam ſpecie mali abſtinens, coram hominibus luceat, Deumque in primis operibus honorificet &c. Sitque eorum domus, familia, menſa, ſuppellex, non faſtu, aut pompa, neque ſuperfluis rebus, neque aliquo modo reprebenſibilis, ne peccandi, excedendiq. modum licentia inde naſcatur, ſed vt æquum eſt, modeſtiæ, & frugalitatis ſpeculum dici mereantur*; & §.20. vbi Conſanguineis ita opem ferre ex Eccleſiaſticis reditibus indulſit, *Vt* cæteri damnum ex huiuſmodi largitionis intemperantia non patiantur, & inde ſcandalum naſcatur, ſubdit; *Statuimus itaque, vt Eccleſiarum bona temerè non effundant, ſed ea in pijs, & ſanctis operibus exponant, quorum cauſa magni, & opimi reditus per Sanctos Patres ſtatuti, & ordinati fuerunt*: Nec non §. 23. poſtquam circa numerum familiarium, ac equorum ita ſe gerere Cardinales iuſſit, vt nec luxus, nec prodigalitatis, nec etiam auaritiæ vitio notari queant, adiungit, *domos Cardinalium patens hoſpitiũ, portumue, ac refugium proborum, & doctorum maximè virorum, & pauperum nobilium, honeſtarumq. perſonarum eſſe debere*. Pariter (confirmante id Pio IV. an. 1564. Ian. 26.) Patres Tridentini ſeſſ. 25. c. 1. decernentes, vt quæ de Epiſcopis circa mores ſuos componendos ſtatuerunt, *vt reliqui ab eis frugalitatis, modeſtiæ, continentiæ, ac ſanctæ humilitatis exempla petere poſſint, atque modeſta ſuppellectili, & menſa, & frugali victu contenti ſint, ſed & in reliquo vitæ genere, ac tota ipſorum domo caueant, ne quid appareat, quod a ſancto hoc inſtituto ſit alienum, quodque non ſimplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præſeferat; neque ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos,*

neos, familiaresue suos augere studeant, cum & Apostolorum Canones prohibeant, ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, sed, si pauperes sint, ijs, vt pauperibus, distribuant, eas autem non distrahant, nec dissipent illorum causa; hæc, inquam, decernentes etiam ad S.R.E. Cardinales pertinere, addiderunt, *Quorum consilio apud S.R.P. cum vniuersalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas videri potest, non ijs etiam virtutum insignibus, ac viuendi disciplina eos fulgere, quæ meritò omnium in se oculos conuertant*. Quin etiam addi posset; eos teneri amplioribus virtutum insignibus, ac exactiori viuendi disciplina fulgere, quam Episcopos, cum asserat ipse *Card. Turrec.* lib. 1. de Eccl. c. 80. init. *Dicendi sunt Domini Cardinales in statu perfectionis esse, & tantò sublimiùs, quantum bonum vniuersalis Ecclesiæ, ad cuius regimen, & ordinationem assumuntur, & pro cuius tuitione exponere animas suas se obligant, perfectiùs, & per consequens diuinius est bono particularium plebium, quarum regimini intendere alij Prælati obligantur*; Quas verò qualitates in assumendis ad Cardinalatum requirat *Sixtus V.* iam satis supra indicatum est: Quamobrem si ad Cardinalitiam dignitatem euehendi, vel iam euecti non tales sint, quales etiam P.R. ipsimet (non Basileenses Patres, licet horum auctoritas a Catholicis Scriptoribus, dum agunt de Cardinalibus, afferatur, vt ab *Henr. Homob.* &c.) iubent esse; R.P. culpæ ascribendum, maxima e parte saltem profectò est, qui nimis suo indulgent genio, ac nimis quæ sua quærunt; cum tamen nec honori suo consulant, cum perpetuò celebris maneat memoria R.P. qui lectissimos Cardinales sibi *Coadiutores in Executione Pastoralis officij*, vt loquitur *Innoc. III. c. Per vener bilem* Qui fil. sint legit. asciuerunt. CVM AVTEM hoc plenè non rarò non exequi possit R.P. nisi Cardinales mittat legatos, vel ad gubernandas Prouincias, vel ad Imperatores, ac Reges, & ad grauissima extra Vrbem negotia, vt significauit quoque *Sixtus* in fine §. 1. supra allati (sic enim indicat pariter in hoc c. 3. Marc. v. 14. duas fuisse electionis causas Apostolorum, vt scilicet adessent Christo, vt familiares, ac domestici, atque vt mitteret eos prædicare, siue tanquam legatos suos a se dimitteret ad Apostolica munera in vicis, castellis, Ciuitatibus Hebraicis exercenda &c.) aptos ad huiusmodi legationes quoque inter Cardinales cooptare debet: Quapropter tales eligendi, *Qui* (vt ait S. Bern. lib. 4. de Consid.) *legatione pro Christo fungi, quoties opus erit, nec iussi renuant, nec non iussi affectent; Qui quod verecundè excusant, obstinatiùs non recusent: Qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur: Qui quæstum legationem non æstiment, nec requirant datum, sed fructum: Qui Regibus Ioannem exhibeant, Aegyptijs Moysem, fornicantibus Phinees, Eliam idololatris, Eliseum auaris, Petrum mentientibus. Paulum blasphemantibus, negociantibus Christum: Qui vulgus non spernant, sed doceant; diuites non palpent, sed terreant; minas Principum non paueant, sed contemnant: Qui non cum turba intrent, nec cum ira exeant: Qui Ecclesias non spolient, sed emendent: Qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant; famæ prouideant suæ, nec inuideant*

deant

deant alienæ: Qui orandi studium gerant, & vsum habeant, ac de omni re plus orationi fidant, quàm suæ industriæ, vel labori: Quorum ingressus pacificus, non molestus exitus sit: Quorum sermo ædificatio: Quorum vita iustitia: Quorum præsentia grata: Quorum memoria in benedictione: Qui se amabiles præbeant, non verbo, sed opere, reuerendos exhibeant; sed actu, non fastu: Qui humiles cum humilibus, & cum innocentibus innocentes; duros durè redarguant, malignantes coerceant, reddant retributionem superbis: Qui non de dote viduæ, & patrimonio Crucifixi se, vel suos ditare festinent, gratis dantes, quod gratis acceperunt, gratis facientes indicium iniuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis: Qui ad Summum Pontificem redeant fatigati quidem, sed nō suffarcinati, simul & gloriantes, non quod curiosa, seu præciosa quæque terrarum attulerint, sed quod reliquerint pacem Regnis, legem Barbaris, quietem Monasterijs, Ecclesijs Ordinē, Clericis disciplinā, Deo populū acceptabilē, sectatorē bonorū operū. An huiusmodi fuerint nō pauci Cardinales posterioribus hisce sæculis missi ad regendas Ciuitates, ac Prouincias, ad Imperatores, ac Reges, similesq. fuerint *Martino* Cardinali (cuius laudes, quod redierit legatus De terra auri siue auro, & donum quod poterat esse suspectū reiecerit, sicut & *Gaufridi Carnotensis* Apostolici in Aquitania legati, *S.Bern.* ibi commemorat) norunt publicarum conscij rerum; qui sicuti non negant, quosdam præclarè munus suum obijsse, multos tamen affirmant fuisse, qui e Prouincijs, ac Ciuitatibus ad Summum Pontificem redierint suffarcinati auro, quod e suis collegerunt legationibus; atque missos ad Imperatores, ac Reges pro alimentis profusissimam ab Apostolica Camera obtinuisse pecuniam, ac regressos in Vrbem cum nullo fermè spirituali Regnorum, ac Prouinciarum fructu, suspiciētibus populis potiùs eorum pompam, quàm virtutes, eam sapientibus tacitè irridentibus, optimisque Catholicis inde lachrymantibus, sed amplis muneribus, pensionibus &c. decoratos: Nonnullos etiam animaduertunt, missos primariò, si non vnicè, *vel* ad temporalium possessionem sibi, suisue Principum beneficio latiùs, vel latissimè propagandam, *vel* ad placandos quorumdam contra suam potissimè familiam animos, *vel* ad suis patrocinium Consanguineis obtinendum, idq. cum ingentibus Apostolicæ Cameræ sumptibus, maximè si fuerunt Consanguinei, seu Nepotes R.P. Verùm quod hæc fuerit primaria R.P. legatos mittentium intentio, constare debet; secus enim hic sensus maleuoli in R.P. animi argumentum erit.

XV. Duodecim tantùm e tot discipulis, & alijs, qui ipsum sequebātur, Christus Apostolos nominauit. Vsque ad ann. 1124. Cardinales fuerunt ad summum numero quinquaginta tres; inter quos triginta quinque Sacerdotes (inter eos numeratis septem Episcopis Romę proximis) atque Diaconi decem, & octo; qui numerus diminui cœptus sub *Honor.II.* electo Pontifice an.1124. Dec.15. adeo deinceps imminutus est paulatim, vt nonnisi viginti, mox decem, ac tādem nonnisi septem, tres scilicet Presbyteri, & quatuor Diaconi interfuerint electioni *Ni-*

colai III. an.1277. Nou.25. At sensim augeri cæpit, vt essent quindecim ac deinde viginti; at nunquam triginta vsque ad *Sixtum IV.* qui licet vnà cum *Alex.VI.* ac *Iul.II.* eorum ampliauerit numerum, non tamen vnquam, vel quinquagesimum attigerunt, vt scribit *Onuph.Panuin.* in lib.de Episc.Tit.& Diac.Card. Excessit illum *Leo* 10.in celebri illa Cardinalium 31. creatione ann. 1517. Iun.27. Etenim sub illo circiter 65. Cardinales simul viuentes fuerunt; quod alias nunquam contigerat post fundatam Romanam Ecclesiam; cuius exemplum secuti fuere *Paulus III.* & *Paulus IV.* e quibus ille ad 64.iste ad 70.auxit; & hic præfinitus postea fuit a *Sixto V.* in sua Constitutione 50. (cuius sæpe mentio facta) exemplo *mandati Domini ad Moysem de assumendis secum septuaginta viris, quos nosset senes populi esse, & magistros, & secum onus populi sustinerent*; statuens, vt ex ijs forent Episcopi sex, Presbyteri quinquaginta, Diaconi quatuordecim; quibus an.1587. Ap.13. (& est Bulla 55.in Bul.) Titulos, & Diaconias præfiniuit. Concilij sanè Basileensis allata sæpius sess.23.hoc decretum fuit. *Cum Summo Pontifici S.R.E. Cardinales in dirigenda Christiana Republica collaterales assistant; necesse est, vt tales instituantur, qui sicut nomine, ita re ipsa cardines sint, super quos ostia vniuersalis versentur, & sustententur Ecclesiæ. Statuit igitur Sancta Synodus, vt deinceps eorum numerus adeo sit moderatus, quod nec grauis sit Ecclesiæ (quæ nunc ob temporum malitiam plerisq. grauibus affligitur incommodis) nec superflua numerositate vilescat.* Deinde decreuit; Quod numerum vigintiquatuor inter eos, qui tunc erant, & assumendos, non excederent. Sic in circuitu Sedis visæ à Ioan.Apoc.4.v.4. erant 24.animalia, & super thronos 24.seniores sedentes; quod de Romana Sede, & Cardinalibus interpretatur *Card.Turrecr.* lib.1. de Eccl. c.80. iam allato. Subiunxerunt. *Prædicto autem numero viginti quatuor, pro magna Ecclesiæ necessitate, vel vtilitate, duo alij, in quibus vitæ sanctitas, vel eximiæ virtutes refulgeant, quamquam memoratos gradus* (hoc est magistri, vel licentiati non sint in Iure Diuino, vel Humano) *ac de Græcis, cum Romana Ecclesia vniti fuerint* (sperabant Basileenses Patres eorum opera, vt liquet e sess.19. 24.25. hanc vnionem futuram, quæ tamen fuit opera Eugen.IV. vt liquet e sess.25. Concil. Florent. & Bulla 17. in Bul. ann. 1439. Iul.6.) *insignes aliqui viri aduci poterunt.* Obseruat autem *Onuphr.* post hoc decretum, quod est Basil. non Constant. Concil. (vt ipse ex obliuione tradit) vsque ad Sixtum IV. numerum Cardinalium nunquam fuisse triginta; qui nec huius decreti vllam habuit rationem, sicuti neque alterius singulariter fauorabilis Immac. Concept.B.V.sess.36.ann.1439. Sept.17. promulgati, vt patet ex illius *Extr.* de hac materia, cui initium, *Graue nimis*, edita ann.1483. Sept.4. Adeò R.P. auersati sunt Conc.Basil. Quamobrem amplificatio numeri Cardinalium vltra 24. debetur duobus R.P. e Minorum, & Conuentualium, Ordine. Non desunt tamen homines, & valde prudentes, qui minus *Sixtum V.* laudant in præfinito 70. Cardinalium numero; quia licet R.P. hinc multis gratificandi occasionem habeant, suoque indul-

gendi

gendi genio, hæc tamen incommoda (præterquam recessum ab antiquo 53.) accesserunt. *Primum*. Quod sic minori in pretio habetur Cardinalitia Dignitas; nam paucitas *honorabiles reddit Diaconos* quoque d.93.c.24. *Secundum*. Quod lectissimi, & adeò conspicui pietate, doctrina, ac prudentia, sicuti postulant eorum munera, & Pontificiæ Constitutiones, haud tot esse queant; Sed multi haud verè digni illum consequantur honorem; *rarum enim est omne, quod magnum est* d.59.c. 2. & 2.q.7.c.3. magis autem attenderetur ad promouendorum qualitates, si forent pauciores; & hæc præcipua forsan fuit causa, a qua Basil. Patres numerum 24. præfixerunt, additis tamen alijs duobus insignis vitæ sanctitatis &c. *Tertium*. Quod hinc ambiendi Cardinalatum multò pluribus suppeditatur occasio, mediaque adhibendi non congrua, quin etiam rectæ rationi, Apostolicisq. Constitutionibus dissentanea, maximè cum videant inter tot complures, in quibus nulla patent singularia merita vitæ, doctrinæ, prudentiæ supernaturalis &c. Quæ licet in aliquibus eminerent, vel emineant etiam modò, quid hi inter tot? Si inter 70. essent decem, aut duodecim minùs insignes virtutibus ijs, quas per se exigit Cardinalitia dignitas, condonandum id esset procul dubio; neq. enim adeò oculati possunt esse Pontifices, quin eorum obtutum quidam effugiant; At si inter 70. dumtaxat decem, aut duodecim illis essent oppidò insignes; an non existimandum prorsus, occæcatã fuisse R. P. fuisse mentẽ a nonnulla animi praua affectione? Inter Apostolos quidẽ (*nõ est in cũctis paritas*) fuit Iudas Iscariotes; sed, præterquã, dũ electus fuit, non improbus erat, ille vnicus fuit inter duodecim; Vnquãne Christ' nominasset Apostolos vndecim, qui futuri etiam essent Iudæ Iscariotes, vnicumque Petrum, vel Andreã &c.? Qui certè, licet homines tunc scelestissimos cõstituisset Apostol s, potuisset quoque illicò eos supernaturalibus medijs reddere iustos. *Quartum*. Quod ex valde Cardinalium aucto numero fiat, vt complures non habeant reditus suæ congruos sustentationi; & hinc possint aliqui in suo statu Cardinalitio sanè mendici esse, iuxta Glos. celebrem in Extr. Ioan. 22. de Dignit. verb. *Mendicant*, quæ plura ad id affert; multis vel petentibus, vel non petentibus concedantur Episcopatus: adeoq. cum residere cogantur (in quo sine graui causa dispensare non potest R. P. cum residẽtia Pastorum sit de iure etiam diuino, vt communis sententia fert, maximè post Trid. Conc. sess. 23. c. 1. ad quam obligari etiam S. R. E. Cardinales, apertè declarauit) nequeunt non assistentes R. P. suum explere officium, quod *Eug. IV.* §.4. Bul. 15. innuit a B. Petro iussu Dei fuisse institutum; & cum eos appellent Summi ipsi Pontifices *partem sui corporis*, quin etiam *Henr. VII.* a *Clem. V.* in Vrbe coronatus an. 1313. in quadam ibi condita lege, quam refert *Alberic.* in Rubr. C. de Sum. Trinit. eos nuncupet *partem* R. P. *præclaram*, contigua capiti Ecclesiæ, quod est Papa, debere sui corporis membra esse, vt loquitur *Eugen.* §.4. ostenditur; quæ contiguitas in Cardinalibus Episcopis absentibus ostendi non potest. Obseruat enimuerò *Onuphr.* (qui a Paulo

Manutio, teste *P. Ant. Posseu.* in App. Verb. *Onuphrius, Historiarum Helluo* nuncupatur) morem per annorum mille spatium viguisse, vt Presbyter Cardinalis Vrbis Romæ, neque Episcopus esset, vel Episcopatum administraret, vel ex Episcopo fieret Presbyter Cardinalis, cum maior tunc dignitas fuerit esse Episcopum cuiuslibet Diæcesis, quam Cardinalem, & Cardinalatus fuerit gradus ad Episcopatum, & Cardinalis Presbyter Episcopatu insignitus desineret esse Cardinalem; primusque *Ioannes* ex Episcopo Viterb.& Tuscul.Presbyter Card.S.Clem. dicitur fuisse creatus a *Clem.III.* ann.1189. Fer.4.Cin. qui & ann.1190. mense Septembri *Ruffinum* Episcopum Ariminensem inter Diaconos Cardinales descripsit; iam verò cæperat Cardinalium auctoritas amplificari, cum illis electio R.P. principaliter concessa fuisset, vt animaduertit *Si:on.* ad ann.1059. traditque *B. Petr. Dam.* (qui inter mortales erat an 1050.) epist.20.lib.1.eos etiam vocans *oculos*, & *lampades R.E.* quæ postea in eosdem solos translata etiam a Concil.Later. ann.1179. sub Alex.III. c. *licet* de Elect. At cum vigeret lex, ne quis nisi amico potiri posset Sacerdotio, non ampliùs simpliciter Episcopus dicebatur &c. Quamobrem cum Cardinalibus tribuere Episcopatum, sit fermè illis primarium Cardinalatus officium demere, vt significat *Leo X.* in Bulla 7. de qua supra §.28. ac Six. in Proem. & §.1. & §.19. sunt siquidem per se *Consiliarij Papæ, Collaterales Papæ*, & post eum *Iudices orbis*, vt ait *Bern.* lib. 3. de Consid. non illum petentes non sunt cogendi profectò, nisi culpa aliqua in officio, vel in Vrbe cōtracta, sanè occulta, sed ipsi R.P. manifesta, dimissionem ab Vrbe nō indecoram exigeret, si tamen Episcopatu haud indigni sint. Circa petentes obseruandum videtur; Si id agant, *quia minùs grati sint ipsemet R.P.* eò quòd minùs æquis cupiditatibus suis, vel Consanguineorum annuere significauerit, aut malè palam gesta a R.P. reprehenderint, vel improbas Consanguineorum actiones ipsimet R. P. indicauerint, ac inde illos irritauerint &c. haud permittat, hosce Cardinales a Curia aliò proficisci, cum & saluti, & honori ipsius Pontificis expediat illos apud se habere, ac potiùs beneficijs deuincire; Si id agant, *Vt Curiæ laboribus, aut Curialium oculis semet subducant*; illud prorsus non est admittendum, cum purpuram suscipientes multiplices quoque curas susceperint; *ad altissimum siquidem hunc gradum euecti sunt, vt cum ipso R.P. communi Patre, ac Pastore*, inquit Sixtus V. in Proem. Bullæ, *ad quem ex omnibus vndique gentibus, ac nationibus, in grauissimis, maximèque arduis rebus fideles omnium generum, omnium ordinum, summi, infimi quotidie confluunt, tanti ponderis molem, atque onus populorum sustineant, & pro animarum salute, pro fide, pro iustitia, pro vnitate assiduè inuigilent, ac laborent; qui circa ipsum vniuersali Ecclesiæ seruiendo, singularum Ecclesiarum commoditatibus se impendant, quorum consilio idem Pontifex agenda disponat, quorum opera, & necessaria, & plurimum fructuosa vniuersæ Reipublicæ Christianæ in secundis rebus ornamento, & commodo, in dubijs præsidio, & adiumento esse possit: Qui denique pro exaltatione Catholicæ Religionis,*

pro

pro pace, & quiete Christiani populi, pro augmento, & honore Sanctæ Sedis Apostolicæ sanguinem, si ita res ferat, & spiritum, constanter effundant; At leuandi erunt oneribus nonnullis confecta iam ætate Cardinales: Nec erit laudabile, se Curialium obseruationibus subtrahere, vt minùs ipsorum mores notari possint, cum iam sint positi supra Vaticanum montem iuxta R.P. & supra candelabrum collocati, vt fidelibus cunctis suis actionibus luceant, inde præclara virtutum exempla præbentes. Hinc horum votis haud est indulgendum; sed a R.P. monendi, vt perfectiorem vitæ rationem ineant; vel hortandi, vt magis semper eam viuendi disciplinam prosequantur, quam magis semper fideles suspiciant. Si autem oriatur hæc petitio *ex defectu necessariorum verè ad æquam sui sustentationem* (nam vituperanda prorsus foret, si ad opes sibi, vel suis corrogandas, Episcopatus amplos reditibus postularent) congruentes reditus procul dubio illis præbendi; qui nunquam deerunt, si æquè illi distribuantur. Indecorum autem, ne dicatur iniquum, planè foret, si propter id confugere deberent ad Principes, supplices eos orantes, vt se nominarent ad Episcopatus, pensiones nonnullas elargirentur, vt infra. In quibusdam tamen amplis Ciuitatibus, in quibus Cardinalium auctoritas videretur necessaria, vel ad hæreses retundendas, vel ad Reformationem in moribus deprauatissimis, vel contra laicas potestates legitima violantes Ecclesiastica iura, vel quia Episcopi non Cardinales non multo haberentur in pretio &c. concedi vltrò posset residentia Cardinalis Episcopi: *Præterea*, si res etiam humanitus agatur, præter temporalia commoda in Vrbem emanantia, est summè decorum, & R. P. & Romanæ Curiæ, quod ille stipetur ampla Purpuratorum Patrum Corona, inde frementibus hæreticis R. P. hostibus, & hæc a tot illustretur sacris Senatoribus, qui nec sordidi, nec auari suam retineãt Dignitatem, omnium gentium oculis in eorum virtutes conuersis. Si moderatio quidem adhiberetur Cardinalium numero, necessaria cuique possent tribui alimenta; nec ex horum inopia excusari possent Cardinales a Curia absentes, & particularibus Præpositi Ecclesijs, qui in vniuersalis Ecclesiæ regimine R. P. sunt Collaterales &c. Sit horum sensus; qui an probandus, discutiant religiosissimi Viri.

XVI. Cum *Greg XV*. init. Bullæ de Electione Summi Pontificis facienda per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus Cardinalium in Conclaui præsentium edita ann. 1621. Nou. 15. (& est 13. in Bull. subscripta a 40. Cardinalibus in Curia præsentibus) dicat. *Aeterni Patris Filius, Magister, & Legislator noster Christus Dominus, cuius omnis actio nostra est instructio, licet portaret omnia verbo virtutis suæ, nec esset quicquam absconditum ab oculis eius; tamen priusquam ad Apostolatus munus duodecim Apostolos eligeret, & nominaret, quod alias vnquam fecisse in scripturis non legimus, pernoctare voluit in oratione Dei, & antequam B. Petro ouium suarum curam committeret, tertiùm repetita interrogatione trinam extare æterni eius amoris professionem: Nos scilicet erudiens, quanta diligentia, cautione, & cura in omnium Pastorum electione ad-*

ne adniti debeamus, vt boni eligantur, & fideles, præsertim verò in B. Petri successoris, qui Orbis est Lumen, Doctor Gentium, & Pastor Pastorum. Quapropter satis etiam admonemur, nihil eorum, quæ ad electionem R.P. cautiùs, & meliùs transigendam conducunt, omitti debere; salus enim non vnius membri, sed totius corporis agitur, cum de Capite consulitur &c. Significauit profectò, Christi exẽplo, cuius omnis actio nostra est instructio, quàm vehementer, & assiduè Cardinales R. P. electuri insistere Orationi debeant, maximè cum Christus in hac electione non solùm primo loco nominauerit Petrum, vt e trium Euangelistarum indice (quod nollent hæretici) constat; verùm etiam tunc imposuerit, Simoni nomen *Petrus*, quæ mutatio nominis ei promissa tantùm fuerat Ioan. 1. v. 42. vt aperte videtur (id tradit etiam *Innoc. III.* in serm. 1. in Fest. S. Petr. & Pauli) *Marcus* hoc c. 5. v. 16. indicare inquiens, *Et imposuit Simoni nomen Petrus*; nemo autem hoc exactiùs scire potuit, quàm ipsemet *Marcus*, qui præcipiẽte *Petro*, cuius erat socius, Euangelium suum scripsit, quod & *Petrus* approbasse fertur; ac præterea *Lucas* hoc c. 5. vers. 13. & 14. affirmat, Christum elegisse *Simonem, quem cognominauit Petrum*; cuius mutationis rationem Matth. 16. v. 18. ostendit ipsemet Christus. Si Gregorius X. cum Concil. Lugdun. Patribus ann. 1274. C. *vbi periculum* de elect in 6. §. vlt. statuit, *Vt in omnibus Ciuitatibus, cæterisque locis insignibus, vbi primùm de R.P. obitu certitudo claruisset, a Clero, & populo solemnibus pro eo exequijs celebratis singulis diebus (donec de ipsius Ecclesiæ prouisione indubitanter rumor pertulerit veritatem) humiles preces fundantur ad Dominum; apud eum deuotis orationibus insistatur, vt ipse, qui cõcordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorumdem Cardinalium corda in eligendo concordia, quod prouisio celeris, concors, & vtilis (prout animarum salus exigit, & totius Orbis requirit vtilitas) ex ipsorum vnanimitate sequatur*. Quam sanctionem (illius videtur oblitus *Greg. XIV.* dum in Bulla (est num. 4. in Bull.) qua seuerissimè damnauit Sponsiones, seu Excommissas super vita, morte, & futura Electione S.R.P. & Prom. Card. 21. Mart. 15. inter Mala ex illis emanantia hoc enumerat, *Orationes verò, ac vota, ac pias preces Christiani populi, quas eo potissimùm tempore, summo deuotionis seruore ex intimo cordis affectu ab vniuerso fidelium cætu Deo Omnipotenti offerri PAR esset, vt huiusmodi electionibus, ac promotionibus* (Romanorum Pontificum, & Cardinalium) *Spiritus sanctus assisteret, non mediocriter hac de causa impediri, perturbari, ac refrigescere necesse est, dum multi temporalibus lucris intenti, aut obliuiscuntur, quæ Dei sunt, aut certè desiderant sæpenumero, & procurant, vt eligantur, non ij, qui OPTIMI sunt, sed ex quorum electione plurimum se lucri consecuturos sperant*) præcepit idem *Greg. X.* Prælatis, vt executioni mandent; & non solùm *frequentiam orationum*, sed etiam *ieiuniorum (prout circumstantiæ exegerint) obseruantiam populis indicant*; Quantò æquius est, vt Cardinales, potissimùm vbi Conclaue ingressi fuerunt, illudque clausum, labe peccatorum purgati, in suis clausi cellulis, vel in Pontificio sacello, vel in alio abditi loco, humiles ad Domi-

num

num preces fundant, deuotisque vacent orationibus, vt mentem ipsorum illuminet ad electionem illius Pastoris Vniuersalis, quem animarum salus exigit, & totius orbis requirit vtilitas? Vt hoc assequantur, necesse est, vt eorum voluntas sit planè libera; Diuinus namque *Spiritus spirare* nequibit, *vbi velit* Ioan. 3. v.8. Si aliquo iam vinculo obstricta sit eligentium Cardinalium voluntas: Quod *PRIMVM* poterit esse, sui, suorumue, siue hi sint cõsanguinei, siue alij quicumque, priuatus amor. Hinc *Greg. X.* (hic tanquam Beatus publicè colitur Aretij, in Hetruria, vbi ad Cælum migrauit, eiusque virtutes, ac miracula a Sacra Romana Rota, & Rituum Congregatione probata sunt, ita vt sola R.P. voluntas desideretur ad illum inter cælites publico ritu referendum) an.1274. cum Lugdun. Concil. Patribus, quasi mille c.*vbi periculum* in 6. vt supra §.penult. Cardinales *obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, & per aspersionem sui preciosi sanguinis obtestatur, vt pensantes attentiùs, quod eis imminet, cũ agitur de Creatione Vicarij Iesu Christi, Successoris Petri, Rectoris Vniuersalis Ecclesiæ, Gregis Dominici directoris, omni priuatæ affectionis inordinatione deposita, non in se reciprocent considerationis intuitum, vel in suos, nõ quæ sua sunt, quærant, non commodis priuatis intendant, sed nullo arctante ipsorum in eligendo iudicium, nisi Deo puris, & liberis mentibus nuda electionis conscientia vtilitatem publicam liberè prosequantur; omni conatu, & sollicitudine, prout possibilitas patitur, id acturi tantummodo, vt eorum ministerio acceleretur vtilis, & pernecessaria totius mundi prouisio, idoneo celeriter eidem Ecclesiæ sponso dato: Qui autem secus egerint, diuinæ subiaceant vltioni, eorum culpa (nisi graui propter hoc peracta pœnitentia) nullatenus abolenda.* Hæc imitati Basil Patres sess.23. *Recogitent Cardinales, & attenta mente considerent, quantum sibi ipsis meritum, vel demeritum, quantumque populo Christiano fructum, vel præiudicium, bonum, vel malum eligendo Pontificem, facturi sunt. In nulla profectò re magis D.N.I.C. gratiam, vel iram assequi possunt, quã cũ de Vicario eius suis præficiendo ouibus agitur, quas ita dilexit, vt pro ipsis & mori, & Crucis tormentum pati dignatus fuerit.* Pariter *Pius IV.* in Bulla agente de Elect. Sum. Pont. (& est 63. in Bul. editæ an. 1562. Oct.9.) §.26. Sic inquit. *Cardinales per viscera misericordiæ D.N. I.C. enixè rogamus, & hortamur, ac eis nihilominus sub Diuini interminatione iudicij præcipimus, & mandamus, vt attendentes magnitudinem ministerij, quod per eos tractatur, in dandis suffragijs, ac alijs omnibus, & singulis electionem quomodolibet concernentibus, omni dolo, ac fraude, factionibus, & animorum passionibus remotis, ac Principum sæcularium intercessionibus, cæterisque mundanis respectibus minimè attentis, sed solũ Deum præ oculis habentes, se se purè, liberè, sincerè, quietè, & pacificè gerere, & habere debeant.* Nec non *Greg. XV.* §.23. suæ Constit. *Cæterum etsi opus non esse in Domino confidimus, ta en pro officij nostri debito, & rei, de qua agitur, grauitate, admonemus, hortamur, & in Domino obsecramus S.R.E. Cardinales, vt attentè considere it personæ, quam sustinent, officium, & dignitatem; quàm sacrum præterea, & quanti momenti sit opus, quod tractant;*

ctant; & nihil, quod se non deceat, nihil a re alienum committant, sed cogitent, quam perniciosum futurum sit Vniuersæ Ecclesiæ Christi sanguine acquisitæ, si malè administretur; ac proinde exuant omnes humanas curas, & inducant solùm D.N.I.C. memores, nihil prodesse homini, si vniuersum mūdum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur. Denique animaduertant, se in Conclaui clausos altissima in specula constitutos esse, & factos esse spectaculum Deo, & hominibus, a Domino, cuius negocium gerunt, supplicij, vel gloriæ sempiternæ retributionem citissimè laturos. Si reuelationes carnis, & sanguinis attendere, & prosequi voluerint Cardinales, reuelabitne illis Pater cęlestis idonei electionem sui Filij in terris Vicarij? *SECVNDVM* est pactionum, conuentionum, obligationum, condictorum, conspirationum, aliorumque illicitorum tractatuum, vel contractuum, qui inirentur a Cardinalibus, siue per se, siue per alios, e quibus minùs liberè præstantur suffragia; quos ita vetat Pius IV. vt *vltra Diuinam vltionem, arbitrio futuri Pontificis pro modo culpæ in eos quandocumque animaduerti posse* decernat in fine §. 26. allati; Sed & hæc omnia, licet *iurata*, licet *cuiuslibet alterius fuerint vinculo firmitatis annexa*, cassauit, irritauit, & viribus omnino carere decreuit *Greg. X.* vbi supra, *ita quod nullus ad illa obseruanda quomodolibet sit astrictus, nec quisquam ex eorum transgressione notam vereatur fidei non seruatæ, sed non indignæ laudis titulum potiùs mereatur, cum lex etiam humana testetur, Deo magis transgressiones huiusmodi, quam iusiurandi obseruationes acceptas*. At hisce vinculis maximè deuincti sunt illi Cardinales, qui a Principibus stipendia, seu pensiones recipiunt, nominati sunt ad Episcopatus pingues in suis ditionibus, vel ad Cardinalitiam dignitatem, quorumq. vel consanguinei honores, aut reditus apud eos possident. Ad quid enim hæ pensiones &c. Cardinalibus tribuuntur, nisi vt in ipsorum negocijs, atque potissimùm in R. P. electione, eorum habeant suffragium? Et tamen quammaximè libera debent semper esse Cardinalium vota. Hinc *Nicolaus III. c. Fundamenta* in 6. declarans causas traditæ Vrbis Romæ a *Constantino* R. P. inter cætera habet. *Decet namque, ipsi Romano Pontifici per Fratres suos S. R. E Cardinales, qui sibi in executione officij Sacerdotalis coadiutores assistūt, libera prouenire cōsilia; decet ipsius nullo modo ancillari iudicia; vt Fratres ipsos nullus sæcularis potestatis metus exterreat, nullus temporalis fauor absorbeat, nullus eis terror immineat, nihil eos a veri consilij soliditate remoueat; quin (cum per ipsum R. P. in quibuscumque negocijs contingeret eorum peti consilia) in consulendo per omnia liberi eidem R. P. in omnibus, quæ pro tempore imminent, liberè consulant, & assistant, ipsaque R. P. Vicarij Dei, quæ suis temporibus occurrerit electio, & eorumdem Cardinalium cum expedierit facienda promotio, in omni libertate procedant.* Hinc non solum Basil. Patres decreuerunt sess. 23. *Cum ei, qui communis est omnium Pater, Cardinales assistant, personarum acceptores fieri, vel aduocatos, valde indecens est. Propterea interdicit hæc Sancta Synodus, vt tanquam Iudicis Collateralis, partialitatem nullam accipiant, etiamsi de terra partiali originem ducant. Nec sint Principum,*

aut

aut Communitatum, seu aliorum contra quemquam, cum precio, vel sine, partiales protectores, aut defensores, sed exuti omnem passionem, in sedandis concordia, vel iustitia litibus, Papæ assistant; Principum autem, & quorumcumque, præsertim Pauperum, ac Religiosorum, gratis, & sine vllo quæstu promouere iusta negotia, tanquam Charitatis opus, persuadet Sancta Synodus, & commendat: Sed & hoc idem ijsdem etiam ferè verbis præcipit Leo X. §. 18. Bull. de qua supra, addens in fine, *Oppressos, & iniustè grauatos, iuxta vires suas, & officij debitum adiuuent*. Quamobrem quocumque titulo nihil a Principibus omnino recipere deberent Cardinales, vt fideles Consiliarij R. P. adessent, qui non temerè vereri potest, ne tales sint Cardinales, qui velut stipẽdiarij sunt Principum, vel in eorum regionibus Episcopatus, vel alia Ecclesiastica obtinent beneficia satis pinguiá; ex quo fit, vt in multis Põtifices a compluribus iam annis Cardinalium in ipsomet Consistorio non exquirant vota. Quid si fieret (& vtinam non frequentissimè) vt non sint planè libera multorum vota in Conclaui existentium ad R. P. electionem! sunt enim inter eos, præter factiones, quorum duces sunt aliqui Cardinales Auctoritate, & maximè si sint P.R. Nepotes, inter cæteros præstantes; aliæ factiones Regum, hoc est Cardinalium ad eorum nutum suffragia porrigentium; & hinc effatum cuiusdam, minus enimuerò pium, *Haud R.P. electioni S.Spiritus peculiariter assistit*, sicuti nonnullus coram eo asserebat, *sed Rex Galliæ, Rex Hispaniæ &c.* Vt igitur omnimoda libertas vigeret in Consilijs, suffragijsque Cardinalium, ac nominatim istis in R.P.electione, vehementer non pauci R. E. honoris ipsius studiosissimi optant, vt a R.P. promulgaretur lex a cunctis subscripta Cardinalibus; quod nulli eorum penitus liceret a quocumque Principe, vel Magnate, etiamsi in Regali, vel Imperatoria Dignitate constituto, quidquam prorsus, seu mediatè, seu immediatè, directè, vel indirectè, & quolibet excogitabili titulo accipere, secus puniendi vsque ad Cardinalitij galeri priuationem; nec accederent ad Consistorium, nec haberent votum in R. P. electione illi, quorum Nepotes, aut Consanguinei, aut affines in primo, vel secundo gradu aliqua dona non leuia, etiam non immobilia, vbi inter Cardinales ipsi fuissent recensiti, accepissent, vel in eorum ditionibus ampla possiderent patrimonia; pariterque in ijsdem Cardinales Episcopatus assequi non possent; idemq. prorsus statueretur de Cardinalibus ad Principum postulata nominatim electis: Etenim in odium, & amorem, quæ animi passiones consultandi, vel iudicandi vim in nobis deprauare solent, ideoque etiam *Perturbationes* vocantur, sunt præ cæteris *maximè propensi* (sic in Admonitione ad Patr. Trid. Conc. tres Cardinales Legati ante sess. 1.) *qui Principibus seruiunt; tales enim vehementiores habent affectiones; facillimè autem ad gratiam loquuntur* (& agunt) *vel ad odium, prout scilicet existimant Principes affectos esse, a quibus mercedem expectant*, vel etiam mercedem iam obtinuerunt. Verum ad id opus foret, vt quilibet Cardinalis congruos reditus haberet, vt octo, vel decem circiter aureorum

G mille;

mille; adeoque cuilibet Cardinalium titulo illi iam forent attributi. Id fieri posset commodè; *SI* iuxta *Nicolai* Papæ Quarti Constitutionem (cuius non semel meminerunt Conc. Basil. Patres) ad S.R.E. Cardinales *omnium fructuum, redituum, prouentuum, mulctarum, condemnationum, ac censuum de quibuscumque terris, & locis R. E. subiectis prouenientium, medietas pertineat*; *SI* reditus, qui paucis quibusdam Cardinalibus, & præ cæteris Nepotibus, alijsue Consanguineis prodigè conceduntur, R.P. plurimis partiretur; *SI* valde abundantes quarumdam Abbatiarum, vel Beneficiorum fructus non vni assignarentur Cardinali; *SI* saltem tertia Datariæ prouentuum pars in hunc assignaretur vsū, vel certi omninò ex illis centum mille aurei nummi detraherentur in singulos annos; *SI* Cardinalium numerus, vt antea significatum, extenuaretur; *SI* aliqua Religio scandalosa, & quæ reformationem non admittit, ac potiùs dedecori est R.E. quàm vtilitati, illiusque maioribus parùm Vniuersalis Ecclesiæ debet, extingueretur (concedit autem *Bagn.*22.q.1.ar.10.Dub.8.in fin.Concl.5.posse R.P. dissoluere Religionem, etiamsi solum inutilis fuerit) amplasque illius possessiones, nullatenus tamen subtractis oneribus Missarum, Anniuersariorum, Eleemosynarum &c. quibus illæ e testamentis, vel legatis forent obnoxiæ, certis Cardinalium titulis, non dissentientibus Principibus, in quorum ditionibus ex illis nonnullæ forent (quos verosimillimum est, vltro potiùs consensuros, si hæc translatio fieret in hoc opus Ecclesiæ adeo salutare) perpetuò ascriberentur ita vt nulli laicorum omninò in illas vnquā esset ius; vel liceret impedire, quò minùs eorum prouentus ad talium titulorum Cardinales peruenirent, sub pœnis grauibus Ecclesiasticis; *SI* quædam feuda R.E. parum vtilia alienarentur, atque pecunia inde collecta reponeretur in Montibus ad fructum &c. Certè non deerunt modi certos, nec exiles reditus Cardinali cuilibet attribuendi, si ex animo R.P. id velit. Singularia forent enimuerò R. P. coram Deo, & in vniuersam Christianam Rempublicam merita sic cuilibet Cardinaliū congruos reditus assignantis; qui & gloriosam, magnificamq. sui memoriam ad posteros omnes transmitteret: Cuius esset deinde iustissima lex, ne vllus Cardinalis a quolibet Principe, seu Magnate quidquam quocumque prætextu, etiam pio, acciperet, vt antea dictum, exclusis *accipientium* nomine cōsanguineis proximis, nisi essent verè pauperes, & *dantium* Cardinalibus quoque ex patrimonio diuitibus, vel aliunde copiosas opes habentibus. O quam fideles Consiliarios sibi Cardinales adesse non indubitanter existimare posset R.P. O quam libera prorsus censeretur tunc R. P. electio! Profectò *Greg.X.* c. *Vbi periculum* in 6.init.§.penult.de quo bis supra, sic inquit. *Cæterùm, cum arbitrium, vel inordinatus captiuat affectus* (en PRIMVM libertatis vinculum) *vel ad certum aliquid obligationis cuiusque necessitas adigit* (en SECVNDVM) *cessat electio, dum libertas adimitur eligendi*; At licet cōtra sic electum modò nulla possit dari, ad vitanda schismata, exceptio, vt colligitur e *c.Licet* de Elect. maximè cum difficillimè probari posset,

quod

quod libertas sufficiẽs adempta fuisset; negari tamen non potest, quin minùs Deo placeat huiusmodi electio, minusque laudetur, ac meritissimò, a pijs Catholicis, ac non leuem apud hæreticos ipsosmet pariat offensionem; & hinc potuit oriri impius omnino ille ar.40. inter 45. Vvicleff damnatos a Constant. Concil. sess.8. & deinde a Mart.5. an. 1418. Apr. 26. eodem adhuc Concilio permanente, *Electio Papæ a Cardinalibus per Diabolum est introducta*. Summam libertatem Summi Pontificis electio, vt vndequaque laudabilis sit, postulare videtur. Cum Cardinalium arbitrium, vel inordinatus non captiuauerit affectus, vel ad certum aliquid obligationis cuiusque necessitas non eos adegerit; tunc enimuerò censebuntur absque vlla prorsus dubitatione, in *sacra* R.P. *electione veri interpretes, acque internuncij voluntatis Dei*, vt de illis sensit *Sixtus V.* §.2. Cum illis adfuerit *puritas*, & sinceritas ab omni carnis affectu, priuatorum commodorum cura, & factionum studijs aliena, tunc *eorum pectora, & voces templa, & organa* certò existimabũtur *Spiritus sancti, cuius afflatu, & instinctu*, vt subdit idem *Sixtus, huiusmodi electionis opus absoluatur*. Tunc enimuerò sibi suadebunt, & Principes, & Populi, omnes stetisse Cardinales iuramento, quod antequam electionis schedulam in calicem mittant, emittunt iuxta Gregor.XV. Constitutionem, *Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere eum, quem secundum Deum* (non secundum carnem, & sanguinem, non secundum Principum voluntates, nisi sint secundum Deum) *iudico eligi debere, & quod idem in accessu præstabo*; & tanquam suspicionem temerariam repellent, quod Cardinales habuerint, vt puram prorsus cæremoniam, quæ præscribitur in Constit. eiusdem *Greg. XV.* (in Bull. est 19.) an.1622. Mart.12. & approbata vnà cum Constit. eiusdem Greg. de lect. ab *Vrb.VIII.* (in Bull. est 45.) an.1625. Ianuar.28. subscribentibus illi 27. Cardinalibus in Curia præsentibus, qua scilicet confirmat, & approbat *Ceremoniale Ritus dictæ Electionis* de ipsius mãdato compositum; Nam ibi inter cætera statuitur, vt absolutis defuncti Põtificis exequijs, ac Missa de Spiritu sancto celebrata, per aliquem Prælatum, aut alium Virum doctum habeatur Oratio, *qua Cardinales moneantur, vt sepositis omnibus priuatis affectibus, solum Deum præ oculis habentes, Sanctæ Romanæ, & Vniuersali Ecclesiæ de Pastore sufficienti, & idoneo, omni, qua possint, breuitate, & diligentia curent ad Apostolicarum Constitutionum, & Sacrorum Canonum præscriptum*; & vbi ad Conclauis Capellam peruenerint Cardinales, *dicta a Cardinali Decano oratione*, Deus, qui corda fidelium (qui & eos conuenientibus verbis ad electionis negotium ritè, & rectè peragendum hortabitur) *legendas, & iurandas a Cardinalibus Constitutiones de R.P. electione, & vnà cum eis Constitutionem nouissimam* Greg.XV. Si Cardinales potissimùm in Conclaui, magis vacauerint precibus, quam quibusdam colloquijs, & priuatis quibusdam consultationibus, excogitandis medijs, quibus ad sua vota quidam attrahantur Cardinales, ineũdis factionibus, votisq. factionum minuendis, quibusdam euulgandis non plenè probatis, sed teme-

rè inuentis, de quibusdam Cardinalibus ad eorum exclusionem, si tunc vlciscendi animum maximè exuerint &c. quis dubitet, quin ope diuina, licet Conclaue adijssent cum minùs sincera mente, illam forent depposituri, ac abiecturi prorsus affectiones humanas, ac timores prorsus omnes de schismate excitando, si quosdam eligerent maximè idoneos ad Pontificatum, sed minùs quibusdam sæcularibus Principibus gratos? cum enim hi Catholici sint, nec possint, vt præcipui Ecclesiæ filij, non esse Matris suæ spiritualium commodorum amantissimi, tandem gesta a Cardinalibus laudabunt, ac in maiori etiam veneratione ipsosmet Cardinales habebunt, qui voluerũt magis obedire Deo, quam hominibus, siue potiùs placere Deo, quam ipsis Principibus, constantesque fuerunt, quo *Innoc IV.* an. 1245. in Conc. Lugd. donati, tunc maximè rubro galero se dignos exhibentes, in electione optimi Pontificis; cuius animum sibi deuincire postea conabuntur, si a se alienum adhuc putent, quamuis ille teneri videatur peculiaria etiam beneuolentiæ signa in istos Principes, quos habuisset suæ dignitati non propitios, ostẽdere. Sciant Cardinales, ideò Principes semet immiscere, & quandoque forsan plusquam par esset R.P. electionibus: *Tum quia* nouerunt, Cardinales etiam suas prosequi priuatas affectiones, ac sæpissime ad Vniuersalis Ecclesiæ commoda non vnicè attendere; & cum non *libero iudicio præferendam sibi personam examinet mens, quam cupiditas ligat*, vt ante *Greg. X. S. Greg.* ad Clerum Mediolanensem, qui Episcopum electurus erat, inquit 8. q. 2. c. 2. nec ipsi ducunt sibi Religioni, istud iudicium minùs liberum reddere; *Tum quia* electos ad certorum Principum voluntates nonnullos R.P. illorum deinde *incongruis voluntatibus deseruijsse* (propter quam causam idem *S. Greg.* vetat, in Electione Episcopi *quarumcumq. personarum patrocinia conualescere* ibid. c. 1.) & non communes se omnium Patres nationum semet præbuisse, deprehenderunt Principes; quod & Historiæ omnibus obuiæ satis testantur; e quibus etiam habetur, interdum illos inijsse fœdus cum aliquo Principe Catholico ad bellum alteri pariter Catholico Principi inferendum: Non solùm enim R.P. est Summus Princeps in spiritualibus, sed etiam est Princeps potens in temporalibus; hæc autem duo adiuncta Principem, cui ipse fauet, plurimùm adiuuare queunt. Si optimum elegerint R.P. Cardinales, timor hic haud Principes maximos inuadet; nec vllatenus obstabunt optimi Cardinalis electioni optimi Principes, cum piè perpendent, illum minùs æquis voluntatibus, aut votis suis non annuisse; & vtinam non sint interdum Cardinales nonnulli non sincerè excitantes Principum animos contra aliquem e Cardinalibus, quem ipsi e priuatis affectionibus suis Pontificem nollent. Sint sanè Cardinales Virtutibus, tum intellectualibus, tum moralibus in primis *Eminentissimi*; ex eorum corpore, numero, & Collegio nõ poterit ipsorum suffragijs non eligi R.P. qui inter ipsos quoque non sit *præstantior, sanctior, doctior, & in omni virtute* (verba sunt *S. Hierony.* in lib. Leuit. 8. q. 1. c. 15.) *EMINENTIOR*. Sic ipsi instar Christi *in oratione pernoctantis*, ac

ac deinde eligentis Apostolos, *quos ipse voluit*, in orationibus assidui eligent R.P. quem rectissime, non minus recte, ipsi *Voluerint*, quem probi Principes, non minus probi, *Voluerint*. Ad vtrumque profecto munus, quo funguntur Cardinales, & Consiliariorum, & Electorum R.P. quam maximè conducerent duo, quæ Patres Concil. Basil. præscripserunt sess.23. §. *De Numero, & Qualitate Cardinalium*; quæ amplectenda, non prout ab illis præscripta, sed vt valde rationabilia. *PRIMVM. Cum recipient Cardinales suæ dignitatis insignia, quorum significatio est, vt pro bono Vniuersalis Ecclesiæ sanguinem proprium (si opus sit) non vereantur effundere, iurabunt in publico Consistorio (si sint in Curia; si verò absentes, in manibus alicuius Episcopi, & publicè, cui per literas Apostolicas, in quibus forma iuramenti inserta sit, commissum fuerit) in hunc modum. EGO N. assumptus in S.R.E. Cardinalem, ab hac hora in antea ero fidelis B.Petro, Vniuersalique, & Romanæ Ecclesiæ, ac Summo Pontifici, eiusque successoribus Canonicè intrantibus; laborabo fideliter pro defensione Fidei Catholicæ, extirpatione hæresum, & errorum, ac schismatum, reformatione morum, ac pace in Populo Christiano. In alienationibus rerum, & bonorum Ecclesiæ Romanæ, aut aliarum Ecclesiarum, & beneficiorum quorumcumque non consentiam, nisi in casibus a iure permissis, & pro alienatis ab Ecclesia Romana recuperandis* (quis non videt ex his summam Conc. Basil. Patrum propensionem in bona etiam Romanæ Ecclesiæ temporalia, & solùm prauos mores Romanæ Curiæ, & quorumdam Romanorum Pontificum, licet non congruis e communi sententia medijs, præcipiendo scilicet, non consulendo, corrigere, Patres illos sibi proposuisse?) *pro posse operam dabo. NON CONSVLAM quicquam Summo Pontifici, nec subscribam, nisi secundum Deum, & conscientiam meam. Quæ mihi per Sedem Apostolicam commissa fuerint, fideliter exequar. Cultum Diuinum in Ecclesia tituli mei, & eius bona conseruabo. Sic me Deus adiuuet. SECVNDVM* init.sess. §. *De Electione Summi Pontificis* habetur hoc iuramentum a quocumq. Cardinali in Conclaui existente, post auditam missam, & sacræ sumptionem Eucharistiæ, sed antequam scrutinia inchoentur, habendũ antepositis Sanctis Euangelijs. *Ego N. talis Cardinalis iuro, & promitto omnipotenti Deo, Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ac Diuo Petro Apostolorum Principi, eum eligere in Pontificem, quem credam Ecclesiæ Vniuersali in spiritualibus, & temporalibus vtilem, & tantæ dignitati idoneum: nec illi vocem dare, quẽ verisimiliter sciam, promissione, aut datione alicuius rei temporalis, seu prece per se, vel alium interposita, aut aliàs qualitercumque directè, vel indirectè pro se electionem procurare*; electoq. in Pontificem non priùs obedientiam facere, quam iuret iuxta formam decreti Sacri Basileensis Concilij (hæc iuxta communem sententiam iuramenti pars omittenda planè foret) *Ita me Deus adiuuet, cui in die tremendi iudicij reddyturus sum de hoc, & de cunctis operibus meis rationem*. Breuius est quidem præscriptum a *Greg. XV.* Constit. verùm si attentè a Cardinalibus remotis passionibus perpendatur, hæc eadem insinuat; quod ni fiat, istud

prius

prius legere opportunum valde profectò erit.

Summa hactenus dictorum hæc sit. LECTISSIMI eligantur Cardinales, & ad præscriptum Bullæ *Sixti V.* circa eorum qualitates; Cum ex ijs, *quasi seminibus*, inquit ipsemet *Sixtus* in fin. §. 2. *IS sit proditurus, in quem totius Apostolicæ potestatis plenitudo Deo annuente meritò conferatur*. At id nunquam eueniet, nisi omnino religiosissimi in S. Petri Cathedra, & plurimis annis, sederint aliqui P. R. solum scilicet quærentes, quæ Iesu Christi; vel nisi vetustus (sic aiunt nonnulli non penitus idiotæ) seruetur mos, hoc est, vt Cardinalium Electio nonnisi de consensu omnium Cardinalium fieret. Hunc innouare prorsus ante omnia decreuerat *Marcellus II.* quem sanctissimum, & doctissimum fuisse Virum nemo non fatetur, quemadmodum habet *Onuph. Panuin.* in illius Vita, Pontificis istius familiaris, addens etiam decreuisse, vt hęc electio maturiùs fieret, quòd illa priùs approbaretur a Viris etiā alijs egregijs. Idem fermè statuerant priùs Basil. Patres. *Ne fiat Cardinalium electio*, inquiunt, *solùm per auricularia vota, sed illi solùm assumi possint, in quos, facto vero scrutinio, ac publicato, maiorem partem Cardinalium per subscriptionem manus propriæ constiterit collegialiter consensisse:* Qui & priùs: *Quoniam S.R.E. Cardinales pars Corporis Romani Pontificis esse censentur, Reipublicæ admodum expediens est, vt IVXTA VETVSTVM MOREM grauia, & ardua negocia DE ipsorum consilio* (ly DE est communis sententia significare, quod tenētur sequi consilium, qui debēt aliquid facere de consilio, vt testantur Card. Tusc. lit. D. concl. 262. num. 21. Barb. Dict. 26. n. 14. & alij apud ipsos) *directione, causa quoque maturè cognita deinceps fiant, præsertim causarum fidei decisiones, Sanctorū Canonizationes, Erectiones, seu Suppressiones, Diuisiones, Vniones Ecclesiarum Cathedralium, & Monasteriorum, PROMOTIONES CARDINALIVM, Confirmationes, ac Prouisiones de Ecclesijs Cathedralibus, & Monasterijs, Priuationesque, & Translationes Abbatum, Episcoporum, & Superiorum, Leges, seu Constitutiones, Legationes, seu Vicariorum, ac Nunciorum auctoritate Legatorum de latere fungentium commissiones, nouæ Religionis institutio, Exemptiones nouæ Ecclesijs, Monasterijs, seu Capellis, aut ipsarum iam factarum Reuocationes*. Hic vetustus mos ita abolitus est (quem tamen aliqui in Apostolorum, vel Patrum traditionem referūt) vt non solùm multa ex his inconsulto Cardinalium Consistorio fiant, existimantibus forsan R.P. haud grauia, & ardua esse negocia; verùm etiā illorum vota solùm exquirant in ijs, quibus certò ipsi nouerunt ipsos esse consensuros, vel aliquando politicè in ijs, quibus existimāt non consensuros, vt ipsi postea ampliorem beneuolentiam aliquorum sibi concilient Principum, quòd illorum votis, renuentibus ipsis Cardinalibus, annuerint; ac præterea proponant R. P. quædam in Consistorio ad speciem quamdam solummodo, illorum non habentes rationem votorum, vt euenit nominatim in Electione complurium e Cardinalibus; asserunt enim, tacito nomine prorsus, in Consistorio, se iam elegisse, vel eligere tot, vel reliquos &c. quos quis non videt posse permutare

tare

tare,alijs ſubrogatis ? Hoc ne eſt *CVM* Conſilio etiam Cardinaliũ dumtaxat Cardinalium electionem fieri;quam quis negaueriteſſe reponendam inter grauia,& ardua Romanę, imò Vniuerſalis Eccleſię negocia? Ortum id quidam aiunt ex ignauia, aut cupiditate quorumdam Cardinalium; ſeu e quorumdam Pontificum dominatu verè non paterno cum ijs, quos *Fratres* ſuos etiam appellant, timorem incutientium refragantibus, vel ex aliorum R.P. ſagacitate nonnullos e Cardinalibus (vt etiam Principes, eis pollicendo morem gerere in aliquorum Creatione Cardinalium,ſuauiter compulerunt ad ſibi obſecundandum) beneficijs allicientium ad ſua vota, hoc eſt ad Monarchiam omnino abſolutam,ab omni prorſus alienam temperamento,conſtituendam; quã Chriſtum futurorum poſt Petrum R. P. omnium qualitates habentem notiſſimas voluiſſe, quis certò affirmare poterit? Præterquam Card. ipſemet Pall.in fine c.43. lib.Vind. Romæ editi tria temperamenta ad perfectiſſimum Regimen Monarchicum poſtulat. Contrarium potius ſuadet vetuſtiorum praxis ſæculorum. Sit hic nonnullorum, vt iam dictum,ſenſus;qui licet *theoricè* videri poſſet probabilis,*practicè* tamen eſt improbabilis,niſi ad Pontificatum euehatur Cardinalis *Marcello II.* ſimilis,illi tamen in vita longè protrahenda diſſimilis; vel niſi vnà Cardinales, & Principes conſenſerint de non habendo Cardinali vllo, qui non e vetuſto more fuerit electus; quod cum ſchiſmatis occaſionem afferre poſſet facilè, Chriſtiana Charitas ſuadere poteſt, vt omittatur; præcipuè cum moraliter fieri non poſſit, vt Principes primarij, & ante cæteros Cardinales ipſimet, in id vnanimiter conſentirent. Dolendum eſſet ſanè vehementer Catholicis, ſi, ſtante hoc in Cardinalium nominatione R.P. arbitrio, nos Catholici (ſubſannantibus nos inde hæreticis) inter Cardinales videremus, ac obſeruaremus aliquem, qui publicè Lutheranæ, ſeu Caluiniſticæ addictus ſectæ, eam publicè non retractaſſet; aut alium,qui Romanum Pontificem,quem iam,& in Conclaui, & coram populo ad S.Petri altare in Vaticana Baſilica eſsẽt Cardinales venerati,adhuc vt legitimum Chriſti Vicarium, Petrique ſucceſſorem prorſus habere,non teneri nos Catholicos, edidiſſet, pariterque typis (ſine aperta palinodia typis quoque,ne alij decipiantur a prioribus) e primatu, tum Dignitatis, tum Iuriſdictionis deturbare nixus eumdem fuiſſet,ſenſibuſque Baſileenſium adhæſiſſet(quos tamen ſummopere deteſtantur R.P.) circa Monarchicum eorum regimen. An non intemperans hic amor foret, vel ſuorum Conſanguineorum huiuſmodi electionem petentium, vel ſuus quoque, ſi vltro huius generis homines ſibi proximos in Vaticano monte, adeoque in totius Orbis conſpectu, conſtitúeret? Hæc profectò geſta,eſſent, ac meritò, acriùs vituperanda, quam ſi R.P. in Cardinalium cooptaret Collegium nonnullos, quibus nulla ſuffragarentur merita, niſi obſequij ſuis Conſanguineis,aut ſibi præſtiti. Si aliquid R.P. nonnullis debent hominibus, haud gratum in eos exhibeant animum, Cardinalitiam dignitatem ijs deferendo, dum deſtituti ſunt qualitatibus a naturali, & poſitiuo *Sixti V.*

ti V. iure, quod verè fundatur in naturali, petitis; aut infensos semet ostendissent Romanæ Ecclesiæ, nec dilucidissimè (nam personati esse queunt) se infensum hunc in illam animum deposuisse Catholico Orbi declarassent. Si aliquo horum merito obligati sunt R. P. illud aliter compensent; nec modus deerit, si modum suo, vel suorum amori imposuerint.

Cum igitur ex vna parte pateat, Electores Romanorum Pontificum, Electoresque Cardinalium, non rarò succumbere tentationibus priuatarum animi affectionum; & ex alia nemo non neget e Catholicis, *esse Diuinum, ac Naturale præceptum de Oratione, petendo scilicet a Deo, ne incidat quis in tentationem, idest, vt non solùm per tentationem non vincatur, sed etiam, vt in illam incidere, aut ea grauiter vexari non sinat*; ac prętere a, *si nō obstante priori oratione, vel ordinaria, vel extraordinaria, Deus permiserit, hominem adhuc grauissima vexari tentatione, & ea ratione animæ suæ salutem in periculo versari, ex charitate propria, & Dei ad orationem, magis, & feruentem, & assiduam, tunc maximè illum* teneri confugere: Quis non videt eos vrgeri vehementer hoc *Orationis* præcepto, qui proximè concurrunt ad electionem huiusmodi Primariorum Ecclesiæ Præsulum, & apertè ante Deum cordium scrutatorem agnoscunt, suum non posse non perturbari rectum de *Eligendis* iudicium a suis passionibus, quibus vt homines, præter extrinsecas complures causas validissimè allicientes, & quasi compellentes, obnoxij sunt; istamq. *Orationem* debere frequentiorem esse, ac vehementiori cordis affectu effusam, quò vel tētatio grauior in se ipsa, aut circa obiectum grauius? At non grauissimum de violandis Diuina, ac Naturali lege, sacris Canonibus, Pontificijs Constitutionibus, & in rebus, quibus nullæ maioris in externa politia sunt ponderis in Ecclesia? Non solùm orauit, sed & *pernoctauit in oratione* Cristus, antequā Apostolos eligeret, quod alias nunquam fecisse legimus, vt iam animaduertisse *Greg. XV.* init. suæ Cōstit. de Elect. R. P. supra significatum est. Si id præstabitur, & a Pontificibus, & a Cardinalibus, vltra consuetum exhibebit Christus auxiliū ad huiusmodi quarumcumque tentationum victoriam; notitiamque menti suggerens optimorum, ac maximè idoneorum Romanorū Pontificum, & Cardinalium, suauiter voluntatem impellet ad horum electionem, reiectis penitus illis, quos priuati affectus, Vniuersalis Ecclesiæ commoda coram Deo non attendentes, proponerent.

Matth. 14. a v. 28.

XVII. ITA Petrus in Christum amore feruet, vt statim ac audiuit ab illo, *Habete fiduciam Ego sum*, voluerit quantociùs esse cum Christo, vtque hoc assequeretur, miraculum ab eodem petierit. Diligere, & amare Christum vehementer censebitur

R. P.

R.P. si frequentissimè fuerit cum Christo: Erit autem cum Christo, *quando* vacauerit orationi, tum vocali, tum mentali, & contemplationi; *quando* ante Deum numerabit, expendetque sui Pastoralis officij obligationes; *quando* spiritualia maximè Dominici Gregis negocia tractabit; *quando* ipse omnium Pastorum Pastor sollicitus peculiariter erit, vt Cardinales suas expleant partes, ac Episcopi Pastores, non Mercenarios semet populis exhibeant; *quando* euoluet sacros Codices, Sãctorumq. interpretationes, potissimè ad Epistolas Pauli ad Timotheũ, ac Titum; *quando* in omnibus, quæ dicit, vel agit, a Christi voluntate nunquam discedere contendet. Non erit cum Christo; *quando* vacauerit consabulationibus cum Poetis, Rhetoribus, ac in prophana tantùm eruditione versatis; *quando* e Pontificatu in primis honores, atque vtilitates intendit, & summa cum alacritate incumbit in sua, vel suorũ commoda, molestum sibi esse saltem tacitè significans, si quibusdam functionibus adsit, in quibus hæc non assequatur; *quando* terrenis curis deditus erit; *quando* non indagabit studiosè actiones suæ familiæ, Curiæ, Romanorum Ciuium, Cardinalium, ac Episcoporum; *quando* in Poetarum, Rhetorum, Philosophorumque lectione versabitur; *quando* diu morabitur cum quibusdam suis familiaribus, ac potissimè consanguineis, vel affinibus, ita vt ea omittat, quæ muneris sui sunt, & agat, quæ ad horum honorem, ac vtilitatem spectant. Adeò assiduus debet esse R.P. in suscipiendis, administrandis, & conficiendis negocijs Ecclesiæ vniuersalis, vt conquerentibus nonnullis, etiamsi cæteroqui viris pijs, quòd sui, vel suæ familiæ, ac gentis penitus obliuiscatur; instar Christi ad parentes suos illa repetat, *Nescitis, quia in his, quæ Christi mei sunt, oportet me esse?* Cũ de his agitur, non reperitur R.P. *inter cognatos, & notos* Luc. 22. v. 44. & 49. *Qui amat patrem suum* quoque, *ac matrem, plusquam Christum, non est Christo dignus*, Matth. 10. vers. 37. multoque minus dignus Christi Vicarius; Quod sanè munus consuetudinem, & familiaritatem cum Christo summam exigere videtur.

XVIII. Eximia Petri fides, dum cæteris tacentibus credit se posse, Christo volente, id agere, quod ille per naturam poterat. Quæ per se postulat munus Pastoris Ecclesiæ Vniuersalis, nunquam timeat R. P. executioni mandare; aderit illi Christus, a quo constitutus est Pastor. Verùm opus est, vt ipsius fides, dum reponit spem in Christo, quod votorum compos tandem futurus sit, sit instar Petri, hoc est, fulgeat in operibus dignis successore Petri. Quando R. P. *modicissima est fides, vel modicissimam* declarant eius dicta, & facta, semet retrahere potest ille a multis, ad quæ potest ex munere suo teneri; nec timentes, vt par esset, illum Principes potissimè, renuere posset, etsi meritas, illius correptiones, & quidam etiam non obsequi illius iussis, licet cæterá iustis &c. Ex Historijs, etiam prophanis, patet, quanta veneratione Imperatores, ac Reges priscos Pontifices sint prosecuti, & quam humiliter, & obsequiosè petierint absolui a spiritualibus pœnis, quæ contra ipsos promulgatæ fuerant a R. P. re ipsa Sanctissimis, & quærẽtibus sincerè, quæ

Christi erant; & quàm libenter quoque consilia eorumdem amplexi fuerint. Caueat autem R. P. ne instar Petri, qui *vbi vidit ventum validum venientem* (inquit *S.Bern.* serm.de Dau. & Gol.) *timuit, ipsoque timore protinus mergi cæpit*, cum legem aliquam condidit de re spirituali cunctis verè salutarem in Verbo Christi, qui hanc potestatem ei concessit, illius obseruantiam requirat tantummodo a quibusdam, non verò a Magnatibus; nam hæc erit persimilis illis legibus, quæ a nonnullis Præsulibus ferebantur; de quibus *S.Ambros.* c.4. lib. 4. Hexam. *Hæc eorum sapientia telæ araneæ comparatur, in quam si culex, aut musca inciderit, exuere se non potest; si verò validorum animalium genus incurrisse visum est, inanes laqueos dissipauit*; ex quo illud effatum, *Plurimæ leges sunt veluti aranearum telæ, quibus muscæ arcentur, non leones*. Hi enimuerò comparandi illis Ethnicis Pontificibus, de quibus *Tertull.* in lib. de Coron.Mil. *Noui Pastores eorum in pace Leones, in prælio Ceruos*. Non est quidem magnanimi Pontificis violationem Diuinarum, Canonicarumque legum grauissimarum spiritualia tantùm animarum commoda respicientium in Magnatibus dissimulare; alios verò earumdem violatores seueris punire pœnis; ostendere se *Leones* ijs, qui resistere non possunt, vel non audent; *Ceruos* verò ijs, qui obsequium ijsdem detrectant. Haud sic Petrus, vt legitur in Apostolorum Actis, nec plurimi eorumdem successores. Quod imperium non exercuit idem *S.Ambrosius*, licet Episcopus tantùm, in Imperatorem ipsum, dum de Ecclesiasticis, ac spiritualibus actum est, cæteroqui in temporalibus semet illi obsequentissimum declarans? Perpendat R.P. an sit ingenui, iustique R.P. aliquos Principes, qui non obediunt quibusdam Canonicis legibus, aut se ijs non teneri arbitrantur, habere tanquam Catholicos, pios, R.E. studiosos &c. alios verò, qui propter easdem, similesue omninò rationes eos imitantur, habere tanquam minùs Catholicos, minus pios, minùs Romanæ Ecclesiæ studiosos, & forsan minùs honesto adhuc nomine eosdem notare? Contra hosce se *Leones*, contra illos semet *Ceruos* exhibent. Vtrisq. sint *Leones* R.P. si leoninam fortitudinem postulet huiusmodi legum custodia. Possent R. P. *Cerui* euadere; *quando* ipsi Diuinas leges non custodirent; *quando* Sacros Canones, Pontificias Constitutiones ad se spectantes leui in pretio se re ipsa habere declararent; *quando* temporales quasdam iurisdictiones Principum proprias sibi vindicantes metuerent amittere &c. Sint moribus, vt ex officio, Sanctissimi R.P. nihil aliud prorsus in suo regimine, quam Dominici Gregis ouium salutem sibi proponentes; tunc *constituti super Gentes, & Regna* instar Hier. 1. v.10. (quæ verba accommodat *Innoc.III.* R.P.c. *Solitæ* de Mai.& Obed.) *euellent, & destruent, & disperdēt, & dissipabunt, & ædificabunt, & plantabunt*; *nec timebunt a facie* Principum, quia cum *illis erit Dominus* v.8. imò ipse erit, qui *eradicabit, & destruet, & disperdet* c.18.v.7. quæ contraria Diuinæ, ac Euangelicæ legi deprehenderint in omnium Catholicorum Principum ditionibus; Glorificabunt manum, & brachium dexterum *in faciendo vindictam in nationi-*

tionibus (Pſ.149.v.7.) *increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis*. Dum Petrus reſpexit Chriſtum, non reſpexit elementum; *credulitas in mari eum portauit*, vt ait S.Ambroſ.ſer.45. at *perfidia*, ſeu modica fides *ſubmergere* illum cæpit. Firma ſit R.P.ſpes in Chriſto ſemper, validum a potentibus excitatum contra ſe Petri nauis Gubernatorem ventum conſpiciet tandem *ceſſaſſe*, & factam eſſe tranquillitatem. Si *qui timet Dominum* (Eccl. 14.v.16.) *nihil trepidabit, & non paucbit*; multò magis timentes Deum, cuius vicem gerunt in terris, R.P. nihil trepidabunt, nihil pauebunt; imò quò maioribus Petri nauim iactari tempeſtatibus nouerint, eò conſtantiùs, ac generoſiùs eam regent, certi omninò, ſæuiſſimos licet fluctus tandem ſedandos, Chriſto huius nauis ſupremo Ductore. Si Principes aliqua velint Diuinis legibus, vel bono Vniuerſalis Eccleſiæ aduerſantia, haſce *Terrenas contemnant poteſtates, timentes Diuinam poteſtatem*, dicantque cum *Aug.* ſer.6.de Verb. Dom. (ac legitur 11.q.3. c.97.) ſe prohiberi illa concedere a *Maiori Poteſtate*; & audacter reſpódeant eis illud de Act. Apoſt.v.verſ.9. cum Petro, & Apoſtolis, *obedire oportet Deo magis, quàm hominibus*, vt inquit *S.Hieron.* in c.2. ep.ad Tit. loquens de Imperatore, ſi malum iuberet. *Vbi venitur ad cauſam Chriſti*, ſiue Vbi quid agendum, vel decernendum proponitur Chriſti doctrinæ, Euangelicæ, & Eccleſiaſticæ prorſus diſciplinæ repugnans, vel quod non leuem apud populos pareret offenſionem, *non agnoſcant niſi Chriſtum* (vt idem *S.Aug.* in Pſ.124.) *qui in cælo eſt*. Dum Principes aliqui conquererentur, quod aliqua præcepiſſent Diuinis conſentanea legibus, & quæ illorum obſeruantiam vehementer fouerent, Euangelicis conſona verbis; alacriter ijs ſuggerant, non debere *moleſtum eis videri*, cum Summi præſertim Sacerdotes (*S.Ambroſ.* ep.29. loquitur de ſe ipſo Epiſcopo Mediolanenſi, qui propter Theſſalonicam cædem Imperatorem *Theodoſium* litteris ſeuerè coarguerat, & a templo reiecerat &c.) *loquuntur, non quod volunt, ſed quod iubentur* a Supremo omniũ Principe, ac Imperatore. Incredibilis videbitur humilitas, quam *S.Gregorius* exhibuit Imperatori *Mauritio*, illi, qui huius Pótificis litteras ſæpè miſſas ad eumdem non legerit; qui tamen inuicto, excelſoque animo eidem obſtitit in ijs, quę Dei omnium Supremi Imperatoris erant. Hinc etiam meritò cognomen *Magni S.Gregorio* tributum. Non dedignatus eſt *S.Agapitus* an. 535. mitti a *Theodato* Gothorum Rege ad Imperatorem Iuſtinianum; cui tamen ſeuerè petenti, vt admitteret *Anthimum* Epiſcopũ Conſtantinopolitanũ ad Eccleſiæ cómunionem, conſtanter, ac fortiter reſpondit, *Ego quidem peccator ad Iuſtinianum Imperatorem Chriſtianiſsimum venire deſideraui, nunc autem Diocletianum inueni; qui tamen minas Tuas non pertimeſco &c.* Idem alij Pontifices egerunt, vt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ teſtátur, nullatenus *timentes eos, qui corpus occidere poterant, non verò animam; ſed timentes eum, qui poterat & animam, & corpus perdere in gehennam* Matth.10. v.28. Si R.P. *accinxerint lumbos ſuos* inſtar Hier. c.1. v.17. hoc eſt omnibus Euange-

licis virtutibus fuerint instructi (vt significat Mald. in v.35. Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti*) & *surrexerint*, siue terrenum nihil intenderint, & *locuti fuerint* ad quosuis etiam Supremos in temporalibus Principes, quæ Deus, seu Christus *præceperit*, non quæ passiones propriæ spiritualis boni laruis tectæ suggesserint; existiment sibi pariter dictum a Deo, (& hæc verba nunquam præteribunt Matth. 24. v.35.) *ne formidetis a facie eorum; nec enim timere vos faciam vultum eorum. Ego quippe dedi vos hodie in Ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, super omnem terram, Regibus Iuda, Principibus eius, & Sacerdotibus, & populo terræ. Et bellabunt aduersum vos, & nō præualebunt; quia Ego vobiscum sum, ait Dominus, vt liberem vos.* At boni Principes tandem non bellabunt aduersus optimos Pontifices sibi suadentes, vel loquentes, quæ Deus, vel Christus verè præcepit, sed potiùs ea libentissimè audient, ac opere exequi summo contendent studio. Cum tranquillum est mare, quilibet vel leuiter peritus, nauim gubernare potest; valde peritus exigitur, cum ventus eam adoritur validus. Non *modicæ fidei* se declarabit R.P. si quandoque irruentes validos contra Diuinas leges, Euangelicamque disciplinam principales ventos dissipans, cum Ecclesiæ Naui quam proximè ad Christum accesserit: At *modicæ fidei* se declararet ille P.R. qui timens, ne temporalia quædam emolumenta amitteret (quorum amissionem intentare posset aliquis Princeps dumtaxat ad metum ei incutiendum, cum nequiret re ipsa legitimè id agere, si probus, ac iustus esse vellet) innumerarum detrectaret consulere saluti animarum, quæ proculdubio in discrimen adducerentur ex Episcoporum defectu in aliqua Prouincia, aut Regno viginti, & ampliùs annorum spatio, cum periculo etiam, ne huiusmodi Prouincia, aut Regnum semet R.P. obedientiæ subtraheret, adeoque cum spiritualis illius regni diminutione. Quis hæc temporalia emolumenta, & longè ampliora quoque, spirituali tot Christi ouiū incolumitati præferre, censuerit esse spiritualis a Christo instituti illarum Pastoris? Si *modicæ fidei* fuit Petrus, fuit cum adhuc non essent illi promissæ, neq. traditæ Regni Cælorum claues; quas vbi accepit, quid in illo non generosum, non magnanimum? Ignaui est prorsus Pontificis, sinere animum detineri suum ita terrenis, vt cælestia de pascendis per immediatos Pastores Christi ouibus iussa detrectet? Hicne *daret animam suam* pro illis, cum nec *portionem substantiæ, quæ illum contingit* Luc. 15. v.12. dare velit, ne *lupus eas rapiat, ac dispergat* Ioan. 10. v.12. quam verisimillimum est quoque ab optimo Principe non dissipandam; imò copiosiùs fermè certum est aliunde (si alicubi auferretur) a Christo, cuius sunt oues, compensandam? Haud hæc proposita subtractio *validus* censenda *ventus*, quem *videns* R.P. *timeat*, & *incipiat mergi*, recusans tam diuturno tempore Electionem, seu Confirmationem Episcoporum talis Prouinciæ, aut Regni. Non est per se R.P. Regnorum iura examinare, nec lites de legitimis Regibus, aut Principibus (nisi ratione Sacramentalis contractus matrimonij) dirimere; est tamen per se, Ec-

clesijs

clesijs omnibus idoneos præficere Pastores, aut electos, seu nominatos approbare; nec ista approbatio, vt sic, dat vllum legitimum ius in talem Prouinciam, aut Regnum eligenti, seu nominanti, si apertè declaretur, iura cōtendentium de tali Principatu, aut Regno illæsa, vt priùs, permanere, sed cum talis Princeps tali tempore dominetur in tali Prouincia, aut Regno, non esse R.S. vel illi expedire, istius abnuere obediētiam, ac obsequium R.P. exhibitum (cum pro illa sint, quicumq. contra illam non sunt) ac nolle Episcopos confirmare, si idonei sint, ab eodem nominatos, sicuti omnes indubitati Principes in tali Prouincia, vel Regno egerunt. Sic ex locis in Trid. Concil. assignatis Oratoribus tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus, *sedendo, incedendo, aut alijs quibuscumque actibus*, non licet arguere, locum eumdem aliàs illis debitum esse, vel afferri etiam posse tanquam probabile argumentum, quod ijsdem hic locus debeatur; nam Sancta Synodus, vt habetur in fine sess. 25. §. *De loco Oratorum*, apertè declarauit, hinc *nullum cuiquam eorum factum esse præiudicium, sed omnia illorum, & Imperatoris, Regum, Rerumpublicarum, ac Principum suorum iura, & prærogatiuas illæsas, & saluas esse, in eodemque statu permanere, prout ante illud Concilium reperiebātur.* Quod sanè a R.P. æquiùs præstaretur, si complures, & egregiè pij, ac docti, existimarent, aliquem (& tamen tyrannorum quoque sui obseruantiam R.S. publicè admisit) non tyrannicè dominari, vel dominatum sibi vindicasse in tali Prouincia, vel tali Regno, sed titulo verè iustissimo priorem Principem expulsum fuisse, ac iustissimo etiam nomine huic ante cæteros habenas regni traditas: Qui procul dubio nunquā impijs adhærebit consilijs, & schismatis ipsius notam subterfugere conabitur, *Episcopos a se nominatos, vel a Clero suo electos nolens consecrari, nisi a legitimis Episcopis a Sede Apostolica institutis, vel confirmatis, & declarans publicis etiam litteris, se omninò velle, vt Romanæ Curiæ iura sint omninò integra, ac illibata (deposita etiam pecunia, quæ pro tali confirmatione solet in Vrbem deportari) ac se nunquam discessurum a Sanctæ Sedis communione, debitam cui reuerentiam in se semper intactam sit seruaturus: Quin etiam, vbi libuerit R.P. eorum, qui ordinati fuerint Episcopi, confirmationem ab eo supplicem petiturum; asseuerās denique, se ad id coactum vrgente notissima suorum tranquillitatis, ac salutis populorum necessitate, maximè cum non desint in Ecclesiasticis ipsimet Historijs complura, quæ sibi hac in re faueant mirificè. Id si præstiterit, iubeat omninò ritus omnes a R.P. præscriptos, vel illis consentaneos, prout moris erat, antequā ipse potiretur Prouincia, aut Regno, in Sacramentorum administratione, in Diuinis officijs, in Clericorum disciplina &c. easdem prorsus leges Ecclesiasticas custodiri; cæteris exemplo prælucens in detestatione hæresum, subditosque auertens prorsus a Catholica Fide deserenda.* ISTA in nullius offensionem partis dicta sint, cum perspectissimum sit, inter pijssimos Principes posse controuersias oriri, & quemcumq. posse, si ante Deum sua esse putet legitima, tueri iura, sicuti & inter Sanctissimos profectò Viros fuerunt Controuersiæ graues, vt inter Beatum *Theodoretum* Cy-

ri, & S.Cyrillum Alexandriæ Episcopos; *Ruffinum* insignem Monachũ, & *S.Hieronymum*;*S.Bernardum*, atque *Petrum Cluniacensem Abbatem Venerabilem* nuncupatum in varijs diplomatis ab *Innoc.II.* & *Eug.III.* & in fastis Benedictini Ordinis inter Sanctos 25. Ianuar. recensitum &c. sed vt quæ a plurimis animaduertitur in R. P. *modica fides* hac in re, ampla reddatur,ac expellatur timor ab huiusmodi vento leui incussus; quo tamē adhuc timore si perculsus incipiat mergi *clamauerit* ad Christum feruenti oratione,*Domine saluum me fac*,ille *manum extendens apprehendet eum*,nec permittet, vt hac submergatur tentatione. Pariter *Modicæ fidei* notarentur illi Pontifices. 1. *QVI* permitterent,trepidantes rem minus Principibus gratam facere, vt Cardinales essent in purè politicis ipsorum Consiliarij, ac Ministri in Ciuilibus tantùm; nomine ipsorum regerēt Prouincias, vel Regna; essent sui Oratores in Romana Curia; adessent, vel etiam præessent exercitibus contra alios Catholicos Principes: Idque non vitarent sub Ecclesiasticis grauibus pœnis; quas si contemnerent Cardinales, illa etiam dignitate priuarentur. 2. *QVI* extimescentes potentiam Cardinalium Principum,vel Oratorum quorumcumque Principum ad A.S.quædam facinora,quibus Romanæ Vrbis trāquillitas perturbaretur, dissimulari iuberent,ab eorum aulicis perpetrata. 3. *QVI*, vbi Principes,maximè S.R.Beneficiarios, e causa probabiliter iusta sacris in conspectu totius Orbis interdixissent, eisdem postea concederent, vt absolutionem a priuato Sacerdote clam obtinere possent; cum tamen prisci Pontifices, dum e causis non semper omnino euidenter iustis a Sacrorum Communione Imperatores ipsos remouissent, a se, vel a Legatis suis publicè illos veniam petētes ad eandem admittere tantùm voluerint? 4. *QVI* perterrefacti minis quibusdam, quæ profectò solùm verbales esse poterunt,si Principes illi essent cæteroqui Religionis Catholicæ studiosissimi, ac in Romanam Sedem, vt maiores sui, admodum beneuoli, indecora quidem vehementer R.P.Maiestati,ac R.S. dignitati peragerent; nimia enim humilitas reprehenditur d.86.c.4. ac nimia sui abiectio, quæ pertinet ad pusillanimitatem, vitium magnanimitati oppositum, potest est, iuxta vnanimem Doctorum sententiam, lethale peccatum; in qua re adhuc grauiùs peccarent R.P. si ideò S.A. honori in his haud consulerent, eò quod suos Consanguineos obeuntes nollent relinquere exosos hisce Principibus, sed potiùs in eosdem beneuolos, vel etiam illorum patronos. Hic nimius in humilitate excessus esset nimij in suos amoris fœtus. Quid si R.P. permitterent, vt aliquis Regularis Ordo suo ferme arbitratu Pontificatum regeret, Pontificiaque *abuterentur* illius alumni potestate ad *opiniones suas complures*, licet absonas, & Euangelicam dissoluētes disciplinam,in Christiano populo serendas;*ad aliorum*,quos sibi infensos putarent, & hoc nomine peculiariter, quòd ipsorum vitia ex ipsorum libris manifesta prorsus indicassent, in honore,fama, re, *oppressionem*,parum laborantes de R.E. incommodis, si quandoque nonnullus ex his in hæreticorum terras concedere cogeretur; ad euitandas

R. P.

R.P. minas &c. *impellerentque R.P.* ad quædam ſtatuenda non æqua, ac veritati penitus aduerſantia *in vltionem* alicuius, vel aliquorum, quos aduerſari, vel aduerſatos fuiſſe alicui e ſuis ſcriptoribus cognoſcerent, tueri omninò, ac propagari volentes doctrinam ab eo traditam, quamuis minus probatam; nihil non fermè concederent hiſce Regularibus, etſi quandoque hinc honori, & auctoritati S.A. detraheretur; non iiſdem Reformationem, qua maximè in compluribus indigerent ad Eccleſiæ ipſius beneficium, indicerent; horum dicta, ſcripta, edita, facta miris extollerent laudibus, & non laudibus digna excuſarēt &c. idque, tum e *cupiditate*, quòd hi ſua, ſuorumque commoda vehementer promouere poſſint opibus, auctoritate &c. glorioſamque eos poſſe ſui memoriā poſt obitum reddere arbitrentur, virtutes falſas, aut exaggeratas rhetoricè narrando, vitia occultando, vel ſpecioſa tegendo larua; tum *e timore*, ne alioquin ira perciti, quòd in Pontificiæ adminiſtrationis partem non aſſumantur, aut ſe *R.P.* alijs Regularibus nō præferant, aut minori in honore, quam antea, habeant, aliqua molirentur cōtra R.S. Notum ſiquidem eſt, nonnullum ex his interdum iactaſſe, ſuo Ordini fas eſſe R.S. obedientiæ plurimos e Catholicis ſubtrahere. Aduerſus Vniuerſalem, Romanamque Eccleſiam non potuerunt præualere tot Imperatores, Regeſque potentiſſimi; quin Romanorum Pontificum ſpiritualibus iuſſis, ac legibus parere coacti ſunt, vel earum iuſtitiam agnoſcentes tandem illis vltro obſecuti ſunt; & præualeret vnus ordo Regularis, licet totus (quod nunquam procul dubio foret, cū ſemper in illo forent Viri aliquot pietate inſignes) conſpiraret contra illam? *Modicam* ſibi ineſſe fidem oſtenderent *R.P.* qui hinc huius Ordinis forent acceptores, non tribuerent alijs, quod ſuum foret; nollēt aliorum iuſtas audire querelas, defenſiones &c. An non iniquum planè foret, ad quorumdam ex hoc Ordine nutum infami nomine, & per calumniam, alios, & illuſtres pietate, ac doctrina, viros deſignare; libros proſcribere, quibus ſuam tuerentur famam, oſtenderentque quibuſdā iam damnatis ab A.S. ſenſibus haud ſemet adhærere, ſuoſque verè Catholicos iiſdem explicarent; ſtatuere, vt falſis omnino ſubſcriberent; contra illorum bona, reditus, honores Principes etiam ſæculares excitare? Itane occæcati eſſe poſſunt *R.P.* aliquorum amore Regularium, vt non agnoſcant eorum politicam a R.S. decreta quædam extorquētium, quæ tueri teneantur ſucceſſores Pontifices, eo nomine tantùm, ne prædeceſſorū honos periclitetur; & videant ſolùm, quæ in illis laudabilia, oculoſq. nullatenus in vituperanda in compluribus ex illis non conijciant? inter iſta nonne peculiariter eſt ſuaſio, & compulſio *R.P.* ad quædam non æqua, & quaſi dominium in Romana exercere Curia cum aliorum quoque, etiam Regularium, iniuria? Non eſt Præſulis vllius Eccleſiaſtici *filiorum Dei in eiuſdem domo conditionem facere diſparem*, vt prudenter monuit *P. Mut. Vitell.* conſpicuæ Soc. Ieſu Generalis ſextus in litt. ad Super. ann. 1617. Ian. 4. addens: *Sanè tragædiarum recordatio, quas Iacob familia ſpectauit ob amoris præcipui ſignificationes,*

quibus

quibus Iosephum virtute, atque promeritis cæteris liberis adeò præstantem (quid si hic Ordo, quem ferret in oculis R. P. nonnullis alijs ordinibus meritis, tum prę̨sentibus, tum priscis maiorum suorum non prę̨staret!) *Beatus ille Patriarcha prosequebatur, satis apud nos esse deberet, vt nobis sedulò, continenterque caueremus, versareturque perpetuò ab oculos charitas, quæ ad omnes generatim se extendat, sitque eiusmodi, vt nemini comperta non sit, nemo non certò reputet in Præside, cum re ipsa, tum verbis, interiùs, exteriùsque promptam illam sibi semper, àtq. alacrem ad manum præstò futuram.* Verendum oppidò est, ne ex istius præcipui amoris significationibus in aliquem Ordinem exulceratis insignium complurium virorum, qui iniustè vexarentur, animis Schisma oriatur ingens; ad quod sedandum opus sit Generali Cõcilio, a quo tamen R. P. quam maximè abhorrent. Pijssimus electus R. P. pollens charitate, *quæ ad omnes indiscriminatim pertineat*, absque personarum acceptione, vtpote Vicarius Dei (quem non esse *personarum acceptorem sacræ* sæpiùs testantur litteræ, licet huius vitij sit omnino expers, cum sit absolutus omnium creaturarum dominus) *sine pondere, & pondere*, cuiuslibet illustris Regularis Ordinis merita in Vniuersalem, Romanamq. Ecclesiam, & antiqua, ac recentia ponderet diligenter, virtutes, ac vitia, quæ in illum irrepsissent, obseruans sedulò (inter quæ nouerit *spiritualia per se grauiora eße Carnalibus*, quæ tantùm duo sunt, *Luxuria*, & *Gula* e doctrina communi cum *S. Th. 1. 2. q. 63.* art. 5.) eo amore congruo vnumquemque prosequatur Ordinem, vt tamen nullius velit esse eam auctoritatem, ac potentiam, vt R. P cogatur fermè vllorum ex illis obsequi consilijs, voluntatibus adhærere &c. atque si talem conspexerit, illam moderetur omnino; sensum, per Nuncios suos præsertim, exploret cõspicuorum alicubi hominum, ac præ cæteris celebrium Catholici orbis Academiarum, cum quædam decernenda sunt, non contentus illorum, qui sunt in Curia, opinionibus, cũ ad gratiam aliquorum possint facilè loqui, & iam notum sit cunctis fidelibus, eos suggessisse, & Cardinalibus, & R. P. ipsis nonnulla fuisse in libris quorumdam impressa, quibus opposita ibi cõtinebantur, demptis particulis, ac vocibus impia prorsus contra scriptorum apertam mentem eisdem proposuisse, ne dum integrè, ac sincerè illorum mentem exposuisse, vt pote rem gratissimã scientes se facere quibusdam Regularibus, quos vnicè R. P. diligebat &c. Nec vereatur cuilibet prorsus Ordini medicamenta afferre, licet aspera, ad depellendos multos, & vniuersales animi morbos, quibus iam vrgeri cæpisset, ne hi læthales euadant cum ingenti Ecclesiæ ipsius pernicie &c. existimetque, si id opportunum coram Deo, præmissis frequentibus, deuotisque precibus, cum suis, tum aliorum, censuerit, sibi a Christo, instar Petri, prorsus dici, *Veni* etiam super aquas, & ne timeas *validum*, qui a quibusdam Regularibus (idem de quibuslibet alijs, etiam Principibus, illorum opera) contra Te excitaretur *Ventum*; Ego enim *extendens manum apprehendam te, ac vento cessationem* imperabo. Amore ferueat in Christum R. P. instar Petri. *Omnia*, quæ censuerit

fuerit ante Deum expedire bono Vniuersalis Ecclesiæ spirituali, *erunt possibilia credenti* Marc.9.v.22. *montesque* ipsos, si *non hæsitauerit in corde suo*, seu nō *modicæ* fuerit fidei, *tollet, & mittet in mare* Marc. 11. v.23. seu summas quascumque difficultates suis legibus Euangelicæ prorsus disciplinæ cōgruis oppositas tandem superabit, si priùs hostem Diuini amoris amorem suum, suorumque superauerit.

XIX. Cum mergi cæpisset Petrus e validi timore venti, Christus extendens manum apprehendit eum, Petrumque a submersione liberauit. Sunt complures, qui non hostes quidem fidei, sed *vacillantes* sunt; quorum tria genera recensentur ab *Herma Lætmatio* init. lib. 3. ex nouem, quos sapiens, bonusque Catholicus dicauit *Carolo V.* ann. 1544. Sept.1. *PRIMVM eorum, qui ijs, quæ ad Religionem pertinent, assentiuntur quidem, sed formidolosè, non attribuentes Religioni Christianæ, qui inspiratis debetur, firmi assensus honorem. SECVNDVM eorum, qui ijs, quæ ad Religionem spectant, non aßentiunt, neq. dissentiunt, sed ambigunt dumtaxat, non obfirmato quidem animo, sed formidoloso. TERTIVM eorum, qui ijs, quæ ad Religionem pertinent, prorsus dissentiunt, sed animo non obfirmato; qui tamen, licet proximi desertoribus (quippe qui, excepta pertinacia, per omnia eis similes sint) desertores tamen non sunt; & primos* ille vocat *Trepidantes*; medios *Ambigentes*; extremos *Discrepantes*; atque ait, c.3. *non mereri nomen hostis; quin etiam hosce vacillantes, quamdiù a nobis non prorsus defecerint, neq. castris aduersariorum nomen dederint, pro nobis potiùs stare; nā vt dicit scriptura* Luc. 9.v.50. Qui non est aduersus nos, pro nobis est; Postea subdit, *Eiusmodi homines, quanta commiseratione digni sint, vel ex eo licebit perspicere, quod animo meliore sui parte cruciantur; quantò enim animus corpore est præstantior, tantò necesse est, animi cruciatum esse maiorem: Cuius cum sit duplex cruciatus, MENTIS, & AFFECTIONIS; alter tamen altero grauior est; mentis enim secum affert eum, qui est affectionis, hic verò non item: Nam cruciatus affectionis est, anxietas quædam ex conflictu spiritus & carnis orta, animum varijs modis solicitans, quid velis; alter verò quædam nutatio est animum in dubio retinens, quid credas, nascens ex verisimilium pugna mentem ita distrahentium, vt homo nesciat, cui parti se debeat dedere; vnde fit, vt animo nutans non solùm quid sentiat, sed etiam quid velit, incertus sit. Hic est cruciatus animi vacillatio, quem non parum auget Religionis dignitas, qua nihil præstantius esse possit; nam quò res, de qua quis hæsitat, maioris est momenti, eò angorem animi grauiorem fore certum est.* Cum igitur hi commiseratione digni sint; attendendum est etiam id, quod cunctis fidelibus indixit Apostolus Rom.1. c.14. init. *Infirmum in fide assumite*, & c.15. init. *Debemus nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere*; nec non præter 1.Corinth.9. v.22. *Factus sum infirmis infirmus, & infirmos lucrifacerem*, Thessal.cap.5.v.14. *Rogamus vos fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes*; vnaque *mandatum* Dei generale *vnicuique de proximo suo* Eccl.17. v.12. adeoq. nullus non teneatur Catholicus iux-

ta modum, & gradum suæ conditionis, & facultatis *vacillantes* suffulcire, rationibus, argumentisque adductis sibi occurrentibus, quæ illos in fide firment, ac nisi hæc sibi suppetant satis idonea ad fraternam vacillationem tollendam, alios rogare doctiores, vt id præstent: Multò magis ex vi muneris sui, non charitatis tantùm, debent R. P. omnis eiusmodi *vacillantes in Catholica fide stabiles reddere*, non asperis verbis, seuerisque correptionibus, multòque minùs pœnis, (nam potiùs sic in terram vrgebunt, ac propellent, reddentque Catholicorum hostes) ed extensa benignitatis manu apprehendere illos ijs rationibus, & argumentis, quibus quæcumque vacillatio eorum animis dematur, certique reddantur, meritò Catholica dogmata certam omninò fidem postulare, enixè tamen Deo priùs rogato, vt Fidem, ac in primis piam affectionem, iudiciumque credibilitatis supernaturale *vacillantibus* concedat; nam *fides* procul dubio *Dei donum est, non ex operibus* quibuscunq. humanis Eph.2. v.9. At quando hæc vacillatio maximè in præsentia contingit in ijs, quæ de Romano Pontifice Catholici sentiunt; animaduertat R. P. ne inter *vacillantes* in fide reponat eos, qui non firmum præstant assensum ijs, de quibus circa ipsius auctoritatem controuersiæ sunt inter celebres Catholicos Doctores, & quas nec Concliorum Generalium Patres, nec ipsimet Pontifices ex Cathedra hactenus diremerunt; esset enim id contra iustitiam cum obligatione restitutionis famæ: sed dumtaxat iure eos appellari *vacillantes in fide*, qui vel cum formidine assentiunt ijs, quibus Catholici vnanimiter consentiunt circa R. P. Primatum, vel neque his assentiunt, neque dissentiunt, vel licet dissentiant, non tamen obfirmato animo sunt, seu non sunt pertinaces; istorumque commisereatur ex animo, nec in illos inuehat, vel excandescat; nam clariora quidem argumenta suppetunt pro mysterijs *Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ, pro Veneratione Imaginum, Reliquiarumque, Sanctorum Inuocatione, & similibus*, quam pro veneratione P. R. *vt* Vicarij Christi habentis Primatum, & Dignitatis, & Iurisdictionis, in singulas quoque Ecclesias; *vt* Successoris Petri; *vt* Rectoris Vniuersalis Ecclesiæ; *vt* Gregis Dominici Directoris: cum apertè videant, nec raro illius mores Christi, ac Petri moribus dissentaneos, regimen non vniuersali Ecclesiæ profectò salutare, sed potiùs noxium, vtpote quærentis quæ sua, vel suorum sunt, non quæ illi opportuna, directionem Dominici Gregis non ad æternam felicitatem, sed infelicitatem prauis vitæ exemplis; ideoque nitatur quam maximè credibilia reddere ea, quæ nos Catholici certa existimamus de R.P. contendens prorsus *exẽplum esse fidelium in Verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, in castitate*; quemadmodum præcepit Timotheo, etsi tantùm Episcopo, Paulus 1. Thimoth.c.4. v.10. Quod exemplum licet optimis non appareat Catholicis, firmissimum tamen hi præbent assensum omnibus iam definitis, ac extra Catholicorum omnium controuersiam de Romano Pontificatu; qui & existimant, summopere mereri se coram Deo, dum captiuant intellectum suum ad credendum, quod talis sit Christi Vicarius

rius

rius, ac multò magis mereri, cum maiores experiantur difficultates ad hoc, quam ad credenda mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiæ &c.

XX. Vbi Christus, & Petrus *ascenderunt in nauiculam, cessauit ventus*, & ex vento *nauiculæ iactatio in medio mari fluctibus*. Hæresum, criminumque ingentium fluctibus Catholicæ Ecclesiæ nauis non iactata sępissimè fuisset, nec iactaretur, si in eam ascendissent R.P. qui verbis, & factis Christum, atq. Petrū repræsentassent, aut repræsentarēt, siue illorū virtutes expressissent, ac exprimerent. Vndenam, quæso, occasionem sumpsere hæreses superiori sæculo exortæ, quarū fluctibus vehementer iactata fuit, & adhuc iactatur Ecclesiæ Catholicæ nauis, cum esset tranquillitas magna in Europæis Prouincijs, nisi potissimè e non referentibus planè personam Christi, & Petri R.P. eorumque indiligentia in ijs quantocius sedandis Romanæ Curiæ potissimùm Reformatione? Vnde tot peccata, ac detestanda prorsus, in Catholicis vigent Prouincijs, nisi quia lectissimi non eliguntur Cardinales, Pastores animarum non præficiuntur idonei, iuxta Sacros Canones, Pontificias Constitutiones, Tridentinam Synodum ipsam, & quales constitueret Christus, ac Petrus?

Ioan. 6. a v. 61.

XXI. CVM multi e Christi discipulis, qui sperâuerant panem ab illo sine vllo labore suo ad saturitatem se percepturos, audijssent istius loco panis *Carnem suam* Christum fuisse pollicitum *manducandam*, dixerunt, *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* vndque a Christo recesserunt, tum animo, tum corpore. Nunquam fiat, vt Euangelica doctrina, atque disciplina, quæ in primis a R.P. exigitur, durus illi sermo videatur, ita vt ab illa discedat. Non durum modò sibi arbitretur iugum fuisse impositum pascendi oues Christi verbo, exemplo, & alijs, de quibus ad Io.21. quādo ipse consensum præstitit suæ electioni in R. P. cuius obligationes enimuero sunt multiplices, & grauissimæ prorsus. *Ante*, vt scribit *S. Bern.* ad *Eug.* Pap. lib.2. de Consid. *iuxta consilium Saluatoris* (Luc.14. v.31.) *sedisse debuerat, ante æstimasse opus, metiri vires, ponderasse sapientiam, merita comparasse, sumptus computasse virtutum*. Quid si quis ambiuit, vel vltro quęsiuit Pontificale munus, quod ignorare non poterat, requirere prorsus in R.P. animum semper paratissimum ad subeūdam etiam mortem pro Christi ouibus? Hic summus honos, summum quoque onus est *ipsis quoque Angelicis humeris formidabile*, vt scripsit idem *S.Bern.* ep.237. ad Curiam Romanam, quando electus est *Eug.III.* quæ verba cum vsurpent Trid.Conc. Patres c.1. de Refor. sess.6. loquētes de singularum Ecclesiarum regimine, an non magis vera de Vni-

uerſalis Eccleſiæ regimine? Si Pontificij obligationem officij duritiem renuit, illi renunciet. Fas eſt id illi agere c. 1. de Renunc. in 6. etiam irrequiſito Cardinalium conſenſu. Quinimò animaduertat R. P. non ſolùm poſſe Pontificatui renunciare, *cum ſe inſufficientem agnoſcit ad regendam vniuerſalem Eccleſiam, & Summi Pontificatus onera ſupportanda*, vt declarauit ibi *Bonif. VIII.* & videtur iam indicaſſe *Innoc. III. c. niſi* de Renunc. tradens Epiſcopum poſſe ab Epiſcopatu ceſſionem petere (neceſſaria eſt hæc Epiſcopo, cum habeat ipſe Superiorem *R. P.* at *R. P.* nullum habet) propter *infirmitatem, per quam redditur impotens ad exequendum paſtorale officium*, & propter *defectum ſcientiæ, quæ circa ſpiritualium adminiſtrationem eſt illi potiſſimùm neceſſaria, & circa curam temporalium opportuna*; verum etiam teneri poſſe ad huiuſmodi renũciationem, ſi experientia declaret, ipſum eſſe planè ineptum ad tale munus, hincque vniuerſalem Eccleſiam ingentia perpeti incommoda; ac præterea nominatim, quando Simoniacè fuiſſet electus contra Bullam *Iulij II.* de qua ad c. 8. Act. Apoſt. vbi dilucidè cum Concilij Lateranenſis poſtremi (quod communiter inter Generalia collocatur) Patrum approbatione ſeſſ. 5. an. 1513. Febr. 16. declarat Pontifex, quod ſimoniaca *R. P.* electio *per ſubſequentem ipſius inthronizationem, ſeu temporis curſum, aut etiam omnium Cardinalium adorationem, ſeu obedientiam nullo vnquam tempore conualeſcat; quin etiam ipſe ſic electus a priori ſuo Cardinalatus, & alio quocumq. honore, Eccleſijs Cathedralibus, etiã Metropolitanis, & Patriarchalibus, Monaſterijs, Dignitatibus, & alijs quibuſcumque beneficijs, & perſonalibus, quæ tunc obtinebat in titulum, vel commendam, & alias quomodocumque, eo ipſo abſque alia declaratione priuatus exiſtat; & idem electus, non Apoſtolicus, ſed Apoſtaticus, & tanquã Simon Magus, & hæreſiarcha, & ad prædicta omnia, & ſingula perpetuò inhabilis habeatur.* Quapropter cum hic ita electus nunquam eſſet verus Papa; ſicuti nunquam foret, qui verè eſſet hæreticus, cum electus eſt, aut non baptizatus, aut fœmina eſſet &c. neque enim vniuerſalis Eccleſiæ conſenſus illum acceptantis per Pontifice ſufficeret: *tum quia* hic conſenſus falſæ præſumptioni inniteretur, quòd ſcilicet legitima fuiſſet electio, & Pontificiæ Conſtitutiones in eo eligendo ſeruatæ, ac probabiliſſimum ſaltem eſt, Eccleſiam vniuerſalem velle Pontificem Canonicè prorſus electum, cum ſecus nouerit, plurimam ſibi imminere perniciem: *tum quia* alius eſt Eccleſiæ conſenſus *firmiter credentis*, alius *Probabiliter, vel Probabiliùs ſentientis*; hic enim falſitati poteſt expoſitus eſſe: *tum quia* non poteſt Eccleſia vniuerſalis, quã recepit iam, authenticam declarationem, quæ ſummi ponderis quæſtionem dirimat, nolle poſtea admittere: *tum quia R. P.* cum Concilij Generalis Patribus dilucidè declarauit, huiuſmodi electionem ſimoniacam non poſſe vnquam conualeſcere &c. *Durus* profectò videbitur hic ſermo Pontifici ſic electo, vt apertè renunciet Papatui, ſi ſaluus eſſe velit. At *durus* non videbitur illi. 1. *Si fuerit humilis*; quando *nihil arduum eſt humilibus* e *S. Leone* ſer. 5. de Epiph. quæ verba etiam recitat *S. Ign.* Fund.

Sec.

Soc.Iesu in Epist.de Virt.Obed. ad suos an.1553.die 26.Mart. 2.*Si non fuerit in eorum numero*, de quibus loquitur *Silu.* verb. *Simonia* q.16. duram opinionem quarumdam in hac materia appellantibus: *Hæc opinio non est dura humilibus, parcis, & amatoribus sapientiæ, sed ambitiosis, & deliciosis, & non habentibus interioris virtutem delectationis.* 3.*Si fuerit reuera Deum amans*; nam huic *mandata Dei grauia non sunt*, vt inquit S.Ioan. ep.1.c.5.v.3.explicatque *S.Aug.* in lib.de Nat.& Grat.4.*Si fuerit spiritualis, & prospiciens in remunerationem æternam*; sic enim *S.Chrysost.* ac *Euthym.* explicant, quo modo Matth.7. præceptorum suorum *viam* Christus appellet *arctam*, & *portam angustam*, cum postea Matth.11. *iugum suum suaue, & onus leue* nuncupet. 5. *Cum ipsi Pontifices probauerint* d.19.c.3.repositum in Capitulis Caroli Imperatoris, & in Concil.Tribur.c.30.celebrato an. 895. sub Arnulpho Imperatore, & Bonif.VI. *Quod iugum vix ferendum a S.R.& A.S. impositum sit ferendum, & pia deuotione tolerandum*; quidni hęc, licet vix ferenda dicatur, sit pia deuotione a quolibet prorsus toleranda lex, cum sit imposita a R.P. præcedente magna doctissimorum Virorum discussione, & a Later. Concil. Patribus laudata, nec non a Iul.II. successoribus confirmata! 6. *Cum Luc.3.* Pontifex post *Alex.III.* electus an.1181.Aug.29. consultus fuisset a Clerico, qui Ecclesiæ administrationem consecutus fuerat pecunia a quodam amico suo de sua voluntate data ad tollendam nonullorum contradictionem, qui obstabant, ne illam consequeretur, ita responderit c.23.de Simon. *Multum Tibi consulis, si administrationem celeriter, ac sponte dimittas, illius verbi memor existens* (Mat. 16. v.26. & Luc.9. v.25.) *Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* hanc planè responsionem sibi accommodet simoniacè electus, perpendatque sedulò Christi verba. Memor sit, *Cælestini V.* renunciationem Papatui euasisse tandem illi gloriosissimam, & propter illam in æuum omne commendandam quoque in terris. Hic suæ satis consulet famæ; Si alijs e causis, quæ nunquam fermè deerunt ex parte corporis, vel animi, dum accuratè qualitates in *R.P.* requisitas expenderit, se Pontificatum dimittere fateatur. Indignissimus planè Pontificatu, & omni Ecclesiastico honore, qui, licet illegitimus Pontifex, vellet Vniuersalem regere Ecclesiam, & haberi Apostolicus, qui Apostaticus fuisset declaratus a Christi Vicario cum Later. Generalis Concilij Patribus, illumque subsecutis alijs Christi Vicarijs. Nequit esse Christi Vicarius, qui ab eodem Christo recessit propter duram a se existimatam hanc de simonia in *R.P.* electione legem, ductus ab ambitione, vel cupiditate, seu auaritia; nec poterit tutò sedere in Cathedra Petri, qui nunquam a Christo recedere voluit, quamuis e discipulis multi iam ab illo recessissent; imò propiùs per fidem, quam hic profitetur, ad illum accessit.

XXII. Si Christus, vt ait Petrus, *verba vitæ æternæ habet*; non alios audiat Doctores R.P. quilibet hi sint, sententias sibi proponētes Christi doctrinæ aduersantes, seu hæ ad intellectum, speculatiuum, seu practicum

ſticum ſpectent, non explicationi Sanctorum Patrum conſentaneas, & quæ diſciplinã diſſoluunt Euangelicam, ac denique verba mortis æternæ habent. At Chriſti verba ad æternam hortantia, ac ducentia Vitam, non ſunt blanda, neque carni, & ſanguini placentia, vel ſauentia; pungunt, non palpant; animi paſſionibus obſtant, non obſecundant; aſperitatem, non mollitiem ſuadent; a terrenis quibuſque ad cæleſtia mentem auocant; corda gladij inſtar penetrantia ab illis auellunt amorem Conſanguineorum, affinium, aliorumque minus æquum, ſeu quorum amor re ipſa Chriſto præfertur, & tanquam ignis abſumunt vepres potiſſimè ambitionis, ſeu ſuperbiæ, nec non cupiditatis, ſeu auaritiæ, quæ vitia inter Capitalia Principem obtinent locum. Niſi his adhæſerit *R.P.* auditor Diaboli euadet, cuius verba pompas, delicias, honores, opes, commoda, *regna mundi, & gloriã eorum* Matt. 4. v. 8. proponunt, retrahuntque Dominici Gregis Præſidem a paſtoralibus debitis ex iure diuino, ac naturali curis, ac in illud otium conferunt, vt complures non immeritò exiſtimare poſſint, *R.P.* haud ſecum reputare, ſe de Chriſti ouibus nullam rationẽ eſſe redditurum. Equidẽ hic *maledictus* a Chriſto, cuius ſunt oues, *ibit in ignẽ æternũ, qui paratus eſt Diabolo* Matth. 25. v. 41. & *Angeli:* eius ſectatoribus, inter quos ipſe fuit, Diabolicæ alumnus diſciplinæ. Quod ne vnquam accidat, ſuppliciter Chriſtus eſt profectò exorandus.

XXIII. Ita conſtans debet eſſe in Catholica fide *R.P.* vt etiamſi omnes planè ab illa recederent (ſunt quidam, nec infimæ ſortis, Doctores, qui ſentiunt, paſſionis Chriſti tempore ſolam fidem in B. V. manſiſſe; quibus communis tamen ſententia refragatur; adeoque Catholicã fidem in vnico etiam homine poſſe in poſterum permanere; de qua rę modò non eſt diſſerendum) in eadem perſeueret; imò ſi aliam fidem *Angelus de cælo*, vt ait Apoſtolus 1. Gal. v. 8. ſibi *euangelizet, anathema ſit*. Solummodò Chriſtus Chriſtianæ, & Catholicæ fidei auctor verba vitæ æternæ in illa habet.

XXIV. Ita quoque peritus debet eſſe *R.P.* in Fidei myſterijs, vt non dumtaxat inſtar Petri, qui pro alijs quoque Apoſtolis Chriſto reſpondens illius fidem profeſſus eſt, reliquorum omnium inferiorum Paſtorum nomine paratus ſit ad reddendam rationem de illa, quæ eſt in Catholica Eccleſia, fide 1. Petri c. 3. v. 15. verùm quaſi moraliter euidentem habere videatur Catholicorum Dogmatum cognitionem; dixit ſiquidem S. Petrus v. 69. *& nos credidimus, & COGNOVIMVS, quia tu es Chriſtus filius Dei:* Quam cognitionem magna ex parte conſequetur, ſi ſe tradiderit Sacræ Scripturæ meditationi, eiuſque lectioni vnà cum SS. Patribus, Concilijs, Eccleſiaſticaque Hiſtoria. Semper lingua Petri (ſi excipiatur ſex noctis horæ Chriſti Paſſionis tempore) fuit ante alios paratiſſima Chriſti Diuinitatem confiteri; quo vno capite omnia, quę ad fidem pertinent, continentur (Si enim filius Dei erat, omnia, quæ dicebat, vera erant) ſicuti & corpus, vt iam Matth. 14. v. 29. explicatũ, ac manus Matth. 26. v. 51. promptiſſima ad declarandum feruentem

ſuum

suum præ alijs amorem in Christum. Exterius, plusquam cæterorum fidelium omnium, patere debet, firma, constansque R.P. fides, ac vehemens, feruensque in Christum Charitas; nam vt S. Gregorius ait, *Probatio amoris exhibitio est operis; & Amor vbi est, magna operator; & vbi operari renuit, amor non est*. Ipsa quoque fides sine operibus *mortua est*, vt ait S. Iac. ep. c. 2. v. 17. 20. & 26. *informis est* Charitate non formata, estque in statu imperfecto; vnde & celebres Doctores ad 22. q. 4. art. 2. putant, Fidem non solùm esse eminenter practicam, & speculatiuam, sed etiam formaliter talem, licet primò, seu principaliter speculatiuam. Fidei certè tribuit Apostolus ad Hebr. 11. plurima Sanctorum opera, de quibus postea vniuersim v. 33. *Sancti per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones &c.* E non intensis, ac frequentibus Charitatis operibus in R. P. remissam esse admodum illius fidem arguetur; sicuti informem, ac mortuam, si omittat illa, ad quæ tenetur ex iustitia, seu ex officio, legitimè non impeditus. Vbi Petrus Pastor vniuersalis dictus est a Christo, & formata, ac intensissima in operibus iustitiæ, & charitatis ipsius fides profectò fulsit. Sit talis in R.P. semper. Et cum sit de fide, quod ipsa fides possit esse maior in vno, quam in alio, vt communiter tradunt Theologi ad 22. q. 5. art. 4. e pluribus Scripturæ locis; enitatur, orationibus præsertim, a Christo impetrare maius in dies fidei augmentum; Sic enim voluntas excitabitur ad maiorem semper Dei, Christique ouium amorem. Incongruum planè foret, vt R.P. qui censetur esse vniuersalis fidei Catholicæ Magister, minori se præditum fide exhiberet, quam cæteri fideles, qui sunt in Fidei schola illius auditores.

Matth. 16. a v. 13.

XXV. Debet R.P. sedulò interrogare familiares suos, qui tamen sinceri homines sint, & Cardinales in primis, quos candidi nouerit ingenij, *qualis de se opinio sit apud populos; An vlla in re offensiorem pariant suæ, vel suorum, hoc est Consanguineorum, aulicorumque domesticorum, actiones; An Romana, hoc est, Curia sua benè audiat apud exteras nationes &c.* Et hi fideliter, instar Apostolorum, referre debent communes, sensusque varios, qui de præsenti Pontificatu apud Catholicos maximè inualuerint. Quilibet audiatur, haud indignetur R. P. sed potiùs huiusmodi relationem esse sibi gratissimam ex animo ostendat; caueatque, ne vllam præbeat occasionem suspicandi, quod simulatè id interrogauerit, quærens potiùs sui reginimis laudes, & suorum commendationem. Heu quam reprehensibilis foret, si postea minùs beneuolum in eos præferret animum, qui de his interrogati quasdam actiones suorum, vel Curialium actiones sanè vituperandas sibi narrassent. Quid si fieret, vt nonnullus in

Pon-

Pontificatus primordijs aliquem e Cardinalibus probioribus, ac prudentioribus sibi antea amicissimum rogaret, quin etiam iuberet, sibi denunciare, quæ nouisset minùs probari in suo Pastorali munere, & paulò post illam audire detrectaret, & vix non inimicum haberet?

XXVI. Licet Ecclesia superædificetur super fundamentum Apostolorum, post tamen Christum, qui est *lapis viuus* 1. Pet. c. 2. v. 4. *summus angularis lapis* If. 28. v. 16. Eph. 2. v. 20. primariaque *Petra* 1. Corith. 10. v. 4. Petrus est ille, super quem ante alios Christus Ecclesiam suam ædificauit. Soliditas petræ propria est. Absit a R. P. mollities animi, & corporis. *MOLLEM* se declarat; *CVM* 1. *facilè flecti se sinit ab illius prosecutione, quod maturo præeunte iudicio, & consilio ad animarum salutem aggressus est;* 2. *Ex aliquorum importunitate precibus, vel etiam minis concedit non concedenda; vel permittit non permittenda:* 3. *Nimis propensum in suos semet declarat Consanguineos;* 4. *Ne incurrat in minorem Cardinalium, Episcoporum, Magnatum, & aliquorum Regularium Ordinum beneuolentiam, debitam illis correctionem omittit;* 5. *Nimis suo indulget corpori in vestitu, victuque, preciosissimas induens vestes interiores, & valde delicatis vescens cibis, mensamque exquisitè parari iubens;* 6. *Ita quibusdam relaxationibus se tradit, vt pastorales sui muneris obliuiscatur;* 7. *Ita diligenter commoda sectatur sua, vt facilè se ipsum excuset ab obeundis illis functionibus, quæ aliquem animi, vel corporis laborem postulant;* 8. *In hoc potissimùm solicitus est, vt longissimè vitam protrahat suam, Dominici Gregis custodiam in postremis habens;* 9. *In fide infirmum se manifestat infirmis misericordiæ, & charitatis operibus &c.;* 10. *Nihil magnificum, & magnanimum aggreditur in Christianæ totius Reipublicæ beneficium;* 11. *Ex propensione in quosdam, vel Regulares, vel Sæculares se regi ab eorum consilijs sinit;* 12. *Dignitates Ecclesiasticas defert offerentibus munera a manu, a lingua, ab obsequio;* 13. *E leui causa derogat Sacris Canonibus, Pontificijsque Constitutionibus, aut in illis dispensat;* 14. *Suam immortalem gloriam reponit in exornanda vrbe sumptuosis ædificijs, concinnis vijs, fontibus deriuandis, obeliscis erigendis &c. non verò in propaganda latissimè Christiana, & Catholica Religione inter Gentiles, & Hæreticos, ac pietate inter Catholicos, in Christiana Republica aduersus illius hostes tuenda; vel interim Pop. Roman. panem, aliaque victualia caro pretio emere cogitur, vel nouis premitur tributis cum alijs populis &c.* 15. *Quibusdam deditus est penitus, potius Regulari, ac priuato homini pio consentaneis, quam Romano Pontifici, satis inde animæ saluti suæ putans consulere.* Haud Christus super mollem lanam, vel argillam, suam voluit ædificare Ecclesiam, sed super Petram. Sanè si R. P. se durum, seu inflexibilē prorsus ostēderet Principibus ipsis, nō lectissimos Cardinales, non idoneos animarum Pastores eligendos, vel confirmandos proponentibus, & quasdam concessiones, vel dispensationes quærentibus, vel in quibusdam approbationem Pontificiam postulantibus; hancque duritiem agnosceretur oriri e Dei timore, e publici Ecclesiæ boni amore, quod vnicè intenderent R. P., vt optimi Catholici Principes non

suc-

succenserent R. P. sed hinc magis illos venerarentur, euaderentq. ipsi *molles* potiùs in conformando se *R. P.* voluntati, vt contigit *Iustiniano Imperatori* audita responsione *S. Agapiti*, de qua supra.

XXVII. Licet verissimum planè sit, nunquam fore, vt aduersus Ecclesiam, quæ est Ciuitas, *cuius artifex, & conditor Deus* Hebr. 11. v. 10. ita *prævaleant portæ inferi*, seu quælibet Diaboli insidiæ, ac molitiones, vt illa penitus corruat; nam semper illi aderit Christus Matth. 28. in fin. illius propugnator Zach. 14. v. 3. Verum tamen pariter est, quod aliquot huius Ciuitatis ædificia euerti queunt ab infidelibus, & ab hæreticis; nec non a quibusdam Catholicis, qui improbissimis moribus, validiùs quoque præ illis, callidissima Diaboli potentia his ignita iacula, ac tormenta suppeditante, Ecclesiæ mænia oppugnari posse. Quæ euersio apparebit, & oppugnatio tunc maximè vrgebit, cum *R. P.* qui præ alijs vigilare debet ad huius Ciuitatis custodiam, sopori se daret, alijs eius propugnationem dimittens; atque tunc solummodo, vel cum primis, excitaretur ab illo, cum sæcularia, vel ad suos attinentia negocia forent tractanda.

XXVIII. Amplissima, ac sublimis potestas Petro promissa est a Christo de *Dandis* illi *clauibus Regni cælorum*, quam potestatem alia statim metaphora *ligandi*, atque *soluendi* declarat, eamque *delegatam* postea concessit alijs etiā Apostolis Matt. 18. v. 18. Clauis autem Ecclesiastica vniuersim cum sic definiatur; *Est potestas ligandi, & soluendi, qua Ecclesiasticus Iudex dignos recipere, & indignos excludere debet a regno*; quæ licet iuxta *Turrec.* lib. 1. de Eccl. c. 93. & 96. *vna* essentialiter solùm sit, *duplex* dicitur tamen per comparationem ad actus, quorum vnus præsupponit alium; ac in potestate *Ordinis* quidem *scientia discernendi*, an hic sit dignus, an indignus, & *potentia* in foro interiori dignos recipiendi, & indignos excludendi a Regno Cælorum, seu in foro sacramentali absoluendi peccatores, qui pœnitent, vt par est, ac negandi absolutionem illis, qui non condignè pœnitent; ac pariter in potestate *Iurisdictionis* requiritur *scientia discernendi*, quid sit iustum, & quid iniustum, & *potentia* condemnandi, & absoluendi in foro exteriori; *Patet*, hasce *potentias*, quæ primariò, & per se Petro, tanquam capiti (Petrus namque latina vox est eadem cum Græca *Cephas* caput significans) concessæ sunt, & ad eo dimanant e communiori sententia in cæteros omnes Præsules Ecclesiasticos, tanquam in membra, esse supernaturales, cum sint de admittendo ad Regnum cælorum, vel excludendo ab eodem, ac ligamen esse spirituale, & absolutionem superioris ordinis; neque Christum vllatenus de admissione ad terrestria regna, aut ab illis exclusione, vel ligamine terreno, vel absolutione ab illo locutum fuisse, vt patet ex interpretatione etiam SS. Patrum, & priscorum etiam Summorum Pontificum; qui etiam potestatem ligandi, atque absoluendi, potissimùm intelligunt de Excommunicatione, quæ est primaria inter Ecclesiasticas pœnas, vt legitur 11. q. 3. c. 31. 60. ac 88. e *S. Chrys. & Greg.* nec non 24. q. 1. c. 5. 6. 20. q. 3. c. 1. e *S. Aug.* q. 3. c. 2. & 4. e *Gelasio* Papa;

aliqui enim censent Clauem *Ordinis*, seu in foro sacramentali potestatem remittẽdi peccata solùm tributam fuisse a Christo Apostolis post resurrectionem Ioan.20.v.23. *Fatendum tamen est*; ex hoc loco a compluribus Theologis, ac illustribus Sacræ Scripturæ interpretibus, colligi in *R.P.* potestatem etiam absoluendi a Votis, a Iuramentis, siue in illis dispensandi, cõferendi indulgentias, derogandi, & abrogandi quoslibet prorsus Canones etiam Apostolicos, & Conciliares; dispensandi in legibus positiuis, etiam Diuinis, seu vt Theologi loquuntur, iuridicè interpretandi, illarum vim in tali casu cessare; ferendi leges vniuersales, quibus omnes planè Christi fideles teneantur, ac similia efficiendi. Obseruandum tamen est *R.P.* 1.*Nullum etiam e Theologis* illi concedere omnem illam potestatem, quam habuit Christus etiam, vt homo, circa claues, & ligamen. 2.*Sapienter Ioan.*22. in Extr.5. de verb.signif. tradidisse, e concessione Clauium Petro hoc in loco, non congruè colligi immutabilitatem definitionum Pontificiarum; quæ quidem potius e Luc. 22. v.32. colligenda videtur. 3. *Ne nimis ampliet* illam Dictionem bis repetitam, *Quodcumque*, quæ licet esset etiam magis lata, quam Dictio *Omnis*, restringitur tamen ad expressa, & ad subiectam materiam. Hinc in Oratione, quæ habetur in festo Cathedræ S.Petri, tum Antiochiæ Feb. 22. tum Romæ Ianuar. 18. (vtraque autem festiuitas est antiquissima; hanc tamen Romæ, quæ alicubi exoleuerat, *Paulus IV.* innouauit in vniuersa Ecclesia an.1558.Ianuar.6.Bul.13.in Bul.) ante *Clem.VIII.* & in Breuiario, & in Missali Romano, legebatur, *Deus, qui B.Petro Apostolo tuo collatis clauibus Regni cælestis ligandi, atque soluendi ANIMAS Pontificium tradidisti &c.* Dempta est sub *Clem. VIII.* illa vox *Animas*; ac indefinitæ illæ voces *ligandi*, atque *soluendi* redditæ, & vniuersales reditæ, quasi sine vlla limitatione; quæ tamen admittenda; tum ex superioribus vocibus, *collatis clauibus Regni cælestis*; tum quia haud indefinita æquipollent vniuersali, quando non est eadem ratio particularium contentorum sub indefinita, nec non in materia odiosa &c. nec potest ab vllo sanè mentis negari, quin tanquam *falsa, temeraria*, nedum *audax, & assentationis plenissima*, sit habenda ab ipso prorsus illa vox, *Papa omnia potest*. Sciat autem ex opinionibus, quæ de sua potestate impressæ, ac vulgatæ sunt inter Catholicos, *aliquas* commentitias esse, falsasque; *aliquas* temerarias; aliquas *improbabiles*; aliquas censeri etiam *repugnare sacris litteris*, neđum SS. Patribus, & ipsismet Constitutionibus Pontificijs; plerasque e detestabili adulationis vitio ortas; quod incrementum potissimè accepit: *VBI R.P.* post decem sæcula CÆPERVNT 1. *Imperatores ipsos deponere*, quod contigit an.1080. 2. Post Comitissæ *Mathildis mortem an.*1115. *Iul.*24. *ampliorem longè, quam antea, dominatum temporalem obtinere.* 3. *Post an.* 1150. *præcipuarum Dignitatum Ecclesiasticarum collationem sacere Ecclesias, Abbatiasque in perpetuum commendare, ac plurima sibi reseruare beneficia*; 4. *Adempta electione Episcoporum Clero, & Cathedralibus Canonicis, eligere complures Episcopos, aliorum nominatione concessa Principi-*

cipi-

cipibus; 5. *Romanum Populum penitus suæ potestati subijcere*; 6. *Non de consilio, & assensu Cardinalium ardua etiam negotia expedire*; 7. *Exercitus comparare, fœdus inire cum Principibus Catholicis contra alios pariter Catholicos Principes &c.* 8. *Priuilegia amplissima, exemptionesque ab Ordinarijs, potissimè Regularibus, amplissimas elargiri*; 9. *Nullo reclamante, vtpote Principibus bello detentis, vel ex timore, vel ex minori animaduersione, vel ex quadam pietate, vel ad eorum fauores, aut beneficia aliquot impetranda id permittentibus, temporalem iurisdictionem amplificare in ipsorum ditionibus Principum*; 10. *In quosdam, quos suæ auctoritati infensos scriptis, librisue præsertim existimarunt, infensissimos semet ostendere, eorum famæ, honori, rei familiari, imò & vitæ, ipsi vbique incommoda plurima inferre*; 11. *Episcopis multas facultates de iure communi adimere*; 12. *Plurima sibi reseruare spectantia ad forum internum, ac externum*; 13. *Suam potestatem amplificantibus largè semet beneficos manifestare*; 14. *Quosdam Regulares in studia incumbentes, ac præcipuè animarum saluti vacantes, sibi peculiariter deuincire*; 15. *Causas quasdam ad sæculare forum per se spectantes ad Ecclesiasticum auocare*; 16. *Conciliaribus legibus semet penitus non suppositos apertissimè declarare*; 17. *Libros minùs suæ iurisdictioni propitios seuerè prohibere, illosque vel flammis dedere, vel in occultis reponere locis; qui ne iterum imprimerentur, studuerunt, eorum auctores quandoque minùs honesto nomine notantes, cum tamen alios vltra etiam meritum sibi fauentes mirificè cum suis Auctoribus laudauerint, sæpiùs, ac sæpiùs edendos curauerint &c. ac præterea antiquissimis etiam libris nonnulla demere, aliqua addere, per suos ministros elaborauerint*; 18. *Quosdam titulos, ac honores, qui alijs etiam Episcopis deferebantur, sibi solis deferendos iubere &c.* Quæ autem sint hæ prorsus assentatoriæ, deprehendet ipsemet e lectione sacræ Scripturæ, SS. Patrum, & præsertim interpretantium gesta Apostolorum, in primisque S. Petri, ac Epistolas Pauli, & præ cæteris ad *Timotheum*, ac *Titum*; vel ex alijs, si velit sincerè, ac ex animo, in huiusmodi lectione versatis, cognoscere poterit. 3. *Certa omninò vnanimiter habita a Catholica Ecclesia de sua Auctoritate, ac Potestate* ipsemet R.P. tueatur prorsus, etiam cum vitæ ipsius discrimine; dubijs, vel probabilibus non pondus vltra meritum appendat; atque si aliquas propter incommoda, quæ putat posse ex illis importari, euitare iudicet (quæ tamen fingi queunt, vel esse minora commodis) vetet etiam iustitiæ amans, quæ pariter incommoda in Rempublicam Ciuilem, ac Principum sæcularium potestatem importare queunt. Non permittat quidem in Vrbe imprimi, ac impressas vetet, opiniones, quæ requirunt *Vniuersalis Ecclesiæ consensum ad hoc, vt ipse electus a Cardinalibus, & publicè habitus in Vrbe Romanus Pontifex, Christique Vicarius, vt talis absque vlla dubitatione, ac suspicione a reliquis fidelibus habeatur*; multoque minùs, *quæ Primatum, quem habet in Ecclesia, haberi volunt e Philosophicis rationibus, non verò e Sacra Scriptura, & Patrum, Conciliorumque testimonijs*; vt quidam ex Ordine Regulari, qui summum in Apostolicam Sedem studium profitetur, an. 1649. in Vrb

 edidit,

edidit, ausus etiam *tacitè sui Ordinis regimen regimini Pontificio præferre &c.* approbatione, prout moris, reportata e potentia, & auctoritate, qua ille Ordo in Romana fruitur Curia: Quas opiniones si alius alibi impressisset, tanquam impium, schismaticum, imò hæreticum, vel saltem de hæresi vehementissimè suspectum Romanæ Congregationes proclamassent. *Quid parùm propensi in Pontificiam Monarchiam e communiori sententia assertam? Quid Principes, cum audierint, electum Romæ Pontificem fuisse aliquem non sibi gratum? Quid hæreticis fauorabilius in suis sensibus, ac nominatim de Romano Pontificatu?* An non riderent, ac meritò hæretici, dolerent verò acerrimè Catholici, quòd harũ auctorem opinionum proximum sibi in dignitate *R. P.* constituisset? Iusto Dei iudicio id permitteretur, cum *R. P.* nimis tribuunt nonnullorum sapientiæ, nimis in illos semet propensos ostendunt &c. 4. *Caueat omnino* peculiariter, ne approbet, vel approbari permittat opiniones, aut in scholis, aut in libris in Catholicis Prouincijs, quæ potestatem Pontificiam fouendi specie, inter cæteras *publicæ pacis sunt perturbatrices, Regnorum, Ciuitatum, Rerumque publicarum euersiuæ, subditos ab obedientia, & subiectione auocantes, ad factiones, seditiones, rebelliones, & Principum parricidia excitantes; quin etiam schismati occasionem præbentes; Principum infidelium, & hæreticorum conuersionem impedientes; Põtificiæ ipsimet dignitati odium conciliantes, nedum supremæ Principum auctoritati in temporalibus derogantes; adeoque Apostolicam Sedem odiosam Principibus, tum Catholicis, tum non Catholicis efficientes.* Periculum est ingens enimuerò, ne Regulares nonnulli, quorum primarius scriptor, alio pariter celebri ex eodem ordine tacitè idem priùs significante, libro etiam edidit, posse Pontificem non solùm supremos Principes quandoque e Principatu deponere, subditosque ab illorum qualibet obedientia eximere, sed & postea *iubere occidi* (cuius scriptoris doctrina omnis, tãquam probabilis prorsus, ab alio eiusdem Ordinis Romæ libro impresso ann. *1649.* approbata est, nec Romæ interdicta hactenus) a cunctis ditionibus sæcularium Principum expellantur, nec planè sine causa, cum in illis habentes eiusdem Ordinis Religiosos, qui tenentur *R. P.* obedire in omnibus ijs, vbi manifestum non cernitur peccatum, adeoque in omnibus quæ probabiliter excusant a peccato, timere possint semper, ne *R. P.* horum opera vtantur ad necem inferendam sibi occultã saltem, quos cẽsentes improbos palã e principatu depellere non auderent &c. In quo sensu adhuc magis confirmari queũt, quod nec Romę damnata hactenus opinio admittens dominium temporale *R. P.* directum in toto orbe, ac præsertim Christiano, & Catholico, iurisdictionisque temporalis vbiq. vsum, si libuerit, *R. P.* tribuens. Nihil sanè alienius a potestate, quam hoc in loco pollicitus est Petro Christus, posteaque Ioan. 21. tradidit, vt ordinariam.

Matth. 16. v. 22. ac 23.

XXIX. CHristus increpat, & acriter, Petrum, quem antea laudauerat, & summopere. Hominum eorumdem, & bene facta commendare, & malè acta vituperare R.P. debet. Largiatur ille præmia, exemptiones, priuilegia, munera quædam honorifica &c. ijs, qui illustria Ecclesiæ spiritualia in primis commoda attulere; sed *Vbi* horum cæperint esse scandalosæ actiones, *Vbi* Priuilegijs, ac Exemptionibus abutantur, *Vbi* a prisco Maiorum suorum Instituto recedentes maiora afferant incommoda Reipublicæ Christianæ incommoda, quam commoda, si æqua lance perpendantur, priuatusq. amor libræ lance pondus non addat; auferat illis, quæ tantùm gratiosè, ac liberaliter prorsus concessa sunt, & ad communem cæterorum hominum conditionem reuocet; atque si non semel moniti, & correpti, suos reformauerint mores, emendationis spe deposita, quamuis Religiosi cętus forent, eos dissoluat, nõ reditus eorũ in Romanam Curiam deriuando, sed eos ad alia opera applicãtes pia in ijsdem Ciuitatibus, Oppidisque, in quibus illi morabantur iuxta verisissimam tunc illorum, qui ea legauerunt bona, mentem.

XXX. Non excusat Christus Petrum, licet ex vehementi amore, carnali tamen, ipsum a passione auertentem. Ne ita R. P. sit in aliquis propensus, vt quæcumque illorum dicta, & facta, licet vituperabilia, putet laudabilia, atque huiusmodi habenda significet, & a culpa liberare contendat; vnde fiat, vt nemo ea sibi narrare audeat: Sic enim apud Regulares, vel allios Ecclesiasticos, Regularis, Ecclesiasticaque disciplina paulatim dissoluetur. Tunc quidem magis peccaret, cum ex minori in alios propensione præclara aliorum facinora audire detrectaret, ac non verisimilia putaret, ac narrantibus fidem habere nollet. Nunquam R. P. animus sit vitro similis cuidam, quod deformem faciem pulchram, pulchram verò deformem intuentibus offert.

XXXI. Tanquam scandalosos, imò tanquam aduersarios, & hostes a se prorsus repellat R. P. illos, qui conarentur, vel tentarent ipsum retrahere a curis, quæ propriæ sunt Pontificij muneris, ac suaderent, vt refugeret labores Pastoris vniuersalis proprios, ac indulgeret sibi vacuus curis Ecclesiarum, delicias, corporisque iucunditates amplecteretur, vitæ dies suæ summo producere studio contenderet, aures haud præberet molestis narrationibus, aut querelis, sed suauibus tantùm, atque assentatorijs illas patefaceret.

XXXII. *Non sapit ea, quæ Dei sunt*, sed quæ hominum R. P. *dum* præcipua illius opera foret in suo corpore molliter vestiendo, ac nutriendo in Pontificijs Palatijs amplificandis, & exornandis, in perpolienda Vrbe, in multo famulatu alendo, in honoribus exterioribus sibi semper

per

per amplioribus exquirendis, in corroganda pecunia sibi, vel suis, & maximè si modis Pontificiæ Dignitati, licet aliorum ministerio, non consonis, Ecclesiarũ solicitudinem, Dominici Gregis custodiam omittẽs &c. *dum* frequens eius sermo foret de Rhetoricis, Philosophicis, Oeconomicis, Politicis &c. *dum* notitiam potiùs habere niteretur eorum, quæ ad Politicum statum, ac præsertim aliorum Principum, quam quę ad Episcoporum, Regularium, aliorumque Ecclesiasticorum mores, ac Disciplinam pertinent &c. *dum* minorem præferret amorem in eos, qui in vestitu, victu, habitatione, rebusque similibus Euangelicam paupertatem, & humilitatem prosequuntur &c.

Matth. 17. a v. 1. Marc. 9. a v. 1. Luc. 9. a v. 28.

XXXIII. CHristi mos fuit in orando montem ascendere, vbi & solitudo maior est, & cæli conspectus liberior: Non in montes ascendebat, vt ibi puriori frueretur aere, non vt remotus ab animarum cura corporis voluptatibus, seu iucunditatibus se totum traderet. Orauit autem peculiariter, antequam gloriam discipulis suam demonstraret, docens *R. P.* tunc illi potissimè orationi vacandum, *cum* & grauia pro publico spirituali bono negocia sunt illi suscipienda; & *cum* nonnulla sunt illi agenda, quæ Pôtificiam Maiestatem indicant; *cum* quædam excepturus est summæ Venerationis in *R. P.* & A. S. Principum, aliorumque signa; *cum* honores quosdam a nullo Ecclesiastico Præsule vsitatos admittit; *cum* quasdam exercet functiones vni reseruatas *R. P.* Rogatus Deus, non ex his illum in superbiæ tentationem inducet.

XXXIV. Iucunditate allectus gloriæ Christi Petrus semper in Monte Thabor commorari optauit, sed vt semper cum Christo, quem vnicè diligebat, maneret. Minùs reprehensibilis foret *R. P.* si cum Deo fermè semper in oratione versari studeret, alijs nolens detineri curis, quàm si non cum Christo corporis voluptatibus, licet per se non illicitis, se traderet. Debet ille quidem vehementi cupiditate Christum, cuius est Vicarius, videndi in cælis flagrare, seu *habere desideriũ* cum Apostolo 1. Philip. v. 23. *dissolui, & esse cum Christo,* & cupere solùm *permanere in carne* cum eodem, *si necessarium sit* propter Christi oues; cuius *exemplum secutus,* inquit *Innoc. III.* c. *Nisi* de Renunc. *gloriosus Pontifex* Martinus *dixit, cum cæpisset viribus corporis repente destitui*, Domine si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem; fiat voluntas tua. Huius voti *R. P.* per se congrui, vt compos fiat, nullos non labores suscipiet sui muneris proprios, licet corporis vires euadant debiliores,

res, ac facultates animæ vegetatiuæ, ac sensitiuæ imbecilliores, dummodò rationalis in Diuina, cum fuerit in terris, non euanescant.

XXXV. Si Petrus *nesciebat, quid diceret*, cum iucunditatem, licet spiritualem, in hac vita quæreret; multò magis R. P. nescit quid dicat, dum & terrenas iucunditates & laudat, & prosequitur, ac terrenis cogitationibus, curisq. ita detinetur, vt spiritualis sui muneris, ac cælestis patriæ videatur oblitus.

XXXVI. Cauendum est R. P. ne in Vaticano Monte tria faciat Tabernacula; *Vnum* sibi gloriam, commodaque sua, non Christi gloriam, non ouium sibi, ab illo commissarum commoda, quærens; *Alterum* Consanguineis, & Affinibus, eos licet minùs dignos, ad Ecclesiasticas Dignitates, Honoresque primarios sæculares euehens, ac mirificè eos ditans e lana, ne dicatur, pelle nonnullis Christi ouibus detracta: *Postremum* amicis suis, vel illis, qui aliquod obsequium sibi, vel familiæ suæ præstiterunt, ac præstant, vel aliqua non leuis pōderis, aut donauerint, aut certò ex ijs ipse, aut sui Consanguinei sint reportaturi, Purpura quoque Vaticana, eos decorando, ac eorum Tabernaculum suo, suorumq. Tabernaculis in Vaticano Monte proximum constituendo. Petrus quidem optauit facere tria Tabernacula, sed primum quidem Christo, alia duo in ipsius Christi honorem quoque; nam *Moyses* referebat Christum Euangelicæ legis conditorem, cuius Mosayca lex figura fuit, & *Elias* Christum Iudicem venturum in mundi exitu &c.

Matth. eod. c. 17. a vers. 23.

XXXVII. SI Christus pro se, discipulisque suis soluere consueuit tributum, quod Octauianus Augustus in vniuersali descriptione sui imperij Luc. 2. init. imperauerat, atque cum tunc adesset solùm Petrus, pro se, & illo, *tetradrachmum*, hoc est, duo didrachmata, seu quatuor Italicos Iulios soluit, quāuis ipse ad id non teneretur, etiam tanquam homo, vt pote filius Dei, naturalis, & hoc ad vitandum pusillorum; erat enim verè tantummodo acceptum, non datum, seu passiuum, non actiuum, si non soluisset: Etiam R. P. tenetur vitare ante alios scandala, quæ oriuntur tantùm ex ignorantia, pusillanimitate, ac infirmitate humana, etsi non e verbis, vel factis, quæ per se causam, vel occasionem afferrent ruinæ spiritualis in Christi ouium animabus. Sic egit quoque Paulus, & Præcepit Rom. 14. v. 21. & 1. Corinth. 8. v. 13. Quid si complura R. P. non vitaret actiua, experientia teste? Ipsamet non vitans passiua haud Christo, ac Apostolo obedit, nec amborum gestis se conformat. Nonne monet præterea Christus Petrum, vt ea vitet, dum dixit v. 27. *Vt autem non scandalizemus eos.*

XXXVIII. Non est contra Ecclesiæ, vel Ecclesiasticorum dignitatem

tem solutio tributorum Principibus sæcularibus 11. q. 1. c. 27. e *S. Amb.* in Orat. contra *Auxent. de trad. Basil.* qui tamen constantissimus semper fuit contra Imperatorem ipsum de non tradendis Basilicis Arrij sectatoribus, illumque acerrimè de hoc coarguit 23. q. 8. c. 21. & maximè si hæc sit tributorum pro bonis immobilibus, quæ in laicorum manibus tributis erant obnoxia. Quin etiam nonnulli putant, Ecclesijs, ac Ecclesiasticis ipsismet fore admodum vtile, si a *R. P.* ferretur lex, vt bona, quæ relinquentur deinceps Ecclesijs, vel Ecclesiasticis, haud sint immunia ab vsitatis contributionibus, seu tributis, consuetisue oneribus. Sic enim faciliùs indulgerent Principes, vt laici sibi subditi bona largirentur immobilia Ecclesijs, atque Ecclesiasticis; Secus enim imminere potest periculum, ne omnes primarij Principes quasdam opiniones prosequantur a doctissimis quoque Catholicis assertas, licet hæ non probarentur Romæ, vel libri eas continentes ibi quoque interdicerentur; nam ad summum ex probabili aliorum opinione circa huiusmodi contributiones id interdictum non rarò fuisse ortum agnoscunt. Quò magis vi Romana Curia voluerit quædam a Principibus Catholicis extorquere, eò minùs illa assequetur. Hoc patet ex actis huius sæculi initio: Nam vbi Controuersias qua dam de Immunitate Ecclesiastica armis & spiritualibus, & temporalibus dirimere tẽtatum est, ex accuratiori quorumdam studio euenit, vt & Principes sint redditi cautiores in multis, ac sibi vindicẽt multa, quæ ex pietate quadam, seu indulgentia priùs permittebant, multaque sibi circa Ecclesiasticos, eorumque bona licere putent, quæ priùs ex minori animaduersione illicita censebant; ac præterea non minùs hinc semet Catholicos arbitrentur, cum nouerint temporalem iurisdictionem ad se in primis spectare; ac sapientia illustres e Catholicis Scriptores sentiant, e Christi institutione Ecclesiasticos nullam temporalem pœnam (haud sermo est de sacramentali foro, aut consueta in absolutione ab Excommunicatione, vel iam vsu comprobata in priscis Canonibus Pœnitentialibus) quæ iurisdictionem petit, imponere cuilibet posse; quam si modò imponant, id agere, vel ex concessione iam Principũ, vel ex præscriptione; quæ adhuc præscriptio an sit legitima semper nonnulli e pijs quoque Catholicis dubitant &c. Non putauit sanè Christus esse contra dignitatem suam tributum soluere: Vnde arguit idem *S. Ambros.* ad cap. 5. Lucæ, *Si censum Dei filius soluit, quis tu tantus es, qui non putes esse soluendum?* leguntur hæc 11. q. 1. c. 28.

XXXIX. Christus noluit cum discipulis suis, qui solùm duodecim erant, esse immunis a solutione tributi, quod infideli, ac Gentili Principi soluebatur, quamuis omnes ex oblatis viuerent, quamuis quandoq. illi ad sedandam, qua cruciabantur, famem, sabbato vellere spicas, & manducare coacti fuerint Matth. 12. init. & ipsemet non haberet, vbi caput reclinaret Matth. 8. v. 20. Luc. 9. v. 58. imò miraculum edere voluit, quo integrè tributum pro se, & Petro, publicanis solueretur. Equidem Apostolos hoc etiam nomine ad illud tributum putandum est nõ fuisse obli-

obligatos, quòd essent summè pauperes, ac mendici. Si Ecclesiastici essent instar Apostolorum pauperes, ac mendici, Ratio naturalis ipsamet suaderet Principibus Christianis, vt nullum ipsis prorsus tributum imponerent. At cum ab aliquot iam sæculis, ac modò potissimùm abundent, & opibus, & reditibus, bonisque, tum mobilibus, tum immobilibus, Ratio naturalis ipsamet suadet, vt subueniant Principibus in quibusdam Ciuitatum, Prouinciarum, Regnorū necessitatibus, ac præsertim si hæ sint de tuenda ipsamet quoque Christiana, & Catholica Religione contra illius hostes; nec illi intelligantur exempti in huiusmodi euentibus e Reg. Iur. 81. in 6. eòque magis, si pateret, ab ijs reditus Ecclesiasticos impendi sæpissimè in superfluis, indecorisq. suo statui, & non raro illicitis. Multas quidem Principes laici, ac populi concessere Ecclesiasticas Exemptiones, tam quoad personas, quàm quoad bona; Verùm illi tunc erant pauci, ac plerique insigniter probi; vnde & perrara erant crimina publica Ciuilibus plectenda pœnis. At ab aliquot sæculis auctus est, ac augetur in dies, numerus Ecclesiasticorum, cum Sæcularium, tum Regularium, & illa dictio, *Ecclesiasticorum*, ampliata summopere, sicuti & vox *Bona Ecclesiasticorum*; nec prisci Ecclesiastici negociationibus, vt decursu temporis accidit, vacabant; abstinebantque prorsus a negocijs sæcularibus, de quibus est *tit. ne Cler. vel Monac.* in 3. & 6. Decret. quibus Ecclesiastici complures, etiam Regulares, non minùs detinentur, quam laici, imò nonnulli etiam magis; quod deplorat *S. Bern.* in Declamat. in Petri verba, *Ecce nos* &c. Matth. 19. & liquet, plurimos primam tonsuram, Minoresque Ordines suscipere eo tantùm consilio, vt forum Sæculare, & Criminale, & Ciuile euitent; multos, vt liberiùs peccent, ac si peccent, minores longè subeant pœnas; nec seruari decretum Trid. Syn. sess. 23. cap. 4. *de prima tonsura initiandis* & 6. *de Constitutis in minoribus Ordinibus*; quæ a sapientissimis Patribus condita a recentioribus sua quærentibus commoda varijs interpretationibus eluduntur maxima e parte. Æquum videri posset, vt *R. P.* declararet apertè, vt horum bona quæcumque, non seruata ad litteram mente Tridentinorum Patrum in hisce decretis, nulla prorsus fruerentur exemptione, ac personę, nisi constitutæ sint ad summum in aliqua Ecclesiastica dignitate, sicut laici, in delicto aliquo deprehēsæ sæcularis Iudicis foro essent obnoxiæ. Non eadem planè ratio vrget pro huiusmodi Clericorum exemptione, sicuti Sacerdotum, ac prę sertim Episcoporum, ac præ alijs Romanorum Pontificum, tàm quoad personas, quàm quoad bona: Animarum enim Pastoribus par est multas concedere exemptiones, & pro dignitate, ac amplissimas prorsus Supremo Pastori. An verò possit *R. P.* independenter omninò a sæcularium Principum, ac populorum eximere Clericos a foro sæculari, itaut in delictis quoque tranquillitatem publicam perturbantibus haud illi subiaceant; eorumque bona quibuscumque planè oneribus sæculari auctoritate suscipiendis subtrahantur, non est extra cōtrouersiam inter Catholicos; neque enim hactenus est definitum a Concilio vllo

Generali, vel etiam à Pontifice è cathedrà, quod in temporalibus exēptio Clericorum sit de iure Diuino, vel eam non concedentes Fidei Catholicæ aduersentur, & Romana quoque Ecclesia, vt Catholicos admiserit, nuncupaueritque, ac modò etiam nuncupet Principes, qui eam plurimis, & in plurimis non concedunt: *NEQVE obstant aliqui Canones etiam prisci, in quibus Clerici eximuntur, seu liberantur a Foro sæculari, & quidam vetantes Clericis accedere ad illud &c. TVM QVIA nunquam illi declarauerunt, esse id dogma fidei; quæ declaratio non fuisset omissa, si in Verbo Diuino, aut scripto, aut tradito concedente R.P. omnimodam potestatem tollendi Principibus iurisdictionem in Ecclesiasticos, eorumque bona, suam declarationem authenticam illorum conditores, ac potissimè, qui illos approbarunt, ac tulerunt R.P. reponere potuissent legitimè; suntque leges, quarum obligatio cessare potest ex ijs capitibus, e quibus Doctores cēsent posse aliarum legum obligationem cessare. TVM QVIA multæ ex hisce legibus non vniuersim latæ, nullæ etiam probatæ in vllo ex antiquioribus Concilijs Generalibus; quamobrem ad summum obligationem induxerunt pro illis Prouincijs, in quibus Episcopi, ad Concilia Priuincialia conuenerant; nec licet vniuersales fuissent, constat vbique receptas fuisse, saltem integrè, sed potiùs contrarium. TVM QVIA e probabili opinione, quod id sua auctoritate possent Episcopi nonnulli ad eas ferendas leges impulsi fuere; & cum maxima potirentur auctoritate apud populos propter eximiam probitatem, facillimè eos ad earum obseruantiam compulerunt; cum autem alicubi seruari cæperunt, etiam alibi obseruantia illarum curata. TVM QVIA adhuc in controuersiam adduci potest, an in omnibus planè delictis personas Ecclesiasticas illi Canones a foro sæculari exemerint, an in omnibus planè necessitatibus Ecclesiasticorum bona, & qualibet, & quorumcumque, noluerint esse obnoxia laicæ potestati; possunt enim commodè explicari de criminibus publicam tranquillitatem non perturbantibus, & quibus supplicium mortis, aut alias graues pœnas haud leges ciuiles non imponant, ac de oneribus quibusdam ordinarijs &c. maxime cum Canones ipsi apertè asserant, esse Regum punire sacrilegos, homicidas, incestuosos &c. 23.q.5.c.22. cum sequ. & Ecclesiæ agros soluere tributum 11.q.1. cap.27. &c. TVM QVIA prisci illi Canones conditi censentur consentientibus populis, siue Principibus, sicuti multæ leges circa Ecclesiasticos dicuntur cōditæ a Principibus de consensu Episcoporum, vel R.P. saltem tacito; consueuisse autem Principes, Regesq. Cōcilijs Prouintialibus adesse (sicuti Imperatores Concilijs Generalibus) priscis Ecclesiæ sæculis & hæc sepiùs indixisse, & nominatim approbasse Canones ad politiam externam spectantes, ac iussisse peculiari rescripto, vt omnes illis obsequerentur, patet cuique legenti tomos Conciliorum, tomosque nominatim continentes Concilia Gallica, ac Toletana, seu Hispanica. TVM QVIA videntur approbatæ huiusmodi exemptiones a foro sæculari Magistratuum inferiorum, & Dominorum quorumdam alijs subiectorum (& hoc in Ecclesiastici status honorem, & ad auertendam laicorum, nec paucorum, in illos animum verè acerbum &c.) non verò a iurisdictione supremorum Principum.* Illud constat, non constare,

ſtare, quod huiuſmodi exemptiones in temporalibus e diuino iure habeantur cum multi, ac inſignes Theologi, ac recentiores, quoq. edidérint, Immunitaté in temporalibus ex Iure Diuino nō eſſe nec ſatis aptè probari id e Chriſti verbis hoc in loco verſ. 25. ergo *liberi ſunt filij*; ſic enim & Chriſtiani, qui ſunt Dei adoptione filij, eſſent immunes a tributis; quod tamen hæreſis eſt, cum repugnet manifeſtè illis Pauli 13. v.7. *Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, &c.* adduntque cum R.P. dixerunt, Exemptionem hanc Clericorum, ac Bonorum Eccleſiaſticorum eſſe e Diuino iure, id tranſeunter, & non dogmaticè, vel tanquam priuatos Doctores tradidiſſe &c. Quas iam legitimè poſſident Eccleſiaſtici Immunitates (hæ non ſunt vbique eædem, ſed alicubi ampliores, alibi anguſtiores) R.P. tueatur mitibus, placidiſque potiùs medijs, quàm ſeueris, ac violentis, memor maximè, poſitiuas leges ipſaſmet Eccleſiaſticas, pertinentes etiam ad Sacramenta; Excommunicationem &c. non ſolùm *ſecundum varietatem temporum variari*, & reuocari C. *non debet* de Conſagu. C. *Alma Mater* de Sent. Excom. in 6. quod & re ipſa præſtitit Trid. Concil. c.2.3. & 4. ſeſſ. 23. de *Reſ. Matr.* verùm etiam reipſa quandoque ſine alia declaratione earum ceſſare obligationem poſſe.

XL. Animaduertendum eſt diligenter, AN Immunitates conceſſæ Eccleſiaſticis a Principibus non ſolùm ſint vbique receptæ, ſeu admiſſæ; Imperatores enim, ac Principes quidam potuerunt illas concedere tantùm pro ſuis ditionibus, adeoque Principes alij non tenerentur ad eaſdem pro ſuis; verùm etiam AN ſint conceſſæ e *Liberali quadam omnino pietate*, AN *Remunerationis cauſa*, AN *Oneroſo titulo*; ſicuti attendendum eſſe in materia Pontificiorum Priuilegiorum Doctores communiter cenſent; e quibus habetur, faciliùs eas tolli poſſe, quæ dūtaxat *liberaliter*, minùs facilè, quæ ex *remuneratorio*, difficillimè (niſi fiat ſaltem compenſatio) quæ *oneroſo* titulo ab Eccleſiaſticis obtentæ ſunt; atque ſicuti *R. P.* cenſetur poſſe priuilegia Principibus conceſſa quælibet (facta ſaltem compenſatione in oneroſis) quando inde Eccleſia grauia ſubiret incommoda, ac exceſſiua quoque remuneratoria, tollere; idem poſſe etiam Principes efficere in Exemptionibus a temporali iuriſdictione. E quibus patet *Primò*; ſi nunquam Principes conceſſerint aliquas Exemptiones Eccleſiaſticis, aut Eccleſiaſtici legitimè illas non præſcripſerint (Regalia autem dicuntur non poſſe præſcribi, ſicuti nec quæ ad ſupremam *R. P.* poteſtatem a Chriſto tributam attinent) non poſſe meritò a Scriptoribus, alijſque affirmari, ſi aliquam iuriſdictionem exerceant in Clericos, eorumque bona, id eos agere e Priuilegio Pontificio; neque enim ad illam eo indigent; imò potiùs eſt Principum Priuilegium, quod Eccleſiaſtici talibus fruantur exemptionibus; Erit quidem Pontificium Priuilegium, ſi quam habuerunt ſibi conceſſam, vel præſcriptam, illam iterum tribuant Principibus, Quæ pro ceſſatione Priuilegiorum Pontificiorum, de conditionibus tacitè incluſis in eorum conceſſione, aliaque ſimilia Theologi, & Canoni-

noniſtæ docent; proportionaliter accommodanda Priuilegijs, a Principibus Eccleſiaſtico ſtatui conceſſis: Neque in hoc Sanctiſſimi, ac Iuſtiſſimi R.P. (præ cæteris autem Iuſtitiæ cultores debent eſſe, ſicut & ipſi profitentur) diſſentient; neque enim Chriſtus, qui ampliſſimam illis in ſpiritualibus elargitus eſt poteſtatē, ampliſſimam, qua in temporalibus fruuntur Principes Supremi, Principibus abſtulit; ſic enim Euangelicam exteriorem diſciplinam reddidiſſet odioſam Principibus. Cautè igitur in hac materia Exemptionis in temporalibus agendum eſt ab Eccleſiaſticis cum Principibus; Quos magis quidem excitabit Eccleſiaſticorum probitas, & alienatio a terrenis curis, ac negociationibus ſæcularium conditioni congruis ad illibatas omninò illorum exemptiones conſeruandas, nouaſque etiam addendas, quam timor pœnarum &c. Sciunt illi, *Sacerdotes pro populo interpellare* (vt habetur 1.q.1.c.91.ex epiſt.2. Alex.Pontif.) *& peccata populi comedere, quia ſuis precibus, & oblationibus ea delent, atque conſumunt; qui quantò digniores fuerint, tantò faciliùs per neceſſitatibus pro quibus clamant, exaudiātur*, & piorum Sacerdotum, non impiorum, orationibus placari Deum irritatum contra Principes, populoſue 3.q.7.c.5. & 14.q.5.c.11. Vnde & Iuſtinian.init. Nou. *Quomodo oport.Epiſc. &c.* ait *nihil ſic debere ſtudioſum eſſe Imperatoribus, ſicuti Sacerdotum honeſtatem, cum vtique & pro illis ipſi ſemper Deo ſupplicent; quam illis obtinentibus*, ſubdit, *credimus quia per eam maxima nobis dona dabuntur a Deo, & ea, quæ ſunt, firma habebimus, & quæ nondum hactenus venerunt, acquiremus*; Quibus ſe conformauit poſtea S.Greg.ep.32. ad *Mauritium* Imp. ſic illum alloquens. *Quæ, Sereniſſime Domine, virtus humana, quodque carni robur brachij contra veſtri Chriſtianiſſimi culmen imperij irreligioſas præſumeret manus erigere, ſi ſtuderet concors Sacerdotum mens Redemptorem ſuum pro vobis, atque vt oportebat, meritis exorare?* Exploratiſſimum eſt Principibus, piorum preces Sacerdotum validiora eſſe contra aduerſarios Ciuitatum, ac Regnorum propugnacula, quam militarium copiarum; adeoque non poterunt non ab illis remouere quælibet Sacerdotes pios ab altari, ac precibus retrahentia; *neque enim apud altare Dei meretur nominari in Sacerdotum prece, qui ab altari Sacerdotes, & miniſtros voluerint*, aut volunt *auocare* 21.q.3.c.4.in fin. *Secundo*; cum *Vrban.*Papa 23. q.8.c.22. aſſerat, *Tributum in ore piſcis, piſcante Petro* (hoc c.v.26.) *inuentum eſt; quia de exterioribus ſuis, quæ palam cunctis apparent, Eccleſia tributum reddit: Non autem totum piſcem iuſſus eſt dare, ſed tantùm ſtaterem, qui in ore eius inuentus eſt; quia non Eccleſia dari Imperatori, non Pontificalis apex, qui in ore capitis Eccleſiæ præeminet, ſubijci poteſt Regibus; ſed ſanè, vt diximus, quod in ore piſcis inuenitur pro Petro, & Domino dari iubetur; quia de exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitus eſt, pro pace, & quiete, qua uos tueri, & defenſare debent, Imperatoribus perſoluendum eſt*: Si quid etiam alijs Principibus conſtitutum eſt pro tuendis, ac defendendis Eccleſiaſticis, eorumq. bonis, iuſtitia exegit, vt id illis omninò perſoluatur a quibuslibet Eccleſiaſticis, & ad id

cogan-

cogantur quoque a R.P. dum Principes stant conuentis; sicut & ipse tenetur seruare Concordata cum Principibus, Nationibus, & quælibet pacta cum alijs; *Fides* enim, idest *dictorum, conuentorumque constantia, & veritas, iustitiæ fundamẽtum est*, ex ipsomet Ethnico Oratore, ac Philosopho lib. I. de off. essetque fraus manifesta, vbi alter peregisset id, ad quod ex conuẽtione tenebatur, si P.R. renueret agere id, de quo conuenerat, excusans se ob tacitas quasdam mentis restrictiones subintellectas; esset enim *iniuria facta fraude*; huiusmodi autem fraus, *quasi vulpeculæ, alienissima ab homine, & odio digna maiore, quam si vi facta fuisset* instar leonis, censetur ab eodem. Æquitasne quoque ipsa patitur, vt Ecclesiastici nihil soluant pro stipendijs militum, qui colligendi sunt, & alendi, ad defendenda pariter bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum cæteroqui inuadenda ab hoste, licet hic foret Catholicus, vel etiam Ecclesiasticus, cuius milites non minùs essent ea bona, quam laicorum, deuastaturi? Si Ecclesiastici æquam renuant cõtributionem, poteruntne iustè conqueri, quod ad eam e suis ipsismet bonis cogantur? Ne spiritualem omnino iurisdictionem, quam primariò concessit Christus Petro, eiusq. successoribus, vsurpent sibi laici Principes, etiam cum vitæ ipsius discrimine, enitendum est R. P. Monendi, imò quandoque pœnis etiam spiritualibus puniendi, si verè temporali iurisdictione abutantur, iniustè certò laicos quoque subditos, ne dum Clericos, opprimentes &c.

Matth. 18. a v. 15.

XLI. DVM certus est R.P. aliquem e suis Consanguineis potissimè, vel affinibus, aut e domestica familia, & adhuc præsertim e Cardinalibus, ac Episcopis, quos *Fratres* suos appellat, in peccatum graue, etiam non scandalosum, fuisse lapsum, neque congrua illud emendasse pœnitentia; corripiat illum modis a Christo in Euangelio præscriptis, atque declaratis a SS. Patribus potiùs, quã explicatis a quibusdam Theologis. Cũ Correptio sit de naturali iure, ac de illa Christus omnibus planè præceptum dederit, posteaque Apostolus illud Episcopis peculiariter indixerit 1. Timoth. 5. vers. 20: & 2. c. 4. v. 2 in correctione tum *fraterna*, tum *iudiciali*, seruet præscripta circa vtramque sapienter a Trid. Conc. Patribus sess. 13. c. 1. sic enim Charitati erit conformis, nec iustitiæ difformis; Nam R.P. in hoc cæteris præire exemplo debet, ac pręsertim animarum Pastoribus, qui ex officio tenentur, iuxta Apostolum quoque, *subditorum omnium* vitia redarguere; & habetur clarè c. 24. de Accus. ac nouissimè e Trid. sess. 6. c. 3. sess. 13. c. 1. ac sess. 14. de Ref. in Proem. Ab Euangelica quidem correptione, etiam *Iudiciali*, quæ per se primò spectat ad R.P. nemo planè immunis est. Vnde Innoc. III. apertissimè ait *C. Nouit. de*

Iud. *nullus, qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad Officium nostrum spectet de quocumque peccato corripere quemlibet Christianum, &, si correptionem contempserit, per districtionem Ecclesiasticam coercere*; a qua correptione declarat haud Reges ipsos esse immunes, præcipuè cum *contra Pacem peccatur, quæ est vinculum charitatis*; præmisit autem scribens ad Prælatos per Galliam constitutos, *non putet aliquis, quod iurisdictionem Regis Francorum perturbare, aut minuere intendamus, cum ipse iurisdictionem nostram nec velit, nec debeat impedire*: Et hæc quidem iurisdictio, quæ est per districtionem Ecclesiasticam, spiritualis quidem est per se, ac simpliciter, quæ laicæ nulli personæ competit.

XLII. Etiam *R.P.* indignari non debet, si ab alijs fraternè, & submissè, licet efficaciter, corripiatur; est enim Correctionis præceptum, tum naturale, tum diuinum, ex *charitate* omnibus commune; e cuius violatione scripserunt doctissimi viri emanare maxima e parte improbitatem, quæ conspicitur in moribus, & Ecclesiasticorum, & laicorum. Tenetur autem inferior ad huiusmodi correptionem, quoties Superior publicè præsertim, & scandalosè peccat, ac peccare prosequitur, quamuis ille per se leuiter tantummodo peccaret. Sic S.Paulus, & non leuiter, corripuit S.Petrum, quamuis Pastorem suum (quem venialis tantùm peccati reum faciant communiter interpretes Gal.2.v.14. peccatumque hoc nonnulli censent fuisse scandali passiui) reponiturque in sacris Canonibus 2.q.7.c.33. vbi etiam e *S.Greg.* monentur subditi grauiter peccare, *si debitam Prælatis correptionem omittant, ac vituperabilem esse in hoc ipsorum humilitatem* C.*Sicut*, & C.*Admonendi* cap.46. & 57. qui & c.28. addit; *Vbi senior iuuenibus exemplum ad interitum præbet, ibi DISTRICTA increpatione feriendus est; nam scriptum est* (Esa.42. v.22.) *laqueus iuuenum omnes vos*; præmittens, cum Paulus dicit (1. Timoth. v. init.) *seniorem ne increpaueris, sed obsecra, vt Patrem*, hanc eius regulam in eo seruandam, *cum culpa senioris exemplo suo non trahit ad interitum corda iuniorum*. Patet autem exemplo Pauli, si peccata Prælatorum sint publica, dum priuata correptio non satis est, vel admittenda non est, publicè etiam corripienda; vt docent communiter Theologi ad 22. q.33. art.4. vbi etiam Bagn. inquit, *summopere aduertendum esse cum CAIET. hoc in loco, quod in duobus casibus licitum est Prælatum PVBLICE reprehendere, videlicet, quando Prælatus erraret in fide, doceretque alios errorem suum, & etiam quando NOTABILITER SVIS MORIBVS POPVLVM SCANDALIZAT; tunc enim publicè destruit Charitatem, vnde publicè corrigendus est, quoniam huiusmodi correctio regulariter loquendo potest prodesse populo, & nihil obesse*. Et CAIET. quidem ibi loquitur clarè de Papa; aitque, ad *hoc teneri Principes, tam Ecclesiæ, quàm orbis, cùm Papa SCANDALIZAT Ecclesiam, & reuerenter ad partem admonitus non resipisceret; probabile namq. est, quod verebitur Principes palam arguentes, quamuis subditorum salutem contemnat, & si ipse non fiat bonus, saltem alios non scandalizabit; Multò enim magis ad hoc tenentur, qui possunt opem ferre, quam ad eruendum eos,*

qui

qui ducuntur ad mortem corporalem ; debent enim opponere se murum ex aduerso pro domo Israel ; videntes enim fratres suos indigere, & claudentes viscera suæ misericordiæ cum effectu ab eis , quo modo charitatem Dei habent ? Cum autem subditi teneantur strictiùs ad correptionem Prælatorum , quam aliorum quorumcumq. vt pluribus docet *Dom. Sot.* in Relect. de Rat. Teg. & Deteg. Secr. memb. 2. q. 3. conclus. 5. Nam 1. *quisque tenetur magis occurrere malo communi, quam priuato;* at Prælatorum peccata vergunt in perniciem publicam, vt ait Greg. c. 46. allato ; qui & p. 3. Past. c. 5. ait, *Scire Prælati debent* (refert hæc verba Nicol. Papa in Epist. ad Lotharium Regem 11. q. 3. c. 3.) *quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt , quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt .* 2. *subditi propensiùs tenentur diligere Prælatos*, quoad spiritualia, quam Patres ipsosmet naturales : At præceptum correctionis fraternæ est charitatis præceptum . 3. *Prælati e S. Aug. in Reg. cap. 43. quantò in loco superiori, tantò in periculo maiori versantur .* Ergo quiuis illorum periculo magis , quam aliorum, occurrere debet . 4. *Inde grauiùs Prælati indigent correptione*, quòd rarissimi sunt, qui Prælatos corripiant : *Nam alij VERECVNDIA , alij TIMORE , alij AMBITIONE gratiæ comparandæ apud Prælatos, ab eorum correptione semet retrahunt ; quæ iniquissima conditio, & sors infelicissima est Prælatorum, & Principum* (subdit *Sot.* qui consultiùs esse suæ saluti duxit subtrahere se muneri confessiones excipiendi *Caroli V.* Imperatoris) *atque adeò , quantò sunt in sublimiori gradu* (atque hac de causa periculosiori) *tantò sunt hoc beneficio potiùs priuati ;* An non propter has rationes , quæ multò magis profectò vrgent in Pontifice, subditi tenentur ad R.P. correctionem , cum actiones exercent valde scandalosas apud Catholicos , & de quibus fama valde improba dimanat apud hæreticos, ac infideles ? Et ad quidem 1. tenentur Cardinales . 2. Episcopi . 3. Principes laici . 4. quilibet sperans suam correctionem profuturam, maximè cum alij, & præsertim qui ad id tenentur, eam præterirent . Quis autem non censuerit ad hanc fraternam correctionem in primis teneri Cardinales , qui appellantur ab ipsomet *R.P. fratres* , eiusque corporis membra sunt ? Hinc Basil. Patr. sess. 23. *Si quando Papam (quod absit) negligentem, aut remissum, seu agentem, quæ statum illius non decent, ipsi Cardinales inspexerint, filiali reuerentia, & charitate, tanquam Patrem obsecrent, vt officio pastorali, honorique, ac debito suo satisfaciat : Et primò quidem aliquis, vel aliqui de ipsis per se, deinde si se non corrigat , omnes collegialiter, accersitis quibusdam notabilibus Prælatis, prædicentes, quod si non abstinuerit, proximo Generali Concilio* (iuxta eorum sententiã de sup. Cõc.) *deferent ; nec pro salute ipsius Summi Pontificis, & bono publico, eius odiũ, vel aliud quidpiam timeant, dum tamen reuerẽter, & charitatiuè id agant:* Quibus prudenter illa subiunxerunt . *Multò magis, si quem ex Cardinalibus perperam, seu reprehensione dignum facientem Papa cognouerit , paterna semper charitate , & iuxta doctrinam Euangelicam corrigat , vt sic alter in alterum, pater in filios, filij in patrem charitatis opera exercentes ,*

Eccle-

Ecclesiam Dei exemplari, ac salubri moderamine gubernent; Atque post nonnulla de bonis Ecclesiasticis a Cardinalibus vltra necessitatem in carnem, & sanguinem non effundendis; *Cum tales sic ambulare in magnis Pontifex inspexerit, arguat, atque obuiet; neque enim culpæ erit expers, si iuxta officium suum corrigenda non corrigat*. Idem pariter efficere debent Cardinales, si inspexerint *R. P.* bona Ecclesiastica *vltra necessitatem effundentem in carnem, & sanguinem*; quos etiam supra statuerant ijdem Basil. si vellet *R.P.* aliquem consanguineum, vel affinem suum vsque ad tertium gradum creare Ducem, Marchionem &c. vel præficere alicui loco R.E. &c. *nequaquam ei assentiri*, addentes, *& succedens Pontifex aliter facta prorsus retractet, & reuocet*. Verùm sapienter omninò *Franc. Turr.* defensor in tribus libris Summi Pontificis supra Concilia Auctoritatis acerrimus, vbi lib. 3. soluens obiectionem de Papa scandalizante Ecclesiam inter cætera scripsit, *debere Episcopos in primis cum omni reuerentia obsecrare Pontificem*, vt a talibus abstineat actionibus, subdit; *Hæc si non proderunt, debent, vt arbitror, Episcopi, ac præsertim Cardinales, quos ad sustinendum onus ex senioribus Ecclesiæ Pōtifex deligere, & adiungere sibi solitus est, in peccatis publicis ei resistere in faciem, idest, publicè in conuentu, & congregatione multorum, exemplo Pauli, qui se narrat, cum Petrus Antiochiam venisset, in faciem ei restitisse, idest, publicè &c. Si ergo Paulus in faciem restitit Petro in eo, quod fiebat innocenter, & absque peccato, quodque erat tantum apud homines reprehensibile, exemplum profectò reliquisse mihi videtur, vt in eo, quod apud apud Deum, & homines vituperabile est, & iniquum, omnino non taceant, ad quos hoc pertinet, quin publicè resistant Pontifici: Præstat enim mori, quàm officium hoc fraternæ reprehēsionis, ac repugnantiæ deserere*; Bonum est (*inquit Apostolus*) mihi magis mori, quam vt gloriam meam quis euacuet: *Et si hoc (vt Magnus Basilius interpretatur) verum etiam in ijs est, quæ liberè vnicuique licet omittere; quantò ergò magis in ijs, de quibus præceptum est? Cui officio si defuerint Cardinales, ad quos in primis hoc spectat, reddent rationem in die Domini, qui* si hominibus placuerint, Christi serui non erunt, *sicut de se Apostolus testatus est; qui etiam dixit*, non fuimus in sermone adulationis, sicut ipsi scitis, neque in occasionem auaritiæ; *Et Esais in adulatores clamat, in quorum numero est, qui tacendo dissimulat, quod non debet, idque ne displiceat*, qui vos beatos dicunt (inquit) ipsi vos decipiunt, & viam pedum vestrorum dissipant; qui autem dissipat vos, ipse iudicium portabit, quicumque ille est; & *Dauid*, Dominus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent: Atque infra, postquam habuit, singulari iudicio, studio, & testimonio assumendos Cardinales a Pontifice, *qui scilicet sint instar pluuiæ serotinæ, vtiles tum Pontifici, tum Ecclesiæ, ac ipsi horum præsidio freti fructus bonorum operum percipiamus ex rectis iudicijs, doctrina, gubernatione, & honesta vita Pontificis, non autem qui sint instar grandinis noxij, neque instar nebulæ cæci, errantes, & in errorem mittentes, neque instar venti mobiles*, inter cætera, quæ de eorum officio, & munere elegantissimè inquit scri-

pisse

psisse *B.Bern.* lib.4.de Consid. ad *Eug.* hæc specialiter describit; *Item, vt si Pontifex vellet, aliquatenus deuiare, non sinerent; frænarent præcipitem; dormitantem suscitarent; quorum reuerentia, & libertas extollentem se reprimeret, excedentem corriperet; quorum constantia, & fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem; quorum fides, & sanctitas ad quæque sancta, ad quæque honesta, ad quæque pudica, ad quæque amabilia, & bonæ famæ prouocaret &c.* Quamobrem ex officio, adeoque ex iustitia videntur teneri Cardinales ad fraternã R.P. correctionem; adeoque per se ad reparationem damnorum, quæ ex omissione Correptionis debitæ sequerentur in Ecclesia. Solùm enimuerò non tenerentur, quando existimarent prorsus obfuturam potiùs correctionem, nullaue esset spes emendationis saltem futuræ; nam si certi sint non obfuturam, vel arbitrentur postea profuturam, vel aliquam non leuem, licet non omnimodam, emendationem futuram, tenentur ad correctionem; ac licet cum R.P. versaretur in periculo mortem obeundi in statu peccati mortalis iuxta aliquorũ (nam alij, & celebres, Doctores repugnant) sententiam non tenerentur illum corrigere cum proprio vitę periculo; nemo tamen negare potest, quin aliqua etiam, nec leuia incommoda, subire teneantur, citra hanc extremam, quam vocant, necessitatem, ex profutura R. P. correptione; damna enim vniuersalis Ecclesiæ præferenda ab illis sunt proprijs; iurant siquidem, ait *Card.Turrecr.* init.c.80. lib.1. de Eccl. cum publicè & solemniter pileo rubeo insigniuntur a R. P. de illi assistentia fideli in regimine Vniuersalis Ecclesiæ. Vix autem est probabile, si Cardinales primò humiliter, ac fraternè R.P. corrigerent, & per alios curarent *notabiles Prælatos, & Dominos, & viros religiosos dulciter admoneri, exhortari, & obsecrare, vt dignaretur vitam suã corrigere, & (vt tenetur) sic viuere, vt eius vita sit exemplum sanctitatis*; & post orationem ad Deum, si hæc non iuuarent, resisterent ei in faciem, *mala eius opera exprobrando*, vt inquit idem *Turr.* lib.2. c.106. ac *rationibus conuincendo*, ac se opponendo scandalis &c. Quod R.P. non se emendaret magna saltem ex parte. Fatendum sincerè; mala R.P. non raro exempla oriri ex eo quòd non *lectissimi* eligantur Cardinales, & nullatenus attendatur ad Bullam *Sixti V.* (non dicitur, ad Basileense Concilium, non ad S.Bern.) qualitates promouendorum explicantem; nam hi nec timore, nec amore, nec cupiditate tenerentur, quò minus admonerent, & in faciem deinde resisterent R.P. Ecclesiam scandalizãti &c. Atque hæc est forsan saltem e præcipuis causa, e qua R. P. sæpissimè homines mediocris pietasis, ac doctrinæ a multis annis Vaticana donent purpura. *Principes* quoque, licet possint interdum, & grauiter peccare, vtpote Ecclesiæ tutores, ac defensores sess. 25. Trid. c.20. non submissè prius R.P. monendo, & corripiendo, ac deinde in faciem eis resistendo &c. neque enim permittere debent, vt Catholici populi prauis inficiantur moribus e prauis maximè R.P. moribus, & vt Christiana, Catholicaque Religio, cuius sunt alumni, ac sectatores primarij, malè audiat apud gentiles, ac hæreticos; minùs tamen peccant,

quam Cardinales, alijque Prælati, quia non adeò internàm coniunctionem habent cum R.P.atq. in sæculari Republica gerenda ipsi maximè occupati sunt &c. Non excusantur tamen illi, qui cum putarent suam admonitionem profuturam, & maximè si indicarent, se operā daturos, vt tāndem illa remedia adhiberentur, quæ ipsimet R.E.studiosi Doctores in casu scandalizantis notabiliter Ecclesiā R.P.tradūt adhiberi posse a Catholicis, eam prętermitterent; & adhuc se nō corrigente R.P. inciperent id moliri. *Peccabunt certè Principes primarij*, qui sunt pariter primarij Ecclesiæ patroni, nec leuiter, si e priuatis quibusdam causis, aliqua obtinendi temporalia, nominandi ad Episcopatus, Cardinalatum &c. ab illorum congrua correctione omninò abstineant. Quid, quæso, potest esse perniciosius Ecclesiæ, quam si illi præsit R.P. quem grauiter delinquentem nemo velit, vel audeat corripere? Audiatur *S.Gregor.* c.2.p.1.Past. & legitur d.83.c.2. *Nemo quippe in Ecclesia nocet ampliùs, quàm qui peruersè agens Nomen, vel Ordinem sanctitatis habet* (R.P. habet nomen *Sanctissimi* quoque, eiusque Ordo *Sanctissimus* quoque nuncupatur; est enim eius dignitas semper sanctissima, licet ipse foret improbissimus) *Delinquentem namq. hunc nemo redarguere præsumit; & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia Ordinis peccator honoratur*. Vniuersum hoc, & quasi læthale malum oritur maxima e parte saltem a timore incusso sinceris hominibus, ac odij signis in illos exhibitis, & amore, quo R.P. prosequuntur non raró adulatores; quos mirum est non secernere ab amicis, quando & *Cicero* Lib.de Amic.ait, eos tam *internosci posse, adhibita diligentia, quàm omnia fucata, & simulata a sinceris, atq. veris*, & ipsemet *Plutarchus* Ethnicus plura ad id tradiderit documenta in Commentario, *Quomodo possit adulator ab amico internosci:* Illi profectò sunt, qui R.P. dissuadent mores Euangelicæ, & Apostolicæ, atque SS.Patrum doctrinæ, nec non Sacrorum Canonum disciplinæ, & Sanctissimorum re ipsa Pontificum moribus difformes; quiq. si eos prosequi velint, *Absit, inquiunt* (verba sunt *S.Bern.* lib.4. de Consid.) *non decet, tempori non congruit, Maiestati non conuenit, quam geras personam attendito*; vel simul addunt, *Sanitati non consulis, tuæ familiæ honori non prospicis; doctrina illæ, moresq. illi nascenti Ecclesiæ opportunissimi erant; ac præterea benigniores complurium Theologorum interpretationes admittunt: Nonne Tu es supra omne positiuum Ius? Nonne Tu Iurium etiam Diuinorum legitimus Interpres? &c.* Hi, qui hæc, & similia carni, & sanguini arridentia loquuntur, sunt fideles amici; hi beneficijs fouendi; horum sensus promouendi muneribus, officijs, dignitatibus, priuilegijs, &c. Vt inimici ab Vrbe repellendi, (& quidam e speciosis titulis a Curia dimittendi) in insulas deportandi, in honore, fama, re familiari, & quandoque etiam vita, vbicumque sint, incommodis afficiendi, qui publicos quoque mores prauos R.P. & quibus vniuersalis Ecclesia scandalizatur, ea, quæ conceditur a Doctoribus Ecclesię etiā Romanæ addictissimis, ratione, arguit; sperans hinc, Diuina ope, aliquam in R.P. subsecuturam emendationem,

nem, Dominico Gregi valde ſalubrem, & ipſius animæ ſaluti ſummopere proficuam. Semper ſint R. P. in huiuſmodi homines propenſi (poſſunt enim ſæpiſſimè ignorare, quam grauiter ipſorum actiones offendant populos, ex eo quòd nemo e ſuis vel Conſanguineis, vel Familiaribus, vel Curialibus, etiam Cardinalibus, audeat eas indicare corrigendas &c.) ac breuì Romana Curia, adeoque Chriſtiana Reſpublica vniuerſa magis Euangelicam amplectetur diſciplinam. Memor ſit R. P. *Adulationem ſequi omnem Principatum, vt vmbra corpus*, ſed maximè nunc Romanum; nec non illam *eſſe perpetuum malum Regum, quorum opes ſæpiùs aſſentatio, quam hoſtis*, teſte Curtio lib. 8. *Euertit*; adeoq. imitetur Dauid Regem illa de ſe Pſ. 140. v. 5. pronunciantem, *Corripiet me iuſtus in miſericordia, & increpabit me; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum*. Vbi Aug. *Emendari ſe vult miſericorditer potiùs, quam laudari fallaciter. Emendabit me iuſtus in miſericordia, ſi iuſtus eſt, ſi miſericors eſt, quoniam me videt peccantem. Arguet me, ſed in miſericordia, arguit, ſed non odit, & eò magis arguit, quia non odit. Non creſcit caput meum de adulatione. Falſa laus adulatio eſt: Falſa laus adulatoris, hoc eſt oleum peccatoris. Patior adulatores, non ceſſant perſtrepere, non inde impinguet caput tuum oleum peccatoris, ideſt noli gaudere ad talia, noli annuere, noli conſentire, noli inde gratulari; & ſi ille attulit oleū adulationis, ſed caput tuum integrum manſit, non inflatum eſt, non tumuit; Si enim inflatum fuerit, & tumuerit, facit pondus, & præcipitabit te*. Qui & ep. 147. ad Procul. Epiſc. conquerentem, quod neſcio quid Euodius contumelioſè reſponderit, inquit. *Quæſo te, ne illam contumeliam putes, quam certum mihi eſt non de ſuperbo animo proceſſiſſe; noui enim fratrem meum, ſed ſi quid in diſputando pro fide ſua, & Eccleſiæ charitate dixit fortaſſe feruentiùs, quàm tua grauitas nollet audire, non illa contumacia, ſed fiducia nominanda eſt; collatorem enim, & diſputatorem, non aſſentatorem, & adulatorem ſe eſſe cupiebat; nam hoc eſt oleum peccatoris, quo Propheta non vult impinguari caput; Mauult enim SEVERA miſericordia iuſti emēdari, quam leni adulationis vnctione laudari; vnde etiam illud Propheticum eſt (Eſa. 3. v. 12.) Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt: Ideoque de homine, quem falſæ blanditiæ faciunt arrogantem, rectè etiam vulgò dicitur, Creuit caput; impinguatum eſt enim oleo peccatoris, hoc eſt, non ASPERA VERITATE CORRIGENTIS, ſed leni falſitate laudentis*; Et poſt pauca; *Iuſtus eſt ille, qui dixit (Ioan. 14. v. 6.) Ego ſum veritas: Itaq. de cuiuslibet ore hominis verum cum aliqua aſperitate ſonuerit, non ab illo homine, qui fortè peccator eſt, ſed ab ipſa veritate, hoc eſt à Chriſto, qui iuſtus eſt, emendamur, ne noſtrum caput blandæ, ſed pernicioſæ adulationis vnctio, hoc eſt oleum peccatoris, impinguet. Quamquam etiam ſi frater Euodius aliquantum pro ſuæ Communionis defenſione turbatior, aliquid elatius animo commotiore dixiſſet, ætati hominis, & neceſſitatis cauſas te oporteret ignoſcere*. At quibuſnam oleo peccatoris impinguari caput ſuum, ſeu adulatio magis arridet? *His, qui non tam præditi virtute eſſe, quàm videri volunt*, inquit Ethnicus Cicero in lib. de

Amic. ſubdens; *Hos delectat aſſentatio, his fictus ad eorum voluntatem ſermo cum adhibetur, orationem illam vanam teſtimonium eſſe laudum ſuarum putant*. Et cum ibi enunciet, *nullam in amicitijs eſſe peſtem maiorem, quam adulationem, blanditias, & aſſentationem*; addatq. S. Aug. ad Pſ. 69. v. 4. Auertantur ſtatim erubeſcentes, qui dicunt mihi, euge, euge, *Duo ſunt genera perſecutorum, vituperantium, & adulantium; Plus perſequitur lingua adulatoris, quàm manus interfectoris*; Certaque omnino Diuina illa ſint oracula Prou. c. 27. v. 5. & 6. *Melior eſt manifeſta correptio, quam amor abſconditus: Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis*; Cur non tanquam peſtiferos, ac perſecutores eorum, quibus blandiuntur (& minus quidem ſapientem, ac prudẽtem ſemet oſtenderet R. P. qui aſſentatores *callidos, & occultos* non agnoſceret; *nam apertos nemo non videt, niſi qui admodum eſt excors*, vt Cic. ibid. ſubiungit) remoueant a ſuo conſpectu R. P. non vetent horum libros, qui falſas prorſus de ſe laudes narrant &c. veridicoſque correptores in Curiam, Aulamque Pontificiam accerſant, vel abſentes Eccleſiaſticis reditibus nonnullis munerent, vel ſaltem præferant, haud ſibi ingratam fuiſſe correptionem? Caueat autem R. P. ne vnquam exiſtimet: *VEL ſe nulla indigere correptione*; nam id dilucidum eſſet ſuperbiſſimi prorſus animi argumentum, ſimulque in ſuis defectibus pertinaciſſimi, præter experientiam nulli non notam: *VEL correptionem a maleuolo ortam animo*; nam temerè prorſus id ſuſpicabitur, ſi a Catholico homine, & qui cætera profitetur apertiſſimè, non propter defectus etiam graues, qui conſpicerentur in R. P. debitam illis venerationem, & obedientiam prorſus ſubtrahendam e Chriſti ipſius præcepto, illa adhibeatur; correptio enim eſt ipſius, vt peccatoris, non vt hominis quoque, iuxta doctrinam *S. Aug.* receptam 23. q. 4. C. *Duo iſta*; & attendendum, an veri defectus narrentur, non verò a quibus narrentur (maximè cum non ex hoſtili animo ortam eſſe narrationem certum eſt) illique emendandi; præterquam *Plutarcus* ipſe libellum edidit de *Vtilitate ex hoſtibus capienda*: Niſi de animo hoſtili aliunde conſtet omninò manifeſtè, ab amico verè fideliſſimo, & qui ſuæ ſalutis, imò etiam immortalis in hac vita famæ ſtudioſiſſimus ſit, profectam eſſe, ſapiens R. P. arbitrabitur; vera ſiquidẽ amicitia, & multo magis Chriſtiana, optat, imò ſatagit, vt amicus eas aſſequatur virtutes, maximè Morales, quibus caret, & repellat a ſe vitia, quæ illum ipſimet Deo inuiſum reddunt, eiuſque famam apud homines ignominioſam reddunt: *VEL eſſe nimis aſperam*: Nam hunc ſenſum deponet, dum animaduerterit 1. *Hanc aſperitatem non eſſe contra perſonas R. P. ſed in vitia, vt contra conquerentes aliquos de ſua aſperitate in reprehẽſionibus dixit iam S. Chriſ. Orat. de S. Phoca. 2. Correptor eſt inſtar medici, qui, niſi imperitus ſit, non debet tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectare, ſed aperire vulnus, & ſecare, licet vociferetur, clamet, & conqueratur æger, vt eleganter ſcribit S. Cypr. n. 56. in ſerm. de lapſis, poſtea S. Hierony. epiſt. 147. ac Ennodius in fin. Apol. 3. ſi ante Deum perpenderit R. P. ſuorum qualitatem*

deſe-

defectuum, censebit facilè acriori se etiam correctione dignum. 4. *Hanc asperitatem æquo ferat animo, vtilitatemque ex ea sibi quærens longè asperiorem Christi correptionem in primo, extremoque iudicio euitabit.* 5. *Ne ostendat se similem vicerosis equis, qui vel strigili audita altutum concitantur, vt scriptum reliquit Lud. Viuiib.* 2 *de Trad. Discipl.* 6. *Haud reprehenderunt R. P. asperitatem, & acerbitatem sanè ingentem in Saluiano in lib. de Prouidentia, & ad Ecclesiam Timothei nomine, in S. Bernardo, quem sæpissimè, & acerrimè in mores inuexisse quorumcumque Ecclesiasticorum, etiam primatiorum, ac Romanæ Curiæ illius libri cuilibet obuij indicant; in Ioanne Gersone in Tract. peculiariter, Declaratio compendiosa defectuum Virorum Ecclesiasticorum; in Aluaro Pelagio in opere de Planctu Ecclesiæ &c. cū tamen complures ex illis defectibus notarentur in R. P. eorumq. indulgentiæ in Pastorali cura essent plerique ascribendi.* 7. *Perpendat secum, se forsan iudiciali correptione vsum fuisse cum aliquibus seueriori, quā par erat, & non discussa satis causa, vel ad vltionem &c. hancque fraternam libenter suscipiat in pœnam illarum longissimè acerbiorum.* 8. *Cum frequentissimas libentissimè exceperit adulationes suæ perniciosas saluti, ac famæ; an non æquum, vt libenter pariter audiat nonnullas correptiones opportunas, vel etiam necessarias, vt immortalium adeat sedem, & apud mortales præclaram existimationem, dignamque R. P. consequatur?*

XLIII. Cum quilibet Prælati ex iustitia, vt non solùm Superiores, sed & Patres spirituales, teneantur corrigere peccata sibi subditorum, atque vt illa habeant nota, debeant quosdam fideles, ac prudentes viros constituere, qui sibi hæc crimina denuncient (neque enim possunt esse vbique) & ad rectam muneris sui administrationem iure fruantur certo inquirendi vniuersim, *AN leges Diuinæ, ac Humanæ, siue Canonicæ generaliter obligantes, seu etiam receptæ particulares suæ Diæcesis seruentur; & AN quis earum violator sit*; ac singillatim, *AN hæc, vel illa lex seruetur, AN talis, ac talis illam seruet; QVINAM sint talis, ac talis mores*; ac præterea cum proprio vitæ discrimine in graui necessitate proximi teneantur subditos corripere, si probabilis sit emēdationis spes; sollicitudo enim pastoralis, quam susceperunt, exigit, vt etiam cum vitæ ipsius discrimine adhibeant, quam moralem queunt, diligentiā, ad vitanda in sibi subditis peccata, tum publica, tum occulta, maximè cum hinc constituti super alios consequantur reuerentiam, honorem, aliaque temporalia commoda: Quis non censuerit, hisce obligationibus teneri in primis respectu totius Dominici Gregis eorum Pastorem supremum, Patremque omnium fidelium spiritualem; adeoque *INQVIRENDI* in cunctis Catholici Orbis partibus, *AN leges Diuinæ, & Ecclesiasticæ vbique admissæ vigeant; AN in tali Regno, Prouincia, Ciuitate &c. aliquarum, quæ maioris ponderis existimantur, obseruantia appareat; AN tales, ac tales homines, seu talia hominum genera Christianos mores exhibeant &c.* atque vt id exploratum habeat, adhibere viros omni exceptione maiores in sinceritate, ac maximè Deum timentes, non rigidos tamen aliorum censores, ac imprudenti zelo succensos,

aliorum

aliorum reformationis cupidos, qua tamen ipsi egerent maximè, a detractionis, & susurrationis vitio immunes? Sic cum Concil. Later. Patrib. decreuit *Innoc. III.* c. *Sicut olim* de Accus. vt *Metropolitani per singulas Diœceses statuerent personas idoneas, prouidas videlicet, & honestas, quæ per totum annum simpliciter, & de plano absque vlla iurisdictione inuestigarent, quæ correctione, vel reformatione essent digna, & ea fideliter perferrent ad Metropolitanos, & Suffraganeos, & alios in Concilio subsequenti, vt super his, & alijs, prout vtilitati, & honestati congrueret, prouida deliberatione procederent, & quæ statuerent, facerent obseruari &c.* Hos R.P. iubeat in primis explorare crimina Ecclesiasticorum, Regulariũ, Parochorum, ac præ cæteris Episcoporum (vt omittantur Cardinales, quorum mores, cum sunt in Curia, facillimè possunt sibi esse noti) quæ sanè animaduersa diligenter a suis Nuncijs, & magis indagata, quam Principum sæcularium secreta, aut spectantia ad Ciuilem gubernationem, sunt magis præ istis procul dubio R. P. si id velit, significanda: Hæc autem si summoperè sint vniuerso fidelium gregi noxia, vt euitẽtur, nemo dubitabit, quin summam Summus Pontifex teneatur conferre diligentiam, & quandoque debeat, vt aliqua, vel aliquos corrigat, tanquam *bonus Pastor dare animam suam pro ouibus suis*. Contingere autem potest non raró, vt R.P. non corripiant laicos, ac præsertim primarios, licet interdum correptione dignos; *vel quia* ipsi dissimulent in Cardinalibus, Episcopis, alijsue primarijs Ecclesiasticis multorum correctionem; *vel quia* ipsimet nonnullis, nec leuibus, vitijs inficiantur, ac interdum illis, quæ corrigenda forent omnino in alijs. Hinc illa prudentissimè Trid. Concil. Patres in Proem. Decr. de Reform. sess. 14. *Cum propriè Episcoporum munus sit, subditorum omnium vitia redarguere, hoc illis præcipuè cauendum erit, ne Clerici, præsertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neue inhonestam vitam, ipsis conniuentibus, ducant; nam si eos prauis, & corruptis moribus esse permittant, quo pacto laicos de ipsorum vitijs redarguent; qui vno ab eis sermone conuinci possint, quod Clericos ipsis patiantur esse deteriores; qua etiam libertate laicos corripere poterunt Sacerdotes, cum tacitè sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse, quæ corripiunt?* Si autem Prælatus, siue animarum quilibet curam habens tenetur se ipsum emendare, seu corrigere saltem exteriùs, si hoc cẽsetur medium efficax ad necessariam sibi subditorum correctionem, qui secus illam paruipenderent; Quidni, cum tot, & grauissima conspiciantur in Catholicis ipsismet vitia, teneatur saltem exteriùs se irreprehensibilem pro viribus exhibere R.P. vt sit idoneus omnium Corrector? *Verùm* caueat, ne leuiter corrigat, quicumque sint, grauiter delinquentes, ac medicinam imbecilliorem afferat ad morbi sanitatem; memor Innoc. III. c. 31. de Sim. sic scripsisse. *Licet Heli summus Sacerdos in se bonus existeret* (qui *sanctus* etiam fuisse dicitur d. 37. c. 5. in fin.) *quia tamen filiorum excessus efficaciter non corripuit, & in se pariter, & in ipsis animaduersionis diuinæ vindictam excepit; dum filijs eius in bello peremptis ipse de sella corruens fractis ceruicibus expirauit. Ad corrigen-*

rigendos igitur subditorum excessus tantò diligentiùs debet Prælatus assurgere, quantò damnabiliùs eorum offensas desereret incorrectas &c. At efficaciter nob corripiet alios, ac primores præsertim delinquentes, qui non efficaciter corripuerit R.P. consanguineos suos, aulicos suos &c. pariter delinquentes.

XLIV. Quamuis aliqui iniuriam intulerint R.P. siue illum alia ratione offenderint, tenetur ipse iram, & odium ex animo dimittere, etsi veniam non petant, qui in ipsum peccassent, & hoc semper, licet millies, ac millies ab ijs fuisset læsus, & hoc iuxta *Christi*, cuius est Vicarius, præceptum peculiariter indictum *S.Petro*, cuius est successor, vt habetur hoc in loco, animaduertitque etiam *Nicol.I.* in resp.49. ad *Consul. Bulgar.* vbi pariter monet idem efficiendum a Rege circa illos quoque, qui ad occidendum ipsum insurrexissent: Imò cum sit in summæ omnium perfectionis statu, maximè si veniam hi fuerint deprecati, debet illis benefacere, & singularia amoris signa illis ostendere, vt Christi se conformet, & consilio Matth.5.v.4. & exemplo, qui *pro inimicis etiam suis animam posuit* Rom.5. v.7.8. ac 1.Petr.3. v.18. ac ipsius consimiliter Dei, cuius vicem se gerere in terris ipsismet Pontifices affirmant c.3.de Transl. *qui solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super iustos, & iniustos* Matth.5. v.45. Nec non præterea R.P. tenetur vltro quærere illorum amicitiam, qui verbis, vel factis semet ipsi infensos declarassent; talis enim perfectio a non paucis dicitur vnà cum *Chrysost.* seu *Auct.Op.Imperf.* Hom 11.in Matth.præscribi a Christo eod.c.5. v.23. Certè hoc saltem est Consilium circa Caritatem, quam ante cæteras virtutes pluribus commendauit Christus Apostolis, adeoque in primis S.Petro Ioan.13. v.34. c.15.v.12. voluitque esse notam discipulos suos ab alijs secernentem Ioan.13. v.35. quod executioni mandare potissimum est R.P Est autem distinguendum cum *Glos.*in C.*Salonitanæ* d.63. verb. *Relaxaui*, & 2.q.7. C.*Si quis erga* verb. *Priuetur*, inter iniuriam, quæ fieret R.P. vt Pontifici, ac Vicario Christi, & eam, quæ non fieret illi, vt tali, seù quæ fieret personam, non gradum Pontificis tangens; nam si hanc punire velit, *nihil se ostendit de cælestibus cogitare, sed terrenam se conuersationem habere significat*, vt clarè traditur 23.q.4. C.*Inter querelas* e S.Greg. ad Ianuar.Episc.lib.2.ep.34. cum tamen in Homilijs, vt habetur c.seq. C.*Si is*, ea, quæ in Deum committuntur, *nisi cum magna discretione, nec sine pænitentia*, velit relaxari. Et vtinam nunquam verum sit, in Ecclesiasticis nominatim, illud *S. Hieronymi* effatum, *Nos in Dei iniurias benigni sumus, in nostris contumelijs odia exercemus*, seu experientia comprobetur; puniri grauiùs violãtes leges Ecclesiasticas positiuas, quam leges Diuinas, ac naturales; studium amplius impendi circa obseruantiam legum plurium positiuarum, quam Diuinarum, ac Naturalium, idque ac illis præcipue, qui eas tulerunt, eamque non raró dissimulari in illis, non verò in istis; atque si quis conqueratur, ac meritò, vel de malo regimine, vel de quibusdam verè scandalosis actionibus, aut has vituperet, etsi omnibus notissimas, ira vehe-

vehemens in animo excitata nũquam ſedetur, donec grauis vltio ſumpta fuerit; blaſphemiæ autem in Deum, B.V. ac Sanctos, Simoniæ, Iniuſtitiæ, Calumniæ, ſimiliaque ad Dei cultum, proximique dilectionem pertinentia delicta, vel non corrigantur, aut leuiter ad ſummum; nec non ſi Romani Curiales, vel R.P. paululum honori ſuo, vel emolumentis ſuis detractum fuiſſe a nonnullis arbitrentur, nihil non meditentur, & agant, vt illi, vbicumque fuerint, vltionem experiantur, non ſolliciti de Diuino honore, qui potiſſimè in illius mandatorum cuſtodia ſitus eſt. Vtinam quoque illa Iſid. Peluſ. lib.3. ep. 394. noſtro hoc etiam æuo nuſquam vera ſint. *Cum a quibuſdam conuitijs impeti videntur, ſtatim Apoſtolicam dignitatem proferunt, non enim nos, inquiunt, ſed Epiſcopatum, contumelia affecit: Cum autem aliquid eorum, quæ officij ſunt, agendum eſt, non ampliùs hoc proferunt; proinde atque hoc ipſis liceat, honori haberi, vt Apoſtoli, non autem facere, vt Apoſtoli.* Quibus affinia ſunt illa priùs prolata ab *Auct.Op.Imp.* Hom. 44. in c.23. Matth. *Ecce enim Epiſcopus, ſi debitum honoris non acceperit a Presbytero, vel Presbyter, ſi non receperit a Diacono, aut Diaconus a Lectore, iraſcitur, & turbatur; ſi autem viderit, aut Epiſcopus Presbyterum, aut Presbyter Diaconum circa Eccleſiæ obſequium non permanentem, aut aliàs peccantem in Deum, neque iraſcitur ei, neque curat; quia omnes quidem de HONORE SVO ſolliciti ſunt; de HONORE autem DEI nullus: Et portiones quiſq. ſuas ſecundum dignitatem ſuam diligenter aſpiciunt, & defendunt; & ſecundum dignitatem ſuam curam impendere circa obſequium Eccleſiæ non attendunt; ſi populus decimas non obtulerit, murmurant omnes; & ſi peccantem populum viderint, nemo murmurat contra eos:* Atque poſterioribus ſæculis illa S.Bern. lib.4. de Conſid. ad Eug. *Vide omnem Eccleſiaſticum zelum feruere ſola pro dignitate tuenda?* Honori totum datur; ſanctitati aut parum, aut nihil. Sapiens enimuerò Pontifex animaduertet, non quamlibet iniuriam ſibi factam, fieri vt Vicario Chriſti, ſeu vt ſupremo Chriſti ouium Paſtori, memor illius frequentiſſimæ apud Philoſophos, ac Theologos diſtinctionis, *Specificatiuè*, ac *Reduplicatiuè*, ſeu *Formaliter*, ac *Materialiter*, quæ in plurimis circa illius perſonam admittenda eſt; quando enim peccat, errat, temporalibus nonnullis ſe implicat &c. hæc quidem fiunt ab illo, qui eſt Chriſti Vicarius, verùm non ab illo, prout eſt Chriſti Vicarius, imò multa nequeunt ab eo fieri, niſi eſſet Chriſti Vicarius, ſeu Pontifex Romanus, vt cum bellum ſuſcipit, fœdus init cum alio Principe aduerſus alium &c. & tamen quis dicat, e paſtorali officio, prout a Chriſto inſtituto, hæc peragere? Adeoque cauebit, ne quaslibet iniurias, ſibi, vt Chriſti Vicario, illatas putans, de illis pœnas ſumat; poterit ſiquidem ipſemet puniri a Chriſto, ſicuti S.Greg. vbi ſupra, poſtquam reprehendit acerbè Ianuar. Epiſc. quod *pro nulla alia cauſa Iſidorum excommunicaſſet, niſi pro eo, quod ipſum iniuriauerat*, illi ſignificauit, *ſi pro defenſione propriæ iniuriæ inferre denuo* quidquam ſimile *præſumeret, in ſe poſtea vindicandum &c.* Caueat quoque prudens Pontifex 1. *Ne putet iniuriam SIBI factam ab illis*, qui publi-

ctus suos, vel suorum narrarent, scriberent, imprimerentque, cum aliunde spes emendationis non foret, & hinc illa probabiliter speraretur; vel *ROMANAE SEDI*, ab illis, qui iura quædam inter Catholicos controuersa complures de auctoritate R.P. aut R. S. aut de multis Immunitatibus, quas non constat ex iure Diuino esse Ecclesiastico statui concessas, & quæ profectò non retrahunt Ecclesiasticos a diuinis ministerijs, & quæ alicubi concessæ, aut præscriptæ præbent plurimis occasionem facinorum, criminumque publicorum, & ad eadem laicos pertrahendi, Ecclesiastica bona præter, vel contra fas expendunt &c. (secus euasuri religiosiores, si eas non obtinerent, vt alibi compertum) voce, scriptis, libris, vel re ipsa tuerentur; sicuti nec Principes sæculares in se, aut suum Principatum, iniuriosos censent eos, qui probabiles verè opiniones sustinent contra ipsos pro auctoritate R. P. & qui nonnulla edunt quoque, minimè ipsis enimuerò grata. 2. *Ne proprias profectò iniurias vlciscatur* sub specie, quod sibi sint irrogatę Vicario Christi, prout Vicario Christi, & *maiorem Dei gloriam* prætexat, *grande illud vocabulum*, vt inquit *Card. Pall. in lib. Vind.* c.51. pag.397. init. *nullis non criminibus patrocinatum*, seuerissimè illas puniens, nec pœnas vlla ex parte etiam veniam deprecantibus condonans. 3. *Ne arbitretur, si dimittat peccantibus contra se Christi Vicarium, ac sæpiùs,* quod id publico Ecclesiæ bono aduersetur; nam Christus, in quo *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi* Colos. 2. v. 3. ac infinito amore prosequitur Ecclesiam, pro qua & *seipsum tradidit* Eph. 5. v. 26. non poterat non nouisse, quid illi prodesset; & tamen iussit *Petrum* semper dimittere peccanti in se, qui iam erat designatus Pastor vniuersalis, & iam præceptum, vnàque consilium, Apostolis præsertim, tradiderat de *diligendis inimicis suis, & de benefaciendo his, qui ipsos odissent* Matth. 5. v. 44. Quæ cum Petrus electus Pontifex, & Apostoli per totum orbem Christi quoque Legati, & alij quoque in subsequentibus sæculis Apostolici viri executi sint, an non potius hinc regnum Christi spirituale latissimè propagatum fuit? Eludetur profectò hoc Christi præceptum, quod est sane inter præcipua Euangelicæ legis, etiam a priuatis hominibus, maximè primarijs quibusdam, nisi secernatur vera ab adumbrata specie ratio publici boni. Suadebitne efficaciter R. P. Magnatibus, ac Principibus Catholicis viris, vt iniurias condonent ad publicum Christianæ Reipublicæ bonum, quando ipsos viderint nolle eas condonare, allata excusatione, quod hinc periclitaretur Ecclesiæ bonum? Humanæ passiones o quam facile hoc publicum sibi fingunt bonum! Verùm Deus, qui est *cordium scrutator* Hier. 17. v. 10. Rom. 8. v. 27. non irridetur Gal. 6. v. 7. Nunquam sit proprium, vel Consanguineorum bonum, publicum Ecclesiæ vniuersalis bonum, & nunquam huic posthabeatur honor legitimus Romanæ Sedis. *Publicum Ecclesiæ bonum est sanè repositum in amplificanda Religione Christiana, & Catholica inter infideles, & hæreticos, ac pietate inter Catholicos, ita vt hi exactiùs diuina præcepta, atq. consilia prosequantur; Ac in præbendo cunctis fidelibus exẽpla, & illu-*

N strias

ſtria, Euangelicarum virtutum. Hoc in primis ſibi proponere debent R. P. *QVI* enimuerò non ſatis ſemet purgarent adhuc addentes, ſi dimitterent peccanti in ſe, aut ſi benè facerent his, qui ſe odiſſent, illum eumdem, aut alios inde occaſionem ſumpturos iterum, atque iterum in ſe peccandi; *Nam* (vt omittatur quoslibet prorſus fideles ad remittendam iniuriam, ab Eccleſiaſticis præſertim, precibus, ſuaſionibuſq. allectos, hanc poſſe excuſationem afferre) Chriſtus id quidem nouerat, & tamen *Petro* præcepit, vt non ſolùm *ſepties*, vt *Petrus* propoſuerat, ſed *ſeptuagies ſepties peccanti in ſe dimitteret*, deditque conſilium omnibus de *beneſaciendo his, qui ſe odiſſent*; cui præcepto, & conſilio Apoſtoli, Apoſtolicique planè viri ſe conformarunt, ipſomet Chriſto præeunte; & dum hæc dimiſſio, ac beneficentia oriatur e Chriſti amore, retrahet ipſe eundem, vel alios a ſimili iniuria, & odio; ac facilè eueniet, vt qui peccarunt, veniam deinde ſupplices petant, alijque deponant odium, amoremq. induant, huiuſmodi manſuetudinis exẽplo prouocati Rom.12.v.21. Prou.25.v.22. His certè promittit Chriſtus *terrã viuentiũ* Matt.5.v.4. *Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terram*: Verùm quidam potiùs laborant de hac mortalium. *Præterea*; ſi Deus morte ſubita, aut alijs pœnis, & ſtatim, puniret complures ex illis, qui ſuis non obſequantur præceptis, ac nominatim R.P. ipſos, qui præ cæteris moribus debent eſſe præditi ſanctiſſimis, an non magis cauti, aiunt non pauci, eſſent homines, in Diuina obſeruanda lege? Et tamen perrarò hæc Diuinæ ſeueritatis, ſeu iuſtitiæ vindicatiuæ monumenta extant; imò peccata quælibet ſæpiùs, ac ſæpiùs iterata, & quæ quis ipſi pollicitus eſt etiam ſæpe ampliùs ſe haud patraturum, liberaliter cuiq. condonat pœnitenti, vſq. dum obierit? Quis verò Diuinum regimen accuſare auſus fuerit? Quò huic magis ſe conformauerit humanum, an non perfectiùs? Quodnam verò par eſt, vt ſe magis illi, quam Pontificium conformet? Perrara ſint ſummæ ſeueritatis exempla in R. P. Dei Vicario circa temporales in primis pœnas, quas infligere potius eſt ſæcularium Principum: nam *hi dominantur eorum &c.* Matth. 20. v.25. Mar.10.v.42. Luc.22 v.25. 4. *Ne Pontifex electus ſumat vindictam, aut pœnam de illis, qui ſibi fuerint moleſti, infenſi, iniurioſi, dum Cardinalis erat, aut ante Cardinalatum*; præterquam enim id declararet, ipſum iam Chriſti Vicarium ab ipſius Chriſti præcepto recedere, ac inde vehementer complures ſuſpicari poſſent, diu in mortali peccato perſeueraſſe, ac etiã perſeuerare modò, odium non deponentem; magnanimi eſt prorſus animi, hos ſibi beneficijs potiùs deuincire; quod & Ethnici Principes fecere, ac ſuperiori ætate quidam Rex electus indignum exiſtimauit vlciſci iniurias ſibi priùs dumtaxat Principi illatas. Gradus, quem ſupremum aſſecutus eſt in Eccleſiaſtica Hierarchia R.P. nunquã ſit illi gradus ad vltionem eorum, quos ſibi parum beneuolos iam exiſtimaſſet, aut etiam expertus fuiſſet. Peculiariter tamen ne libidinem præferat puniendi eos Cardinales, quos nouit etiam certò ſuam improbaſſe electionem, nec voluiſſe ſuffragium pro illa ferre; potuerũt enim

aliqui

aliqui id inculpabiliter efficere e falsis quorumdam, quos sinceros, ac fideles putabant, relationibus; aliqui verò sagaciter prænoscere poterant e præeuntibus signis sibi notis, mores in Pontificatu suos non fore Christi Vicario congruos; quod experientia manifestaret ipsa, si hos insectaretur. 5. *Ne Odium in vllos*, instar aliquorum, *immortale habeat*, eò quòd sibi non obsecundent, vel obsecundauerint, vel egerint, scripserintue quidquam sibi molestum, aut suæ, vt quidam sibi suaserunt in illos maleuolentia suffusi, præiudicium faciens auctoritati &c. odium tegens larua zeli Religionis, cupiditatis illorum salutis &c. Si Christus iuxta nonnullos ad Matth.5.v.23. hanc postulat a Christianis perfectionem, vt cum ab alijs læsi sunt quoque, relicto sacrificio reconciliationem cum illis quærant; inflexibilisne R.P. animus erit in odio? Nunquamne desistet ab eo patentibus signis declarando? An ex odio, an verò e charitate, contra quosdam R.P. aliqua moliretur, prudentibus viris exploratum esse poterit; *Si* eadem, aut persimilia, aut deteriora quisque, in alijs permitteret; *Si* scandalosas censens quasdam opiniones has vellet interdici, aliorum verò æquè, vel magis etiam scandalosas in Ecclesia disseminari sineret: *Si* sacris interdiceret doctissimos viros, eò quod nimis rigidos censores quarumdam sententiarum arbitraretur, atqui hæreticas, vel suspectas vehementer de hæresi, vel temerarias prorsus, typis etiam promulgatas ab alijs, non proscriberet &c. Quis id ascribet communi in omnes charitati, & non potius priuato in illos odio, peculiari in hos amori? At summopere detestandum in R.P. odium, quo aliquos perpetuò prosequeretur, qui licet in plerisque sibi, & A.S. fauentes, in vno, vel altero, de quo lis foret inter Catholicos Doctores, sibi, aut A.S. non fauissent. Velle, ac eniti, vt omnes ad suam plenè voluntatem, vel voluptatem loquantur, scribant, edant, agant, tyrannicum esse profectò potest. Indelebilis odij argumenta exhibere argumentum esset R. P. animi a Christi disciplina penitus alieni. Quam sæpè si R.P. *nulli malum pro malo redderent, sed vincerent in bono malum* Rom.12. v.17.& 21. *carbones* ignitæ charitatis *super caput* multorum e Catholicis *congerentes*, redderent sui, ac R.S. in posterum studiosissimos; qui secus irritati, & adhuc verè Catholici, multa agere, scribere, imprimere queunt, R.P. ac R.E. auctoritati minùs, ac minùs semper propitia. 6. *Ne confirmet* sensum oppidò complurium, quod nulla seuerior iustitia sit, quam Ecclesiasticorum; vnde illud vulgare effatum, *Iustitia Presbyterorum*; cum tamen nulla per se mitior esse deberet, quando ipsi sunt primarij in Christi schola ipsius auditores, qui vult a se disci Matth.11.v.29. Quod *mitis sit*, seu benignus, & clemens, voluitque dici a Ioanne Baptista *Agnum* Ioan.1.v.29. propter mansuetudinem, vt ex Isa.53. v.7. Act.8. v.32. Ierem.11. v.19. habent ibi Chrys. Cyril. Theoph. Euthy. &c. atque hinc agninas pelles e prisco ritu gestantes primarij Clerici. Memores sint R. P. generatim 1. Se *Pastores esse, non percussores, atque ita praeesse subditis oportere* (horum volunt meminisse Episcopos Patres Trid. Concil.c.1.sess.13. de Refor.)

vt non eis dominentur, sed illos, tanquam filios, & fratres diligant, elaborentque vt hortando, & monendo ab illicitis deterreant, ne vbi deliquerint, debitis eos pœnis coercere cogantur; atque si ob delicti grauitatem virga opus fuerit, tum cum mansuetudine rigorem, cum misericordia iudicium, cum lenitate seueritatem adhibendam esse, vt sine asperitate disciplina populis salutaris, ac necessaria conseruetur &c. 2. *Se esse in statu summæ ante alios perfectionis*, adeoque teneri ante alios egregia in Christi oues charitate flagrantes, & ab omni planè odio remotissimos emet vniuerso declarare orbi. Euangelica sanè perfectio consilia quoque Euãgelica exequi compellit. 3. *Christum increpasse Iacobum, & Ioannem* Luc. 9.v. 54. & 55. volentes *descendere ignem de cælo* ad cõsumendos Samaritanos, qui noluerunt Christum recipere ipsum euntem Hierosolymam religionis causa Paschatis tempore, illisque significasse prorsus dilucidè, *non esse Euangelij, aut Christi ipsius consentanea spiritui* hæc seueritatis argumenta acerbissimæ; & aliqua quidem potiùs sæcularem, quam Ecclesiasticum Iudicem decent. 4. *Esse Apostoli præceptum* Eph. 4.v. 26. *Sol non occidat super iracundiam vestram*; cuius Apostolicæ admonitionis causam eleganter *S. Chrysost.* Hom. 16. in Matth. Talis est iræ passio, vt citissima indigeat curatione. Restringenda est a R.P. sub ratione potestas, nec *illi priùs quidquam agendum est, quam concitata ad tranquillitatem mens redeat; nam commotionis tempore iustum omne putat, quod fecerit* 11.q. 3. C. *Illa Præpositorum* e S.Greg.ep. 12. lib. 8. Maximè verò id illi efficiendum, dum tanquam Iudex sententiam proferre velit C. *Cum apud*, & C. *Summopere* ibid. Duas esse caliginis in iudicando causas scribit *S. Bern.* lib. 1. ad *Eug. Iram, & molliorem affectum*; & subdit; *Is Iudicij censuram eneruat, illa præcipitat. Turbatus præ ira oculus, clementer nil intuetur; suffusus fluxa quadam, & muliebri mollicie animus, rectum non videt. Non eris innocens, si aut punias eum, cui forte parcendum esset, aut parcas ei, qui fuerat puniendus.* Hæc ille. 5. *Christum solummodo zelum suum ostendisse bis in templorum prophanatores* Ioan. 2.v. 14.15.16.17. Matth. 21. v. 12.13.14. quorum nomine intelligi *Simoniacos*, tum in *Ordinibus*, tum in *Beneficijs Ecclesiasticis*, & *S. Aug.* Tract. 10. in c. 2. Ioan. & omnes illius Euangelici capituli tractatores, scribit *Vrb. II. ad Præp. Eccl. S. Iuu.* 1.q. 3. C. *Saluator*; vbi c. seq. *Alex. II. ad Eccl. Luc. Cler. & Pop.* inter cætera inquit, *Illud quoque in eodem facto solicitè considerate, quod per totum textum Sancti Euangelij nusquam reperitur tanta seueritate, tam DISTRICTA censura iustitiæ, peccantes corripuisse, cum non solùm eloquio increpans, verùm etiam facto flagello de funiculis verberans omnes eliminauit de templo, apertè demonstrans, quod tales negotiatores, non sicuti cæteri peccatores, sunt corripiendi, sed a templo Dei, idest sancta Ecclesia, longiùs sunt proijciendi* Iniurias hasce in Diuina, Deoque dicata vindicet R. P. Zelus Domorum Dei illum comedat, iuxtà Triden t. sess. 22. præceptum Episcopis omnibus traditum, *E medio tollere sedulò curans, quæ vel auaritia idolorum seruitus, vel irreuerentia, quæ ab impietate vix seiuncta esse potest induxit; ac in primis omnia, quæ a Simo-*

niaca

niaca labe, vel etiam a turpi quæstu non longè absunt; ac deinde a templis sæculares omnes actiones, vana, atque adeò prophana colloquia, deambulationes, strepitus, clamores arceat, vt domus Dei verè domus Orationis esse videantur, ac dici possint. Equidem *Pius V.* electus ann. 1566. Ianuar. 6. Bull. 5. Apr. 1. edidit, in qua §. 4. innouauit, tum Constitutionem *Greg. X.* repositam c. 2. de Imm. Eccl. in 6. tum Trid. Concil. decretum (præter pœnas contra simoniacos, & blasphemos &c.) *de Diuini cultus obseruãtia in Ecclesijs*, mandans §. 16. *Principibus, Comitibus, & Baronibus omnibus S.R.E. feudatarijs sub pæna priuationis feudorum, quæ ab ipsa E. R. obtinent, & reliquis Principibus Christianis in virtute sanctæ obedientiæ mandans, vt pro Diuini nominis reuerentia, & honore omnia,* quæ in dicta Bulla V. continebantur, *in suis dominijs, ac terris exactissimè facerent obseruari &c.* Seueritatem contra huiusmodi in Ecclesijs (operam sedulò adhibens, vt Principes quilibet ad id efficacem afferant opem) vel in Diuinis peccantes, sicuti & contra illos, qui publicè, & habitualiter Decalogi præcepta violauerint, si R. P. anctissimi, vt *Pius V.* adhibuerint, laudabuntur enimuerò, cætera vituperandi, si hæc dissimulent, in alijs ardentem iustitiæ zelum præferant. *6. Haud esse sinceri Principis, nedum candidi animarum Pastoris, sub restrictionibus nonnullis mentalibus in promissionibus, saluisconductibus, data venia &c.* allicere aliquos a quibus se læsos existimassent, vt a tuto, in quo morarentur loco recedentes ad Vrbem accederent, vbi iniurias, quas se, vel S.A. accepisse arbitraretur, postea vlcisceretur; *vel* alia ibi recenter crimina eos patrasse, falsò indicans in vulgus; *vel* venialia, vt fertur, peccata in alijs, tanquam læthalia in hisce æstimans, graues pœnas de ijsdem sumens; *vel* occultam mortem ex veneno illis inferri iubens; *vel* assiduos saltem exploratores quorumcumque deceptorum huiusmodi hominum, & dictorum, & actionum adhibens, vt occasionem arriperet inde illos puniendi &c. Vtinam non frequentia, imò nulla sint in Romana Curia tanti facinoris exempla! Hisce restrictionibus mentalibus tribuunt nonnulli non accessum ad Trid. Conc. Germanicæ Nationis Protestantium, quamuis amplissimum profectò illis, sicuti & reliquis nationibus, amplissimi illi Patres concessissent saluumconductum an. 1562. Mart. 4. sed legitima censetur non accessus causa, quòd existimauerint, ipsorum errores a Catholicis conuincendos, & inde cogendos ad reddenda Ecclesijs, & Ecclesiasticis bona, quæ illis abstulerant &c. *Optimi sanè est R.P. vulpinas hasce prorsus vitare fraudes, nec in Curia illas permittere; e quibus si vel vna deinde pateat, quis R.P. vel Curialium Romanorum dictis, & quibuslibet rescriptis, seu Chirograghis certam habebit fidem?* Iniuria est omninò remittenda, pœna si condonetur, ex animo condonanda; & cum reconciliato hoste ipsomet vt cum amico agendum, nec hostilis deinde animi in illum specimen vllum prorsus postea dandum. Sic ingenui, & magnanimi homines faciunt. Deleatur prorsus e complurium mente illa suasio, quod Romana Curia nũquam penitus odiũ abijciat semel in aliquem conceptum, quem minùs sibi propitium putauerit,

tauerit, ac indelebiliter in fastis suis describat, illud etiam exhibens in consanguineos, affines, amicos &c.

Matth. 19. a v. 27. Mar. 10. a vers. 28. Luc. 18. a v. 28.

XLV. RElinquit omnia R. P. & sequitur Christum: *DVM* licet amplissimam temporalium bonorum possessionẽ obtineat; nõ *tamen illis cor apponit, non in illis spem, ac finem constituit, de illis non superbit, a communibus diuitum vitijs, remotus est*; illi enim solent esse superbi, contumeliosi, delicati, plurimumque sibi arrogantes: *DVM Ecclesiasticos reditus*, præter necessarios, congruosque Dignitati suæ, quæ est Vicariatus Christi, *impendit in pauperibus alendis, alijsque miserabilibus personis, ac mendicare erubescentibus ferenda ope; in reparandis Ecclesijs, idoneaque illarum supellectili sacra, in suppeditandis ijs, quæ opus sunt laborantibus in infidelium, ac hæreticorum, vel schismaticorum conuersione, in sustentando milite contra Turcas, ne occupent insignem aliquam Prouinciam, vel Ciuitatem, vel alium locum eorum imperio opportunum, vel vt eorum manibus eripiantur, quæ Christianis abstulerunt; in multis Sacerdotibus, imò & Episcopis, qui verè mendici sunt, iuxta cuiusque conditionem sustentandis &c.*

XLVI. Non dimittit omnia, multòque minùs Christum sequitur P. R. *DVM* 1. *Studet magis, ac magis* semper bona R. E. temporalia amplificare, quam R. atque V. E. fidem. 2. *Patrimonium suorum Consanguineorum, affinium, amicorum* in dies augere contendit, non autem Catholicorum pietatem. 3. *Amplius dolet, & cruciatur*, quod aliquod temporale R. E. subtractum fuerit, vel ex aliqua temporali Iurisdictione Ecclesiastici fuerint deturbati, hæretici possessionẽ bonorum Ecclesiæ, vel Ecclesiasticorũ sibi vindicauerint, Principes Catholici in criminibus quibusdam Clericos suo supposuerint foro &c. quam quod in aliquam Prouinciam, vel Ciuitatem Christianam inductus fuerit Mahometis cultus, in Catholicam Prouinciam, & Ciuitatem hæretica dogmata fuerint importata, nonnullique populi se a communione cum R. E. se alienauerint; mores Ecclesiasticorum, Regulariumque in primis, deteriores euadant. 4. *Propter pecunias* Dignitates Ecclesiasticas elargitur. 5. *quasdam condit leges*, vt e frequenti illarum dispensatione ærarium ditescat Pontificium. 6. *Quædam officia instituit in Vrbe*, planè non necessaria, vt inde emolumenta in se deriuet. 7. *Vnà cum suis diligit munera, ac libentissimè accipit*, licet nouerit esse ex Ecclesiarum spolijs, vel ex ijs, quæ pauperibus distribuenda erant, horumque largitores beneficijs prosequitur, fouetque. 8. *Opiniones quasdam latissimè*

iurisdi-

iurisdictionem suam temporalem porrigentes pro opportunitate ad praxim reuocare conatur, & ad id ministros suos, tum in Vrbe, tum vbique ad id hortatur, imperans illis, vt in hoc sint quammaximè solliciti, præmio illos afficiens, qui occasiones sagaciter explorantes, illam exaggerauerint; ad sublimiorem, vel opulentiorem euehens dignitatem eos, qui in Principum sæcularium ditionibus laicam potestatem non leuiter depresserint. 9. *Primariam confert operam* in conseruationem, vel accessionem quorumdam titulorum, honorum, immunitatum &c. 10. *Non coram Deo* est paratissimus quorumlibet temporalium a se dominium abducere, cum id certò peteret animarum salus, vt iam indicatum est num. 12.

XLVII. Licet temporalium possessio, quoad animi bonum spectat, nec bona sit, nec mala, eorumque vsus sit bonus, imò & optimus esse queat, vt in compluribus, & veteris, & noui testamenti sanctissimis Viris, etiam posterioribus sæculis, ac Ecclesiasticis nominatim, & Præsulibus quoque, patuit, ac patet; quia tamen illis annecti solent *abusio, solicitudo, & quæstus*, hæc tria summopere præcauenda R.P. nam cum sit e *S.Bern.* lib. 2. de Consid. *abusio mala, solicitudo peior, abusio turpior*; ista facilè vitia in ipsum irrepere possunt possessorem tot bonorum temporalium R.E. tot pecuniarium, quasi vndique confluentium in illius ærarium e dispensationibus, beneficiorum collatione, institutiona, confirmatione, ex officijs multiplicibus in Vrbe cõstitutis &c. In memoriam reuocet sæpissimè. 1. *Ante hæc Petri verba* Christum præmisisse coram ipso; reliquisque Apostolis v. 23. *Diues difficilè intrabit in Regnum Cælorum*; ac v. 24. *Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum*, & v. 25. cum mirati id discipuli dixissent, *quis ergo poterit saluus esse?* aspicientem illos Christum subiunxisse, *Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt*; adeoque difficultates maiores ad intrandum in regnum cælorum fuisse obiectas Romanis Pontificibus a possessione illis concessa, siue tributa temporalium (quas tamen, opitulante Deo, Sanctissimi re ipsa Pontifices superarunt) eòque ampliores has esse, quò magis stabilium bonorum, ac redituum possessio aucta fuit, vel augeretur. 2. *Cum huiusmodi possessio* non sit e diuino, vel Apostolico iure, vt habet *S.Bern.* ib. sed per accidens annexa, debere adeò esse moderatam, vt non impediat in R.P. curam ouium Christi in spiritualibus; fiatque, vt quæ constituit Christi Vicarium ex ipsius Christi institutione euadat *per accidens*, siue minus præcipua habeatur, vel leuis sustineatur; cura verò temporaliũ sit *per se*, ac primaria. Et experientia quidem liquet, ab aliquot iam sæculis, plurimos R.P. post amplificatam temporalem iurisdictionem minus, quam antea, spiritualibus de Dominico grege curis deditos fuisse. *E quibus indicatur*, quàm imprudenter, ac temerè loquantur illi, qui significant Ecclesiæ opportunissimum fore, vt R.P. *actu*, quam *habitu* quidam aperti adulatores, vel insipientes potius, tribuerunt illi, vt pote totius orbis domino, exerceret iurisdictionem temporalem vbique, &

nomi-

nominatim in Christianis omnibus Prouincijs, constituens in illis Vicarios, seu Legatos; id enim dilucidè aduersatur institutioni Christi, vt declarauit iam *Gelasius* Papa electus ann. 491. Mart. 11. & vna cum eo *Nicolaus I.* ep.7. ad *Mich.* Imp. ac reponitur quoque d.10. C. *Quoniam* & d.96. *Cum ad verum*; meliusque sentire illos, qui affirmant quidem, ab omnibus Catholicis Principibus debere manuteneri R.P. in temporalium possessione bonorum, qua modò potiuntur, seu ex præscriptione, seu ex alio titulo, ac nominatim ab illis quoque defendi contra iniquos inuasores *patrimonium B. Petri, in quo Apostolica Sedes, & Summi Pontificis auctoritatem exercet, & Summi Principis exequitur potestatem*, vt loquitur Innoc. III. C. *Per Venerabilem*, Qui fil. sint legit. at non cupiunt, vt hęc possessio non multò ampliùs porrigatur; verentur enim, ne *paternæ hæreditatis*, quam R.P. reliquit B. Petrus, hoc est *solicitudinis omnium Ecclesiarum*, sicut scribit *S. Bern.* ibid. breue vestigium appareret. 3 *Non dumtaxat S. Hierony.* init epist. de Vit. Mon. Capt. scripsisse iam, *postquam ad Christianos Principes venit Ecclesia, diuitijs maiorem, sed virtutibus minorem factam esse*; sed & constare, post amplificatum a Comitissa Mathildis obitu an. 1115. Pontificium dominatum, nullum e R. P. ab ipsilmet R.P. relatum fuisse inter Cælites solemni illo ritu, qui adhiberi cœpit ab an. 993. Febr. 3. in Canonizatione *S. Vldarici Augustanæ Ciuitatis Episcopi*, præterquam *Cælestino V.* Verùm hic Pontificatui renunciauit ann. 1294. postquam sex circiter mensium spatio Pontificatum rexerat; qui cum deinde decem, & septem pariter mensium spatio in carcerem coniectus ad Cælum abijsset, ac miraculis fulsisset, a *Clem. V.* an. 1313. (extat Bull. 4. in Bull. in cuius §. 12. *Eius Papatui renunciatio commendatur*) in Sanctorum albo fuit descriptus; eius autem memoria sub nomine *Petri de Morono*, non autem *Cælestini* celebratur; de quo *Bar.* in Not. ad Martyr. Rom. 19. Maij. Addendum tamen; aliquos etiam post an. 1115. insignes probitate Pontifices extitisse, inter quos celebres sunt *Greg. X. Bened. XI. Adrian. VI. Pius V.* & iuxta quosdam etiam *Paulus IV.* licet antea longissimè plures fuerint. 4. *Inter illa, quæ aditum ad cælum hominibus intercludunt, reponi potissimè diuitias*, quia omnes Auaritiæ student a minori vsque ad maiorem Isa. 56. v. 11. Ierem. 6. v. 13. & 8. v. 10. & de ipsis Euangelij prædicatoribus loquens Apostolus Phil. 2. v. 21. dixit, *Omnes, quæ sua sunt, quærunt, non quæ Iesu Christi*; qui & 1. Timoth. 6. v. 10. *Radix omnium malorum est cupiditas; quam quidam appetentes errauerunt a fide*. Hinc illa *S. Greg.* d. 47. cap. 7. *Bonorum auctori inhærere alter non valemus, nisi cupiditatem a nobis (quæ omnium malorum radix est) abscindamus.* Vt autem hæc *abscindatur*, opportunius proculdubio est, res terrenas non possidere; nam possessio ad earum amorem allicit; vt enim docet *S. Aug.* ep. 34. ad Paul. *Cum superflua, & terrena diliguntur, arctiùs adepta, quã concupita constringunt: nam vnde tristis ille discessit, qui consilium vitæ æternæ consequendæ quærebat a Domino, cum audisset vendenda esse sua omnia, & distribuenda esse pauperibus, & habendum thesaurum in cælo, si vellet esse perfectus, nisi quia*

magnas,

magnas, vt Euangelium loquitur (Luc. 18. verſ. 23.) habebat diuitias; aliud enim eſt nolle incorporare, quæ deſunt, aliud iam incorporata diuellere: illa velut cibi repudiantur; iſta velut membra præciduntur; atque Eccleſ. 31. v.8. *Beatus* dicitur *ille diues, qui inuentus eſt ſine macula, & poſt aurum non abijt*, & hoc ideo, quia rem difficilem fecit; vnde & ſubditur verſ.9. *Quis eſt hæc, & laudabimus eum? fecit enim mirabilia in vita ſua*, vt ſcilicet inter diuitias poſitus diuitias non amaret, vt habet *S.Th.* 2.2.q.186. a.3. in fin. vbi in *Corp.* oſtendit, *Quod cum ſtatus Religionis ſit quoddam exercitium, & diſciplina, per quam peruenitur ad perfectionem charitatis, & ad hoc neceſſarium ſit, quod aliquis affectum ſuum abſtrahat a rebus mũdanis, quod difficillimum eſt fieri ab ijs, qui eas poſſident; ideo primum votum, quod emittũt Religioſi, eſſe paupertatis, per quod tollitur cupiditas exteriorum bonorum*: Quorum tamen poſſeſſionem ad 5. ait conceſſam Epiſcopis *ratione ſtatus perfectionis, in quo debent etiam temporalia ſubminiſtrare gregi ſuo, quem gubernant*; Ad quæ Card. *Caiet.* ſic quamdam ſoluens obiectionem: *Quia aliud eſt iudicium de hominibus communiter, & aliud de hominibus excellentibus, & homines, qui ſunt in Epiſcopali ſtatu, ſunt non qualeſcumque, ſed excellentes in perfectione, vtpote aliorum perfectores; ideo licet diuitiæ habitæ natæ ſint per ſe allicere, & diſtrahere homines communiter, & per hoc natæ ſunt impedire perfectionem Charitatis communiter, non tamen tanti ſunt, vt allicere poſſint perfectos ad ſui amorem; propterea habere diuitias eſt eſcluſum a ſtatu Religioſorum, vtpote nondum perfectorum, ſed ad perfectionem tendentium; non eſt autem impedimentum excludendum a ſtatu Epiſcoporum, vtpote perfectorum*. Cum igitur R.P. ſit in ſtatu perfectionis, & ſummæ, vt Epiſcoporum Epiſcopus, nullatenus permittat ſe amore diuitiarum, quæ ratione iſtius ſtatus ampliſſimæ ſunt ei conceſſæ, allici, ac diſtrahi; Quod pateret; *SI frequenter vellet ſibi reddi rationem dati, & accepti ab Apoſtolica Camera, pecuniæ in Datariam, aliaque ſimilia officia importatæ*; perrarò autem numeri animarum, quæ fuiſſent Chriſti aggregatæ ouili, vel quæ ab eodem receſſiſſent propter prauos Præſulum mores 11.q.3.c.3. aut nimiã illorum auſteritatem d.45. c.16. vel quæ inter alias primariæ morbis laborarent grauiſſimis, cum periculo ne *morbidæ* d.45.cap.17. (& hinc aliæ complures inficerentur) euaderent; *quotidianas expẽſas, quaſi quotidiano reciprocaret ſcrutinio, & continua Dominici gregis detrimenta neſciret; de precio eſcarum, & numero panum cum miniſtris ſæpe diſcuſſio illi foret; rara admodum* cum Cardinalibus, alijſue *celebraretur collatio*, inquit *S.Bern.* lib.4. de Conſid. *de peccatis populorum*, atque dum leuem pecuniæ ſummam in ærario Pontificio inueniret, *iraſceretur, vreretur, anxiaretur*, non verò, ſi audiret leuem animarum fructum e miniſterijs ſpiritualibus reportari: *SI quæſtui vacaret, quibuſdam per alios quoque vacans negociationibus inſtar ſæcularium, vel in compluribus ſummi ponderis legibus diſpenſationes concedens oblata pecunia (leuiores etiam quaſdam haud petere audent hus plurimis pauperibus, & qui non haberẽt, quod ſoluerent, licet verè legitimas eas obtinendi cauſas haberent) ita vt nullus*

fermè esset, qui tādem pecunia, aut muneribus non eas obtineret: Quæ spensationes maiorem parerent offensionem, si causam, quę affertur in Bullis, publicè foret notum esse falsam, eamque Curię Romanę esse notam, vt in plerisque petentibus dispensationem in interstitijs, vel quoad ætatem in Ordinum susceptione; neque enim feruor deuotionis, vel Ecclesiarum necessitas &c. ad id eos impellit, sed vt plerumq. *ad victum, vestitumque necessaria comparent; ita vt præter quæstum nihil aliud in Sacerdotio tandem, quemadmodum vulgò cæteri omnes in quouis sordidi artificij genere, spectare videantur*; contra quos, aliosque honorum, ac diuitiorum cupiditate initiari volentes sacris Ordinibus *Rom: Cathech.* n.4. de Sac. Ord. An id in similibus eueniat dispensationibus, perspectum est præcipuè illis, qui Romæ eas petendi, ac impetrandi cum non leui emolumento munere funguntur: quorum sagacitas concedentibus explorata est. 5. *Cum Episcopi ratione status perfectionis, teneantur strictiore vinculo charitatis in proprias oues esse misericordes in temporalibus ipsis, quam reliqui*, in communibus etiam necessitatibus (*nam tempore famis, aut pestis, aut plurimarū ægritudinum iuxta proportionem necessitatis pauperum, qui sunt oues propriæ, possunt teneri e propria supellectili eleemosynam facere, vendere vasa ex argento, & auro, & domus suæ apparatus, dimittere multitudinem famulorum, ac domesticorum, curruum, equorum, &c.*) quin etiam *inquirere* per Parochos saltem in suo Episcopatu pauperes ad faciendam eleemosynam, vel procurandam, vt præclarè docet latè inter alios doctissimus *Bagn. 2.2.q.32. a.6. Dubitatur vltimò*; proculdubio id magis tenetur R. P. efficere in Romano Episcopatu, in alijs verò curare, vt id Episcopi efficiant, secus in eos animaduertens; atque si facultas desit Episcopis pauperes suæ Diœcesis vtcumque sustentandi, e suis reditibus eos sustentare debet R.P. qui est Vniuersalis Pastor. At hæc facultas deerit Episcopis, si pensionibus grauentur, ita vt ipsimet mendici euadant, indigeantque non rarò eleemosynis, & sæpe etiam cogantur quædam indecora suæ dignitati agere, curam animarum omittere, vt negociationibus quibusdam vacent, e quibus pecunia extrahatur ad soluendas pensiones; quæ quomodocumque, etsi possessiones iniurias passæ, etsi numerus egentium auctus, soluendæ sūt integræ; nec non etiam oues suas premant, ita vt ex earum lacte, & lana conficiatur debita pecuniæ summa tribuenda multis eam insumpturis in ludis, conuiuijs, in equis, in iusto ampliore famulitio &c. Quod idem non laudabile foret in Parochis, qui magis etiam, quam alij, licet longè minùs, quam Episcopi, suæ Parochiæ pauperibus eleemosynas largiri tenentur: Quam facultatem adimere Episcopis non est R. P. profectò, cum ipse etiam obligetur pauperibus cunctis, qui sunt in qualibet Diœcesi, opem ferre, dum id non liceret Episcpis pro ingenti redituum tenuitate, quibus vix se, suamque familiam vtcumq. possent honestè sustentare. Abuteretur sanè reditibus copiosis, quos habet R. P. si notitiam habens per Nuncios suos, vel alios, pauperum in qualibet Diœcesi, quibus ibi nemo succurreret, & succurri nequiret ab Episcopis,

scopis,

scopis, alijsque diuitibus (siue Ecclesiasticis habentibus reditus Ecclesiasticos propter graues pensiones, qui in communibus etiam necessitatibus in omnium sententia præ alijs ampliores enimuerò eleemosynas tribuere tenentur, siue laicis propter grauia tributa, qui etiam cogi possunt ab vtroque potestate Ecclesiastica, & Ciuili in graui saltem necessitate ad eleemosynas pro cuiuslibet conditione) his auxiliari desinens, in splendidiori supellectile, seu prophana, seu sacra, quàm opus foret, in ædificijs non necessarijs, in quibusdam leuibus, tamen præferentibus sibi propositum esse nomen suum reddere immortale perpetuum (non metuens notam e violatione, & omissione obligationum sui pastoralis officij &c.) illos impenderet. 6. S. *Chrys.* Hom. 47. in cap. 13. Matth. sic habere. *Si duodecim homines totam pene farinam Orbis fermentarunt, diligenter animo versa, quanta sit nostra malignitas, atque ignauia, qui cum iam innumeri simus, has Gentium reliquias conuertere non possumus, qui vel mille mundis satisfacere deberemus. Sed Apostolos illos fuisse, inquies. Quid ad rem? Nonne tecum eiusdem naturæ fuerunt? Nonne cum hominibus ipsi quoque conuersabantur, artes professi, eisdem rebus nutriti? An forsan credis illos Angelos natura, aut de cælo lapsos fuisse? Non, inquies, sed signis illi rutilabant. Non propter signa illi certè claruerunt. Vsquequò negligentia, ita ignauiam nostram miraculorum fulgore, quæ tunc coruscarunt, quasi velamine quodam, obducimus? Multi eycientes dæmones punientur (Matth. 7. v. 23.) quid igitur, inquies, fuit, quod præcipuè illos magnos effecit? Certè verus, ac non simulatus GLORIAE, ATQVE PECVNIAE CONTEMPTVS, & quoniam nullam sæcularium harum rerum omnium CVRAM habebant; nam nisi hoc habuissent, si passionibus, velut nos, seruissent, etiamsi de morte innumeros homines suscitassent, non solùm nihil vtilitatis fecissent, verùm etiam seductorum, atque deceptorum nomen non effugißent. Viuendi ergo disciplina est, quæ vbique fulget, quæ spiritus etiam gratiam attrahit. Quod enim signum fecit Ioannes &c.* Et paulò post. *Ipse Dominus, quando leges discipulis ferebat, quid eis præcipiebat? Non certè, vt signa facerent, vt videntes homines glorificarent Patrem: Sed quid porrò? Luceat lux vestra coram hominibus &c. (Matt. 5. vers. 16.) Petro quoq. non dixit, si me amas, signa fac, sed pasce oues meas (Ioan. 21.) Cumque ipsum cæteris præponeret cum Iacobo, atque Ioanne, propter signa forsan præponebat? Ab omnibus certè leprosi mundabantur, mortui suscitabantur, omnibus enim æqualiter potestas fuit concessa. Vnde igitur illi tres anteponebantur? Non profectò præterquam a virtute, & magnitudine animi. Vides, quia bene viuendi norma, & rectis operibus opus est?* Summo eniti studio debet R. P. 1. *Vt humanam gloriam contemnat*; laudatores quosdam, quos nouit ipse esse adulatores, a sua repellens prorsus familia, & nullatenus ostendens sibi gratas esse nonnullas laudes sibi tributas, siue præsenti, siue absenti, in epistolis, in libris, ac ijs nominatim sibi dicatis, earum Auctores potiùs pœna, quam vllo prorsus præmio afficiens, & quandoque remoueri iubens a suo conspectu hosce libros, in quibus describuntur panegirici, elogia, aliaq. men-

 dacia

dacia, que Oratoribus, aut Poetis, Aulicisque frequentia sunt, continentur; memor, quod non solùm peccet saltem venialiter, dum approbat vel gaudet de laude falsa, verùm etiam appetentia, & complacentia cuiusuis humanæ laudis rarò careat peccato; vt aliqui colligũt e *S. August.* c.13.lib.1.de Ciuit. ac *S. Bern.* in serm. ad illa Apostoli 2. Corinth. 10. in fin. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, vt omittatur id, quod habet Philosophus Eth.4.ac ex eo S.Th.22.q.129.ar.1. esse hominis magnanimi laudem contemnere, cum saltem falsa est, vel licet vera, minimè eam appetere ad bonum sui ipsius particulare: *Ac præterea*, Ne in operibus etiam pijs gloriam suam principaliter quærat, eaque ad illam principaliter referat Matth.6.init.sed eos prosequatur mores, vt omnes prorsus, qui ipsius actiones animaduerterit, glorificẽt non ipsum, sed Deum, & Christum Matth.5.v.17.idque sibi sincerè proponat, cum bene agens videri vult ab hominibus, & ad hanc Christi gloriam referat omnes honores, qui sibi vt Vicario Christi deferuntur; gloria enim humana, vt sic, & gloria Dei inter se pugnant, non minus, quàm sapientia Dei, & hominum, vt *S.Cyrill.* obseruat ad Ioan. 5. v.45. Hanc humanam videretur quærere ille R.P. qui honorificas functiones libenter obiret, ægrè verò alias; amaret, & beneficijs foueret suas laudes, & maximè immeritas narrantes; iuberet frequentissimè suæ insignia familiæ suspendi palam, sumptuosa construi ædificia, sed parum vtilia, admodum pretiosè sui palatij parietes vestiri &c. 2. *Vt redituum Ecclesiasticorum*, & domus suæ cura alijs tradita prudentibus, ac fidelibus, & his potiùs, quam illis iuxta monitum *S.Bern.*lib.4. de Consid. (qui etiam consulit *Eug.* vt minùs etiam fidelem sustineat, quam immergat se domesticę familię temporalibus curis,) totum se impendat in Ecclesiasticis negocijs, quæ profectò totum requiret hominem; sic enim ostendunt se penitus contemnere pecuniam, & sæcularium rerum omnium Curam non habere; indeque ostendens affectu se *dimittere omnia* cum Petro, & *sequi Christum*, Pastor euadet plurimarum ouium in Christi ouile vltro ingredientium. Si miracula Apostolorum ingentia per se non satis fuerunt Gentium conuersioni, certè idoneum per se haud medium erit conuersioni infidelium, hæreticorum, ac peccatorum magnificus Pontificiarum ædium (qui tamen modò non censetur vituperandus) apparatus, corona aulicorum, militum agmen &c. *Viuendi disciplina singularis, humanæ cuiuslibet gloriæ, pecuniæ, terrenarumque rerum præferens contemptum, vnicaque Ecclesiarum sollicitudo fulgens in R P. apta est attrahere infideles, ac hæreticos, ac peccatores ad Christum.*

XLVIII. Cum R.P. censeatur e communiori sententia supremus Iudex in spiritualibus causis omnibus, curandum quoque est ipsi, vt vnà cum Christo Iudice in extremo iudicio sit *Iudex assessorius*, hoc est, arguens, conuincensque æternarum reos pœnarum, seu hisce sententiam Christi denuncians; quem honorem pollicitus est peculiarem Apostolis, ac in primis S.Petro. Hunc consequetur planè, etiamsi non effectu, affectu tamen modò, & aliàs iam explicato dimiserit omnia propter

Chri-

Christum, illiusque vestigijs institerit: Etenim hanc iudiciariæ potestatis specialem prærogatiuam consequuntur, præter Apostolos, non illi tantum, qui voluntariam amplectentes paupertatem suo statui valde conformem vitam duxerint, vt inter cæteros docent *S. Aug. Hier.* & *Greg.* allati a *Suar.* tom. 3. in 3. p. d. 57. sect. 4. sed etiam illi, qui in hac vita magnam virtutis perfectionem compararunt, licet actu non dimiserint omnia, nec paupertatis votum emiserint, vt colligitur e *S. Hier.* ep. 28. *S. Aug.* ep. 89 & in Ps. 89. & *S. Greg.* lib. 20. Moral. c. 16. *S. Ansel.* in Elucid. quod non improbabile *Suar.* ibidem putat. Eam profectò compararunt S. Syluester, aliique nec perpauci R. P. a paupertatis voto liberi, seu soluti, etsi in multorum possessione bonorum constituti. Non vulgaris, verùm heroica planè virtus est, *diuitijs, si affluant, cor non apponere, & non abire post aurum, quod possidetur, atq. nihil habere,* quamuis plurima *possideantur*, propter temporalium distributionem in necessitatem, vtilitatemq. Christi ouium, ac honorē ipsius Ecclesiæ; nec ita illarum, aut custodiendarum, aut amplificandarum cupiditate teneri, vt vllum, vel leuissimum, veniale peccatum patrare quis ad hoc velit; ac paratum esse ad dimittenda temporalia, cum id expediret saluti populorum, iuxta doctrinam *Caiet.* quoque in 22. q. 43. ar. 8. quam *Bagn.* integrè refert, præmittens, illa, quæ aduertit *Caiet.* esse tradita *doctè, prudenter, & piè, ac Ecclesiasticis Prælatis valde necessaria*; propter enim temporalia *non est ponendum offendiculum fidei*, similiue ingenti spirituali bono. At heroicæ virtutes quosnam magis decent, quam R. P. qui sunt in apice summæ omnium perfectionis, & summæ omnium pariter dignitatis, referuntque ipsius Christi personam? Iudiciaria cum Christo hominum Vniuersitatis potestas nonnisi illis debetur R. P. qui Christi vice fungentes in terris longissimè cęteris omnibus in Euangelicis præcelluere virtutibus. Faxit Deus, vt nullis e R. P. *S. Petrus* in die iudicij tremenda sit æternæ damnationis a Christo latam sententiam denunciaturus, eò quod instar ipsius non *reliquerit omnia* affectu, vt dictum, nec *secutus fuerit Christum*, illius doctrinam, ac mores non prosequens.

Ioan. 13. a v. 6.

XLIX. INcipit Christus a Petro pedum lotionem, *vt doceret*, inquit *Maldon.* in fin. vers. 5. oportere semper a Capite, & a Superioribus incipere Reformationem. Experientia satis iam declarauit, atque declarat in dies, frustra Superiores indixisse, ac indicere subditis reformationem, dum ipsi priùs non semet reformarunt, vel reformant. Oppidò nonne illi iure potiùs reformādi, cum & grauiùs peccent, & alliciant, & quodammodo cogant subditos ad sui imitationem? Qua ratione audent Superiores reprehendere, ac punire

nire ſubditos Reformationem detrectantes, dum ipſi eamdem detrectant? Canones, Eccleſiaſticæ Leges, Regulæ, Conſtitutiones non loquuntur æquè de Superioribus, ac de ſubditis? Præcipua Trid. Concil. decreta, ac plura, nonne ſunt de Epiſcopis, animarumque Paſtoribus? An non lumen naturale ipſum docet, ordiendum eſſe medicamentum a capite, cum ex eo languores, & morbi in cætera dimanat membra? Omittitur, quod complures ſemet obligarunt ad talem viuẽdi modum ſub obedientia quorumdam Prælatorum, exiſtimantes, ac pro certo habentes, quod illi quoque leges ſuas eſſent ſeruaturi, quas forſan etiam legerunt, antequam talem pollicerentur ſubiectionem. Immeritiſſimò planè, ac iniurioſè tribuunt nonnulli ſimpliciter inceptionem, ac propagationem Lutheranarum hæreſum, aliarumque has ſubſequentium Romanæ Curiæ, quæ plurimos in moribus offendebat, & reformationem a compluribus Catholicis concupitam minimè admittebat; nam intrinſecæ profectò cauſæ fuerunt *Superbia, Luxuria, Gula, & Auaritia*; neque Catholica Fides examinanda erat ad Curialium Romanorum mores, ſed ad Diuinum verbum, ſeu ſcriptum, ſeu traditum, atque expoſitum a SS. Patribus, Concilijs &c. his enim innitur, non illis: Neque erat a R.E. diſcedendum Communione, eò quòd illius Præſides haud vitam agerent tali conſonam dignitati; neque enim propter hos deſerenda erat, ac vituperanda Petri Cathedra, vt antea tradiderat *S. Aug.* lib. 2. contr. lit. Petil. c. 51. & 61. e Chriſti ipſius doctrina Matth. 23. init. Subtrahendæ quidem fuerant illarum occaſiones, quas aliqui *cauſas* nuncupant *extrinſecas*; quod præſtare contenderunt, licet ſerò, *Paul. III. Iul. III. ac Pius IV.* ac Trid. Concil. Patres, qui ſaluberrima, & multiplicis generis decreta ſeueram reformationem, vt par erat, in Romana Curia, ac in cæteris Chriſtiani Orbis Prouincijs indicentia condiderũt; Quorum vtinam grauiſſima ſaltem, vt executioni mandentur ſemper, ſuppliciter Deus eſt orandus! Neque de hoc dubitandum, cum optimi, & Sanctiſſimi Præſules R.E. fuerint præfecti: Nam hi enimuero omni prorſus contendent ſtudio (nam hoc fermè eſt præcipuum, e quo reliquorum obſeruantia decretorum de Reformatione dimanat) vt *lectiſſimos* ſibi Cardinales aſciſcant, & *bonos* maximè, atque *idoneos Paſtores ſingulis Eccleſijs præficiãt* ſeſſ. 24. c. in fin. ex *muneris ſiquidem ſui officio ſollicitudinem in hoc potiſſimùm impendere tenẽtur*, vt ibidem præmittitur. Cauendum, ne R.P. e priuatis affectibus, nonnulla minùs neceſſaria velint omnino, & cum aliquibus ferè omnia ſeruari decreta, multa verò, & maioris ponderis permittat, non obſeruari, in illis diſpenſet &c. & cum certò ſtatuit aliquibus non concedere diſpenſationem, vel conceſſionem, quam petunt, dicant, obſtare Conc. Trid. ac nolle illi derogare, cum verò aliqua offeruntur, vel in gratiam Conſanguineorum &c. facilè diſpenſationem elargiantur, aſſerentes ſe eſſe ſupra Concilium &c. Atque hac ratione veluti cerea habeantur multa T. C. decreta, ac non leuia &c.

L. Non temerè ſentiat, aut loquatur de Diuinis Conſilijs R.P. quæ

imper-

imperſcrutabilia ſunt, at æquiſſima ſemper, licet videri poſſint minùs rationabilia; illa, vtpote diuina, longè humanam noſtri intellectus imbecillitatem exuperant. Vbi partes ſuas pro facultate ſua in munere Pontificio expleuerit prorſus, ſuis in Dominico agro laboribus fructum non reſpondentem agnoſcens, Diuinæ ſe conformet voluntati, quæ in omnibus maiorem ſui gloriam proponit ex infinito ſui ipſius amore; eam autem ipſe, vt Dei Vicarius, in cunctis actionibus ſuis proponere debet, ſed veram, non ſimulatam inſtar multorum. Deus præterea *Pater* eſt, qui omnia in ſuorum tandem filiorum commoda quæcumq. agit, & permittit.

LI. Ne ſalutem amittat æternam, ſeu vt quodcumq. crimen læthale vitet, caput etiam gladio offerre tenetur R. P. Qui ſæpiùs meminiſſe debet, nullum inter mortales eſſe magis expoſitum periculis mortaliter peccandi propter multiplices ſui muneris obligationes, redditurus planè rationem de cunctis Chriſti ouibus, quæ ſua peribunt negligentia, ac nominatim pro non lectiſſimis Cardinalibus, ac dignioribus inter cæteros ſibi aſciſcendis, ac Epiſcopis non idoneis, aut minùs dignis, quam alij, Eccleſiarum regimine demandato, vt mox ſignificatum; in his enim poſt ipſum adminiſtratio vniuerſalis Eccleſiæ, & particularium Eccleſiarum innititur: Quamobrem abſque vlla prorſus dubitatione læthalis peccati reus erit, ſi pleroſque ſaltem haud nominet Cardinales ijs exornatos animi dotibus, quæ iure requiruntur, & non eligat, vel confirmet Epiſcopos, niſi aliunde ſibi penitus conſtet eorum habilitas, iuxta formam a Trid. Conc. præſcriptam ſeſſ. 24. c. 1. illius obſeruantia ſeuerè exacta a Cardinali relatore, & alijs tribus Cardinalibus, quam copioſiùs explicauit *Greg. XIV.* Bul. 6. an. 1591. Maij 15. Nouerit quidem, licet diſpenſare poſſit e rationabili verè cauſa, non penitus arbitraria (quæ pro diſpenſationis qualitate maior, & minor eſſe debet) in legibus poſitiuis, imò illis derogare, illas abrogare, licet eſſent latæ a Concilijs Generalibus, & præſertim a Trid. Concil. cum in ſpectantibus ad Reformationem apertè illius Patres declarauerint ſeſſ. 7. init. cap. de Reform. & c. 21. ſeſſ. 25. *Saluam ſemper eſſe Sedis Apoſtolicæ auctoritatem*; non tamen poſſe diſpenſare, derogare, abrogare illa, quæ ex iure naturali, ac diuino, eu ex natura rei requirũtur ad tale munus, vel officium; quamobrem plurimi Canones; plurimæ leges Pontificiæ non condunt nouum ius, ſed explicant antiquum, ac naturale ipſum, ac ſunt illationes certæ e certis iam omnino principijs; & huiuſmodi ſunt plures leges ad Reformationem pertinentes in Trid. Concil. ac nominatim agentes de Cardinalibus, Epiſcopis, eorumq. electione &c. Præterea quis ſanæ mentis dubitauerit, quin mundiſſima præ cunctis fidelibus debeat eſſe R.P. anima, adeoque peccata quoque venialia deteſtari ita debeat, vt quodlibet prorſus incommodum ſubeat, quam in vllum conſultò labatur? *Cum autem poſſit contingere*, vt quamuis nonnulla primò agens, aut decernens meritoriam coram ipſomet etiam Deo actionem exercuerit propter inuincibilem prorſus ignorantiam

iuris,

iuris, vel facti, & quædam minùs iusta, ac æqua ab ipso impetrata fuerint per *subreptionem*, vel *obreptionem*, ac etiam *importunitatem*, & quædam docuerit experientia, siue a se, siue a suis prædecessoribus facta, vel decreta, non esse fidelium animabus opportuna; aut iustitiæ, vel etiam æquitati non consentanea fuerit postea deprehensum: tunc tenetur R.P. reuocare iam acta, & statuta; sicuti S. Petrus audita Christi comminatione statim v.9. retractauit, quod Christo ob ingentem in illum reuerentiam dixerat prius v.8. *non lauabis mihi pedes in æternum*, Sic fecere, ac decreuere, & priscis, & posterioribus quoque sæculis R.P. *De Priscis* patet legenti 35.q.9. C. *Quod quis*, & C. *Veniam*, & C. *Sententiam*; & multorum exempla Episcoporum, qui a prædecessoribus depositi, a successoribus restituti fuere, reponuntur ibi C. *Gregorius Quartus*, ac plurium d. 50. C. *Ioannes Chrysostomus*; *De Posterioribus* patet *S. Bern.* ep.181. ad *Innoc. II.* legenti, vbi tradit esse hanc peculiarem A.S. laudem, *vt non pigeret reuocare, quod a se fortè deprehendisset fraude elicitum, non veritate promeritum*. Hinc Tituli de *Rescrip.* in 1. & 6. Decret. nouerunt enim R.P. quamplurima impetrari in Curia Romana *per obreptionem, vel subreptionem*. Hinc reuocauit nonnulla *Innoc. III.* cum Concil. Lateran. Patrib. de Consang. & Affin. C. *Non debet*, ac *Bonif. VIII.* C. *Alma mater* de Sent. Excom. in 6. & *Clem. V.* cum Concil. Vienn. Patr. duas nominatim Constitutiones, *Bened. XI.* cap. 2. *de sepult.* & *Bonif. VIII.* c. vnic. *Immunit. Eccl.* reuocauit; vt etiam Ioan. 22. aliam *Nicolai IV.* c. 2. de verb. signif. & a se etiam concessa complures facultates *Sixtus IV.* c. 5 *de Pœnit. & Remis.* sicuti & Bonif. VIII. c. 15. de Rescr. qui & c. 11. in melius reformauit statutum a se conditum circa Iudices a S. A. deputandos, rationem sapienter addens, *cum quædam contenta in eo, quæ pro communi vtilitate credebantur inducta* (*sicut experientia docuit*) *tendere dignoscantur ad noxam*. Et non solùm non est reprehensibile, vt habet *Pius V.* in Bul. 9. quod *R.P. si ob innumeras occupationes, & particularium rerum quarumlibet status ignorantiam contingat ab eo quandoque literas emanare, quæ in magnum aliquorum præiudicium redundare noscuntur, eo cognito eas reuocet, & limitet, aliaque disponat &c.* Qui etiam Bull. 90. ait, *R. P. circumspectam Prouidentiam nonnunquam gesta per R.P. prædecessores reuocare, & moderari &c.* Verùm esset reprehensibile, si id non faceret; Etenim iniustũ plane est, vt inde *nascantur iniuriæ, vnde iura nascũtur*, vt scripsit *Inn III.* c. 17. de Accus. ad Ep. Verc. & Ab. de Til. e quo principio illis mandauit, *vt ad conscientiæ suæ iudicium recurrentes si cõtra Ordinem debitum Inquisitionis tanquam homines excessissent, non puderet eos errorem suum corrigere, qui positi erant, vt aliorum corrigerent errores; quoniam apud Iudicem districtum in qua mensura mensi fuissent, remetiendum erat ipsis*; quæ quis non affirmauerit potiori iure R. P. accommodanda? Non erubescit Imperator *in Auth. de nupt. in princ.* dicere, *non erubescimus, si quid melius horum, quæ priùs ipsi diximus, adinuenimus, competentem prioribus imponere correctionem*; quod sæpe in Auth. maximè Iustinianus egit profectò: Et erubescet id agere R.P.?

Auer-

Auertat Deus, ne vnquam R.P. a nonnullis hoc Axioma discant, *Esse indecorum R.P. honori A.S. detrahi, si reuocetur gestum, aut decretum a prædecessoribus, vel a se, si minùs iustum, æquum, ac rationi consonum postea agnoscatur*, deductum ex alio verè ex inferis educto Axiomate, quod R.P. habeat ius in quorumcumque non solum rem, sed & famam, ac honorem; & hoc Axioma quidem multi (quod longè iniquius) inferiores videntur practicè prosequi, dum alijs apertè detrahentes, alios calumniantes &c. nunquam palimodiam canunt, e præsumptione, vt nonnulli opinantur, iuris in horum famam &c. quæ opinio non est planè temeraria, cum hoc sæculo concedatur ius occidendi alios multis hominibus priuatis, quibus prisca sæcula omninò denegarant, vel nunquã somniarunt illud concedi posse. Incipiet tunc esse R.P. formaliter iniustus profectò, cum iniustam, aut minùs æquam legem, actionem &c. vel commissam ex ignorantia, vel inaduertentia, non emendauerit. Tenetur Iudex interlocutoriam, Supremus Princeps finalem sententiam reuocare, iniustitia post illas cognita. Pudeat semper R.P. non præstare id, quod ne dum *S. Aug.* in lib. retract. inter S. Patres, inter Theologos *S. Th. Scotus* &c. sed & laici homines, ac Ethnici quoque Primarij, vt *Hippocrates*, & *Galenus* inter Medicos, inter Iurisconsultos *Papinianus*, *Scæuola*, *Iulianus*, inter Oratores *Cicero*, *Catulus*, atque *Lucullus*, & alij apud *Quintil.* c.6. lib.3. Instit. egere. *Magnorum Virorum* hunc morem esse, inquit *Cels.* lib.8. c.4. *& fiduciam magnarum rerum habentium; nam leuia ingenia, quia nihil habent, nihil sibi detrahunt; magno ingenio, multaque nihilominus habituro, conuenit etiam simplex veri erroris confessio.* Reliqua profectò illius decreta, statuta, litteræ Apostolicæ, Breuia, & his similia quolibet nuncupentur nomine, censebuntur æqua, ac iusta, cum fideles existimaturi sint, hæc pariter ab illo retractanda, si minùs æqua, ac iusta fuissent: Ampliorémque hinc laudem consequetur R.P. si puniet, & seuerè, illos, qui falsitatem suppresserint, aut veritatem occultauerint, & multò magis, si clam, & callidè, & assentatoriè, vel sophisticis, vel non plane certis rationibus ipsum impulerint ad dirimenda quædam inter insignes Doctores Catholicos controuersa (& maximè si hinc aliorum fama minueretur) aut ad concedenda sibi insolita quædam, & cum insolitis clausulis, & adhuc potissimè, si ex illis R.P. futurorum potestati videretur detrahi; Cuius minoris enimuero obseruãtiæ in A. S. vtinam nullum appareret vestigium in Bullis nonnullorum Pontificum, quæ cẽseri nequeũt sanè ex eorum prodijsse legitima mente. Timidi, ac in fide infirmi R.P. potest esse, non reuocare quædam nonnullis præcipuè Regularibus, qui peculiari nomine sibi sunt subiecti concessa, si non ex oneroso contractu; at non timentis Deum erit, si non reuocet iniusta quælibet, aut parum æqua, & *quæ tendunt in noxam*, vel in non communem vtilitatem. Imò etiam, si nouæ sibi occurrant rationes, aut ab alijs suggerantur suadẽtes, magis iustam, æquam, opportuniorem, ac salubriorem fore aliam legem, quam priorem, quãuis hæc non fuerit difformis iustitiæ, ac æquitati, non repugnans vtili-

P tati

tàti subditorum &c. vel debere, vel posse concedi, quæ priùs aliqui postulauerant, siue rogauerant, sibi *proponat Petrum*, vt ait *S. Cyril.* lib. 9. in hoc c. 13. Ioan. *qui & si dixerit*, non lauabis mihi pedes in æternum, *cedit tamen confestim*; & subdit, *& nos, si quid exciderit, etiamsi probè dictū videretur, cum tamen aliud melius appareat, quàm primum, illud amplectamur*. Sic & Christus Matth. 15. a v. 23. quod quasi irreuocabiliter pro muliere Chananæa rogantibus Apostolis negauerat, recenter humili illius precatione audita, filiam mulieris (quod primò petierat) a dæmonio liberauit. R.P. memor sit, Salamonem, cum ei apparens Dominus dixisset 3. Reg. c. 3. v. 6. *Postula quod vis, vt dem tibi*, hoc tantùm petijsse v. 9. *Dabis ergo seruo tuo cor DOCILE, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum, & malum*. Inflexibilitas ad meliora quoque consilia est cuique sapienti dissentanea, ac multò magis Principi, & ante cæteros Principi in Ecclesiastica Hierarchia. Quid si a minùs iustis, ac æquis ad iusta, ac æqua ille flecti non possit, vani, falsique hon ris larua inflexibilitatem insipientissimè prorsus tegens! Hic certè non timeret illas Christi minas Petro propositas, *Si non lauero te, non habebis partem mecum.*

LII. Miræ humilitatis exemplum primò præbuit Christus, ac deinde illius imitationem suis proposuit discipulis, & maximè Petro, qui iam designatus erat suus in terris Vicarius, a quo incepisse pedum lotionem *Aug. Beda, Rup.* alijque latini interpretes putant. Humilitas interior semper, exterior autem, singularisque interdum, fulgere debet in R.P. Nullam virtutem magis commendauit Christus, quam Caritatem, & Humilitatem; & *ad imitandum* quidem *humilitatis exemplum, vt Carnem ipse sumeret, & Crucem subiret*, Deum *fecisse* in Orat. Dom. Palm. canit Ecclesia; & hanc a se disci iubet ipsemet Christus Matth. 11. v. 29. atque *Ciuitati Dei in terris peregrinanti maximè commendari humilitatem, & in eius Rege, qui est Christus, maximè prædicari*, ait *S. Aug.* lib. 14. de Ciu. c. 13. subdens, *Contrariumque huic Virtuti elationis Vitium in eius aduersario, qui est Diabolus, maximè dominari sacris litteris edocetur*. Quamobrem nullus magis in humilitate excellere debet, quam R. P. Christum exhibens in terris. Omnium sanè virtutum *Humilitas* fundamentum (indirectè, ac dispositiuè) dicitur a *S. Bern.* lib. 1. de Consid. & priùs a *S. Aug.* ser. 10. de Verb. Dom. Prima fundamenti Ecclesiæ a Christo institutæ petra Petrus est, in infimo scilicet loco reposita: Vnde & Christus maioritatem in Ecclesia supra alios constituit apertè in minoritate infra alios Matth. 19. v. 26. 27. Marc. 10. v. 43. 44. Luc. 22. v. 26. & prius quoque enunciauit dilucidè Apostolis Marc. 9. v. 34. *Si quis vult primus esse, erit omnium nouissimus, & omnium minister*; & Luc. 9. v. 48. qui minor est inter vos, hic maior est; vnde ostendit, *quò quisque magis humilitate excellit, eò magis dignum esse, vt ad maiorem in Ecclesia auctoritatem euehatur, & quò maiore quisque auctoritate fulget, eò se demittere magis ad humilitatem debere* ait Mald. ad c. 9 Marc. v. 35.) *vt quò quisque in Ecclesia, eò etiam in regno cælorum maior sit, & terrenis cæle-*

cælestia respondeant. Quod vt indicaret quoque, puerum complexus, siue in vlnas accipiens (*significans*, inquit Beda, *humiles suo dignos esse complexu, & dilectione*) statuit in medio discipulorum illis dicens Mat. 18.v.4. *Quicumque ergo humiliauerit se, sicut paruulus iste* (nihil illo humilius, non se æstimat, non de honore excogitat, non supra alios semet effert, nullum contemnit &c.) *hic est maior in regno cælorum*. Non erit autem R.P. non solum maior in regno cælorũ, sed nec intrabit in regnũ cælorum, si non fuerit humilis, sicuti paruulus; nam v.3. protestatus est Apostolis, *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis, & efficiamini, sicut paruuli, non intrabitis in regnum cælorum*, imò nisi fuerit magis humilis, quã cæteri omnes; Exploratissimum siquidem est, maioritatem, seu primatum in Ecclesia esse verè, ac realiter e Christi institutione ministerium, seu seruitutem omnium, ac iuxta Euangelicam veritatem, R. P. esse *Seruum Seruorum Dei*; ad oues enim Christi pascendas, adeoque in bonum Christi ouium Pontificatus fuit Petro collatus, pariterque omnibus R.P. confertur. Quamobrem cum ampliorem, quam cæteri omnes superbiendi materiam subministret Romanus Pontificatus (vt n. 10. indicatum iam fuit) ex opibus, honoribus, potentia, auctoritate, qua potitur etiam apud Catholicos Principes, copiæ tot Clericorũ, ac Regularium, Ecclesiasticarumq. personarum, quæ illi peculiariter subiecti sunt, & ex administratione tot redituum Ecclesiasticorum, nõnisi summè coram Deo humilis in Petri Cathedra collocandus; Secus enim facilè ex illa in semper lugentium terram decidet. Humilis erit R. P. SI *Primò* (ad quod multum conferent, quæ dicuntur a *S.Bern.* lib.1. de *Consid.* & ab *Innoc.III.* init. lib.1. de *Contemp.Mundi*) se ipsum coram Deo agnoscens, tum quoad animam, tum quoad corpus, seu ad *lumen veritatis constitutus, se ipsum, & sine dissimulatione inspiciens, & sine palpitatione diiudicans*, vt inquit idem *S.Bern.* ser.42. in Cant. *interius* contemnit se ipsum, reputat se omnibus Dei donis, ac nominatim Pontificatu, indignum, & ad omnia munera Pontificalia (quantum est ex se ipso) ineptum; & hinc veritatis amore compulsus non cupit ipse ab alijs magni æstimari, honorari, vel laudari, imò potiùs vilis haberi, atque contemni, ac dolet sè magnì fieri, & coli; nec signa honoris, ac venerationis admittit, nisi ratione officij Pastoralis, referens sincerè hæc hæc in Deum, & Christum; atque se improbiorem, ac deteriorem cunctis censet, attendens in se ea, quę ex se habet, & in alijs, quæ ex Dei munere habent; atque in omnibus ita se Deo subijcit, vt pro libito prorsus se tractet, vt Dominus vile mancipium, figulus testam &c. nihil vnquam velit, vel optet, quod diuinis repugnet vllatenus mandatis; Diuinaq. tandem consilia pro humana fragilitate exequitur. Magis autem adhuc humilis euadet, si candidè ante Deum animaduertit, se ijs qualitatibus destitutum esse, quæ profectò requiruntur in R. P. & se alijs prælatum, qui re ipsa erant digniores. Quid si interdum perpenderit, se summam hanc dignitatem non medijs omnino laudabilibus coram ipsis hominibus, vel hypocritis ante Deum fuisse assecutum!

Eritne huic locus æstimationi sui ipsius, qui est primus superbiæ actus, contemptui aliorum, desiderio honorum, & ampliorum procurationi, alijsque vitijs e superbia *matre omnium vitiorum* e S. Greg. lib. 31. Mor. c.31. prodeuntibus? Pontificatus erit potiùs se ipsum noscenti gradus ad eos septem gradus, quos *S. Ansel.* lib. de similit. a c.99. vsque ad 108. vel ad duodecim quos *S. Bened.* in Reg. c.7. tribuit humilitati (quibus duodecim superbiæ gradus opponit *S. Bern. in Tract. de Grad. Humil.*) vt perfectè homo humilis sit; quam perfectionem sane æmulari ante alios R. P. debet. *SI Secundò* Humilitatis argumenta præbuerit *exterius*; hoc est. *SI* 1. *Humiles quasdam actiones consuetas Feria 5. Hebdomadæ sanctæ lotionis pedum pauperum duodecim, illis aliquantulum in mēsa inseruiendi, & quandoque peregrinorum lotionis apud Confrat. Sanct. Trin. non fucatè exerceat, & ad pompam solum, seu ostentationem, seu caremoniam, vt vulgo fertur. 2. Laudes, quas sibi immeritò tribui nouit, penitus reijciat, & sibi inuisam quamlibet adulationem ostendat. 3. Quosdam titulos abnuat dominatum præferentes; vnde non pauci e Catholicis non commendant, quod dicatur Sanctissimus DOMINVS NOSTER; eosque reprehendat, qui insuetos quosdam titulos, insueta quædam venerationis signa exhiberent. 4. Quasdam opiniones verè assentatorias, & plus æquo suæ dignitati tribuentes probibeat, ac e libris deleri iubeat. 5. Placidè cum omnibus planè loquatur; nec indignetur, si quis, & potissimè, si in aulis non versatus, in verbis, aut in corporis motu minorem in ipsum obseruantiam præferat. 6. Pauperibus det ad se aditum facilem. 7. Quandoque pios, licet conditione vulgares, homines, & maximè si in sacris litteris eruditi, mensa excipiat. 8. Interiores ipsius vestes modici sint pretij. 9. Apparatus sui cubiculi ac lecti non sit sumptuosus. 10. Suos e familia, si ægroti sint, sæpe inuisat, & quandoque etiam manu sua medicamenta illis porrigat. 11. Conscius minoris suæ sapientiæ, ac peritiæ aliorum, & sapientiorum, & peritiorum consilijs adhæreat. 12. Non facilè aliorum dicta, factaque iudicet, aut alijs iracundè contradicat. 13. Euitet locutionem, ac etiam auditionem de ijs, quæ etiam præclara egisset, aut ageret in Pontificatu. 14. In priuatis quibuslibet colloquijs benignum, familiarem, affabilem se ostendat. 15. Ab alijs, & maximè ab antecessoribus Pontificibus acta non passim vituperet, & benè actorum a R. P. laudem non extenuet; atque commendet præclaras quorumcumque actiones, licet ipso nesciente, aut non iubente. 16. Non inanibus planè excusationibus suos in Pontificatu defectus tegat, sed simpliciter illos fateatur, ac emendet. 17. Corrigi optet amicè, admonitionesque libenter suscipiat, corrigatque se ipsum, si legitimæ fuerint; si non, haud amicum correptorem, admonitoremque minori, quam antea, prosequatur amore. 18. Loquacitatem vitet, ampullosaque verba, & affectata, ita vt videri velit sapiens in sermone, sed vnà quoque agrestia, aut rustica. 19. Incessus sit grauis, sed sine elato supercilio, rugosa fronte, oculis toruis, vultu seuero &c. 20. Non sit in suis pertinax sensibus; aliorum verò meliores, aut opportuniores, & potissimùm Ecclesiæ commodis, prosequatur, aliorumque consilia petat vltrò, cum negociorum graue est aggressurus, longè remotus ab*

existi-

existimatione, quod peculiariter sibi Diuinus assistat spiritus, ne erret; illum enim ad summum sibi polliceri potest in definitionibus fidei, & eorum quæ ad bonos mores Christianos pertinent; in alijs errare nō minus potest, quam alij. 21. Facilè iniurias condonet suas. 22. Imperiosum, inflatumque a suis aulicis agendi, & loquendi modum remoueat. 23. Eos præsertim amet Regulares, qui humilitatem præferunt. Denique breui, vt sicut seruorum Dei seruū R.P se profitetur (sic suggesserunt Basil. sess. 23.) ita opere cōpleat, ne inanis hæc professio sit. Vitandum sanè R.P ne hæreticis detur occasio confirmandi se in opinione, quod ipse sit omnium superbissimus, sedens instar luciferi in Monte (Vaticano) Ezech. 28. v. 16. seu in templo *Dei* (Vaticano) instar Antichristi 2. Thess. 2. v. 4. Hanc potius vt euellat, frequentia præbeat *externæ* humilitatis signa, quæ *internam* manifestēt. Humilitatis, non superbiæ sedes debet esse Romana Sedes. Minorem semper venerationem consequetur R.P. a Principibus, & populis, quò magis se superbum ostenderit, maiorem profectò, si humilem; id enim Christus promisit Luc. 14. v. 11. & 18. v. 14. & experientia in priscis R.P. ostendit. Indignum se semper putet vnà cum Petro Luc. 5. v. 8. sessione in naui Ecclesiæ cum Christo, ac Petro. Verè hic humilis sit; & nihil illi arduum videbitur; nihil non aggredi dubitabit, cum id Dei honori, ac Ecclesiæ bono expedire iudicauerit; nec vultum, minasue *potentum* timebit &c. sicuti nec Christum, licet humillimum, deterruit auctoritas summa Scribarum, & Pharisæorum ab illorum frequentissima, & acerbissima reprehensione; nec *Ioannem* pariter humillimum Ioan. 1. v. 27. Luc. 3. v. 16. a reprehensione de Herodiade vxore fratris sui, & de omnibus malis, quæ faciebat Matth. 14. v. 4. 5. Marc. 6. v. 17. 18. Luc. 3. vers. 9. auertit potentia Herodis Regis. Humilitas profectò hominem maximè generosum reddit, vtpote Dei auxilio solummodò nixum, iuxta illud Apostoli, *Omnia possum in eo, qui me confortat*: Nec pusillanimem reddit, inclinans ad talem sui abiectionem, vt redundet in iniuriam status, in quo constitutus est, vel officij, quod gerit, vel in incommodum illorum, quibus prodesse potest, vel debet. *Breui* R.P. verè humilis, quę magnanimitas, ac fortitudo Christiana suadet, nunquam non aget: Quod non solum significat S. Greg. in 1. Reg. c. 3. sed & vbi Christus cœlum adiuit experientia declarauit in Apostolis, atque omnibus ijs, qui sanctitate valde insignis fuere, qui nō dubitarunt plurima aggredi, prosequi, ac tandem conficere difficillima, ac humanos conatus penitus exuperantia, dum ea Dei gloriæ, ac honori, animarumque saluti necessaria, vel opportuna iudicarunt; vt notum est legenti gesta Apostolorum, compluriumque R.P. Episcoporum, aliorumque etiam laicorum sanctitate fulgentium. Nihil certè conatus est Lucifer, & conatur in dies, quam R.P. reddere superbos, idque augmento in primis diuitiarum, ac potentiæ in temporalibus, nec non adulatorum; certus omnino, quod sicut *in ipsius superbia initium sumpsit omnis perditio* Tob. 4. v. 14. Is. 14. v. 13. Ezech. 28. v. 16. atque *initium omnis peccati est superbia* Eccl. 10. v. 15. ita si cæpisset, aut inciperet dominari superbia in R.P. ac

in Romanis Curialibus, eos facilè in cætera prolapsuros vitia, ac præ-cæteris in spiritualia superbiæ affinia. Quod monitum *Tobias senior Iuniori* tradidit, semper fixum sit in R.P. mente Tob. 4. v. 14. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio:* Sumet siquidem in illa initium omnis perditio, cum animæ ipsius, tum spiritualis Regni Pontificij.

Luc. 22. v. 31. & 32.

LIII. CVM soleat Diabolus fortissimos eligere, quos oppugnet, vt victoria sibi gloriosior sit, & cæteri vel terreantur, ne virtutis iter arripiant, vel ab eo retardentur; quamuis R.P. exornatus sit virtutibus verè singularibus, timeat nihilominus semper, ne vaserrimi hostis expugnetur insidijs. Si non ex Angelorum numero, sed e superiore ordine censetur, nec omninò temerè, electo R.P. illius Custodem constitui a Deo; verisimile etiam est, supposita opinione, quam ex antiquo libro *Pastoris*, ac epistola *Barnabæ* olim apud Christianos multæ auctoritatis, vt traditionem acceperunt: *Orig.* Hom. 10. in Luc. & lib. 3. de Princ. c. 2. *Cassian.* collat. 8. c. 17. & collat. 13. c. 12. *Beda* in c. 12. Act. Apost. *Greg. Nis.* in Vita Moys. *Auct. Imperf.* Hom. 5. in Matth. quod vnusquisque homo, etiam malum Angelum habeat peculiarem, a quo impugnetur, non minùs ac bonum, a quo defendatur; quod electo Pontifici dæmonum Princeps aliquem e primarijs satellitibus suis constituat, qui ipsum excitet ad vitia, & crimina, retrahatque a virtutibus, præclarisque actionibus, quas suadet bonus; & aliquos etiam sagaciores subroget alijs iam astantibus R. P. Consanguineis, Affinibus, & illis, quos singulari auctoritate apud eum potiri cognoscit. Exploratissimum illi est profectò, si R. P. ad sua pertrahat vota, *innumerabiles animas cateruatim secum ducendas in gehennam* d. 40. C. Si Papa. *Expetiuit* quidem *Satanas cribrare omnes Apostolos, sicut triticum.* Verùm Christus peculiariter *orauit pro Petro.* At peculiariter selecto dæmone non opus erit R. P. vulgari prædito virtute: satis erunt loco illius Consanguinei, Affines, Aulici quidam, Assentatores &c. *Qui quandoque appellari queunt Diaboli R. P. assistentes, sicut & Iudas a Christo dictus fuit Diabolus Ioan. 6. v. 70. traditores optimi ex se cæterà Pontificis.*

LIV. Rogauit Christus, ne Petri *fides deficeret* pro semper, vel etiam ne interiùs vnquam. Roget sæpenumero Christum R. P. ne Catholica fides vnquam deficiat in se ipso, vel modicissima euadat; ita vt exteriùs vix appareat, ipsum credere Euangelio, æternamque vitiorum punitionem, virtutumque mercedem; & pariter ne id vnquam contingat nominatim in vllo Cardinali, vel Episcopo quoque, quorum status Apostolorum referunt.

LV. Non

LV. Non erit R. P. idoneus ad confirmandos magis in fide *fratres suos*, seu hi sint Cardinales, & Episcopi, siue potiùs quilibet alij fideles, si ipse sit infirmus in fide ob mores Fidei dissentaneos, vel non sit potẽs e doctrinæ defectu Euangelicam declarare doctrinam &c.

LVI. Quamuis complures ex hoc loco colligant infallibilitatem definitionum Pontificiarum, ita vt verissimæ sint, ac indubitatæ fidei; attamen *PRIMO Attendendum* R. P. est 1. *illos, qui asseruerunt* (inter eos fuerunt viri etiam doctissimi) *Ioan.* 22. *non licuisse declarare, vel statuere*, quod Fratres Minores non habeant simplicem vsum facti in rebus, quibus vtuntur, suam assertionem non fundasse, vt habetur c. 5. Extr. de verb. signif. in hisce Christi verbis ad Petrum, *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua*, quæ videntur esse clariora, sed *in claue scientiæ*, per quam antecessores Pontifices definierant contrarium. 2. *aliquos e Catholicis*, & illustres *viros, ea explicare de personali fide Petri*; quod & colligere se aiunt e sequentibus, *Et tu conuersus confirma fratres tuos*, ly enim *conuersus* ex *S. Amb.* in Ps. 43. *Theoph.* ac *Euthym.* significat conuersionem a peccato, quo Christum negauit Petrus; acta siquidem de illo pœnitentia confirmauit cæteros deinde Apostolos in Christi fide, & peculiariter de Resurrectione: Quis autem dixerit, oportere, vt R. P. peccet contra fidem, vt possit confirmare reliquos fideles in fide? praterquam confirmatio in fide supponit iam fidem, sed firmiorem reddit; Sicuti & quando R. P. confirmat Priuilegia, non concedit illa, sed supponit iam concessa, solùmque maiorem firmitatem illis impertit. 3. *Aliquos etiam illustres viros existimare, locutum fuisse Christum de fide*, quã iam Matt. 16. professus fuerat Petrus de Christi diuinitate; hæc enim cum maximè fulserit in Petro, in ea voluit Christus, vt maximè reliquos confirmaret Apostolos. 4. *Cum Petrus sit Ecclesiæ Caput, per Petrum designari Ecclesiæ ipsius fidem, complures etiam doctos censuisse*; idque e in primis e *S. Aug.* auctoritate, cuius verba quoque reponuntur 24. q. 1. c. 6. præter alia, affirmare; Ecclesiæ siquidem vniuersalis fides numquam deficiet &c. 5. *illos, qui putant præferendam esse potestatẽ Conciliarem Pontificiæ* (quorum opinionem qui temerariam vocaret, temerariè prorsus loqueretur, cum sit controuersa inter sapientes, pijssimosque Catholicos) infallibilitatem demum fidei definitionum ascribere Concilijs Generalibus, non Pontificibus; in quæ etiam, nec semel, S. Aug. in lib. de Bapt. contra Donatistas, vult fidei quæstiones planè resoluendas; ac ly *ex Cathedra* explicare de R. P. definientibus cum Concilij Generalis Patribus. 6. *Ioan.* 22. *videri* in allata iam Extr. sensisse, quod hãc infallibilitatem non habeant decreta Pontificia; alios verò, si vniuersalis Ecclesia deinde illa approbet, vt certa, illam tantum admittere &c. 7. *Ex ijs quoque, qui præferunt iurisdictionem Pontificiam Conciliari*, infallibilitatem tamen definitionum resoluere quosdã in decisionem Conciliarem, tanquam certiorem, licet per accidens. 8. *Ex ijs, qui resoluunt infallibilitatem hanc in solam decisionem Pontificiam*, fermè omnes velle, vt antea R. P. præmittat diligens examen circa definienda;

da; & tamen Christus simpliciter dixit Petro, *Ego pro te rogaui, vt non deficiat fides tua*, nihil addens de præhabendo consilio, vel præponenda inquisitione; *& præterea quosdam hãc infallibilitatẽ non ascribere Pontifici, vt sic*, sed Pontifici cum Collegio Cardinalium, qui sunt illius Concilium; cum enim Pontifex vnanimiter cum Cardinalibus aliquid proponit Ecclesiæ, vt dogma fidei, aiunt tunc errare non posse; & sic explicant, quod *Sedes Apostolica*, vel *Ecclesia Romana* errare non possit; vnde & obseruant cum *Archid.* ad illa *Agathonis* ad omnes Episcopos d.19. *Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tanquam ipsius Diuini Petri voce firmatæ sint: CAVTE ibi positum, Apostolicæ Sedis Decreta, & non Apostolici, cum Sedis Apostolicæ sanctiones, siue sententia a R.P. in iudicio prolata intelligatur ea, non quæ occultè, malitiosè, aut inconsultè per solum R.P. aut aliquos ei fauentes, non vocatis alijs, seu contemptis, in fraudem profertur; sed quæ ab ipso R.P. qui maturo priùs, & graui sapientum virorum, & Cardinalium maximè Concilio, rem ipsam examinauerit, profertur. 9. Omnes consentire, quod in ijs quæ de facto sunt, possit R.P. sicuti & Generale etiam Concilium errare;* quod cunctis fidelibus proponitur c.28. de sent. excom. ex Innoc. III. ac non temerè a plurimis erroneam (forsan aptiùs *stultam*, seu *insanam*, vt *Almarici* dogma appellat Concil. Lat. in fin. tit. de *Sum. Trin.*) opinionem vocari illam, quam aliqui ab an. 1663. typis etiam consignarunt, *Papam errare non posse in ijs, quæ de facto*, tribuendo illi ipsius Christi infallibilitatem omnimodam, & hoc ad tuendum, quod cum aliqui P.R. affirmauerint, aliquas propositiones reperiri in aliquo libro, verissimum sit, quod illæ ibi reperiantur: Qua re quid magis ridiculum, si ibi re vera non sint? An non decepti planè fuissent illi P.R. qui id asseruissent? Ad quæ, *heu*, ad A.S. valdè præiudicialia, ne dum indecora, aliquorum auctoritas in Vrbe non impellit? 10. *Celebres etiam Theologos non eamdem infallibilitatem tribuere R.P. in definitionibus circa bonos mores, nisi sint expressi in sacris litteris, quam tribuunt definitionibus fidei*; ideoque definitionibus, quæ penderent e sola Philosophia morali, vel e testimonio quolibet humano, aiunt, non esse firmum fidei assensum a fidelibus præstandum; nam fides Catholica diuinæ tantùm reuelationi innititur, quæ habetur in Verbo Diuino scripto, aut tradito; quod solùm declarare, non verò condere potest R.P. CVI *secundò Attendendum est* 1. *Petrum ipsummet, licet esset in gratia confirmatus, potestatem haberet miracula patrandi, intelligentiam a Christo scripturarum accepisset* Luc. 24. v. 25. *auctoritatem haberet Canonicam scripturam condendi* (quæ quatuor profectò R.P. nullus concedit) Principem iam Apostolorum, ac totius Ecclesiæ Præsidem, cum statuendum fuit aliquod pertinens ad fidem Act. 15. *Conuocato Concilio, & magna inquisitione facta*, suam protulisse sententiam. 2. *Haud e priuatorum, & familiarium sibi*, & non quæsito aliorum sapientum, & sincerorum hominum cõsilio, opportunum R.P. & sępè necessarium esse, Bullas complures condere, ac nominatim spectantes ad Regulares familias; *tum quia* a sagacibus nonnullis decipi facillimè

queunt;

queunt; *tum quia* non rarò inde aliqui sibi suadere queunt, prorsus quælibet in ijs contenta esse infallibilia prorsus, ac illis Bullis, licet prolixis valde, astitisse S.Spiritum, ne in illis prorsus errarent, & generalia quædam verba nullam admittere limitationem, seu exceptionem; præterquam addi possunt Clausulæ quædam derogantes etiam S. A. auctoritati. 3. *Sicuti prudenter agit P. R. dum prohibet, exteriùs aliquas opiniones sustineri, doceri, imprimi, e quibus iurgia, ac seditiones inter conspicuos doctrina viros*, vel scandala in populis nō rarò exoriuntur; ita interdū posse minùs prudēter agere, dum tanquā propositiones de fide promulgat, vel censuris grauibus notat quædam, de quibus lis est inter viros sapientia illustres Catholicos; nam & periti sciunt, dubium esse inter Catholicos, an sine Concilij Generalis approbatione, vel sine subsequenti Ecclesiæ consensu illas admittentis, vt certæ fidei, R.P. definitiones sint infallibilis veritatis; atq. periculum imminere potest, quod illæ non recipiantur ab Ecclesia vnanimiter cum R. S. dedecore; quod & faciliùs contingeret, si pateret, R. P. mirificè vni fauere parti, & ad eorum præcipuè postulata tales definitiones, vel censuras condidisse. Expedit profectò, vt priùs sensum illustrium doctrina Virorum, ac potissimè celebrium Academiarum Professorum sententiam inquirat; Si enim e cōsilio horum prodierint illæ, non poterunt ferme non admitti vbique, validosque propugnatores habebunt vbique. 4. *Ne in quibusdam purè Philosophicis, Mathematicis, Medicis, ac Iuris Ciuilis quæstionibus dirimendis se immisceat R.P.* cum & id ab illius dignitate alienum sit, ad quem quęstiones de Sacris Litteris, ac Traditionibus Diuinis spectant, & in illis expositus sit errori, vt communis fert sententia; vnde & solet asseri, errasse *Ioan.* 22. in Extr. 3. de verb. signif. dum voluit definire, Fratres Minures habere in rebus vsu consumptilibus vsum *iuris*, seu *Irreuocabilem*, & non solum *facti*, siue *Reuocabilis*, cum inter Iurisconsultos sit controuersia, an distinguatur vsus a dominio in rebus, quæ ipso vsu consumuntur. Quid si postea deprehenderetur manifestè, R.P. errasse in huiusmodi definitionibus? Hinc meritissimò *S. Th.* Opusc. 10. inquit, *Multum nocet talia, quæ ad pietatis doctrinam non spectant, vel asserere, vel negare, quasi pertinentia ad sacram doctrinam*; vbi subdit præclara verba ad hanc rem e S.Aug. in 1. super Gen. ad lit. inter quæ hæc, *Turpe est nimis, & perniciosum, ac maximè cauendum, vt Christianum* (multò magis R.P. definientem) *de his, quasi secundum sacras litteras loquentem ita delirare quilibet infidelis audiat, vt quemadmodum dicitur, toto cælo errare cōspiciens risum tenere vix possit*; & postea; *si quempiam de numero Christianorum in ea re, quam optimè norunt, errare deprehenderint, & vanam sententiam suam de nostris libris asserere; quo pacto illis libris credituri sūt de resurrectione mortuorum, & de spe vitæ æternæ, regnoque cælorum, quādo de his rebus, quas iam experiri, vel indubitatis numeris percipere potuerunt, fallaciter putauerint esse conscriptos?* An non experientia docuit in exitu 14. sæculi, errasse aliquos e SS. Patribus negantes Antipodas, ac cælum sphericæ figuræ, ita vt quidam, vt dogmata fidei

hæc affirmauerint? Quid si hæ definitiones proferrentur ex odio, quo aliquis R. P. alium prosequeretur Philosophum, vel Mathematicum (sic enim aliqui aiunt ex minori propensione in Fratres Minores *Ioan.* 22. definiisse quæstionem ad I. C. pertinentem) vel in gratiam aliquorum, qui forent infensi alicui Viro singularis famæ in Philosophicis, vel Mathematicis &c.? Multi prorsus sunt, qui non verentur contemptui, vel irrisioni, aut minori venerationi A.S. exponere, vt iniuriam, quam sibi illatam putant, vlsciscantur, vel inuidi gloriam alijs detrahant.

Ioan. 13. a v. 23.

LVII. OPeram det sedulam R. P. vt cum aliquod graue incommodum imminet Christianæ Reipublicæ, vel Catholicæ Religioni, fundantur ad Deum preces assiduæ, ac feruentes, ac præcipuè ab illis, qui inter Catholicos probitate insigniores habentur. Si publicas preces indixerit, studeat, tum Romæ, tum alibi (iubens Episcopos in hoc esse vehementer sollicitos) vt Clerici, & Regulares potissimùm, deuotè illis vacent; sic enim & reliqui idem præstabunt; Secus enim Deus non occurret in precibus, in optatis, in votis; quin potest irritari potiùs a peccatis, quæ committerentur nominatim ab Ecclesiasticis in eiusmodi publicis precibus, supplicationibus &c. maximè cum hinc accedat, & offensio non leuis laicorum, & quandoque hæreticorum etiam irrisio. Petrus per Ioannem, quem a Christo summopere diligi nouerat, a Christo petijt, quinam esset ipsius proditor.

LVIII. Si non dedignatus est Petrus per Ioannem a Christo petere, quinam ipsius foret proditor; haud dedignetur R.P. ab alijs discere, quæ ipsemet ignorat; nec putet vnà cum Pontificatu redditum se in Theologia, Sacris Canonibus, alijsue scientijs, vel artibus peritum. Peritis in qualibet arte, ac scientia standum esse, ac magis peritioribus præ minùs peritis, naturalis docet prudentia. Memor sit, non *S. Aug.* tantummodò ep.75. ad *Aaux.* Episc. qui ob vnius delictum vniuersam sacris interdixerat familiam, vbi hæc protulit, *Si tibi, quod iustè id fiat, Dominus reuelauit, nequaquam iuuenilem ætatem tuam, & honoris Ecclesiastici rudimenta contemno*, statim subdere (vt etiam habetur 24. q.3. c.1.) *senex enim a iuuene, & Episcopus tot annorum a Collega, nec dum anniculo, paratus sum doceri*; verùm & d.38.c.fin.e *S.Clem.*ep.3.legi; *nullus Episcopus propter opprobrium senectutis, vel nobilitatem generis, a paruulis, vel minùs eruditis, si quid fortè est vtilitatis, vel salutis, inquirere negligat. Qui enim rebelliter viuit, & discere, atque agere bona recusat, magis Diaboli, quam Christi membrum esse ostenditur, & potiùs infidelis, quam fidelis monstratur*, Nullatenus quidem censetur excusabilis in R. P. ignorantia obligationum sui officij; *tum quia* cum fuerit Cardinalis, fieri

non

non posse moraliter videtur, quòd illas non habuerit perspectas, vel ex colloquijs cum Collegis Cardinalibus, aut cum alijs pijs, doctisque in Romana Curia Viris, vel ex epistolis Pauli, maximè ad *Timotheum*, ac *Titum* &c. *Tum quia* non potuit non illius occurrere menti, statim ac electus est, ad quid huiusmodi status obliget (præterquam temerarium planè fuisset, ac læthale, electioni præstare assensum, si illarum inscius fuisset) atque si id perspectum sibi non erat, tenebatur prorsus sub peccato mortali suarum notitiam obligationum assequi, vel e libris, vel ab hominibus sinceritate, prudentia, doctrina, ac pietate insignibus, qui non desunt in Vrbe, vel si deesse putaret propter frequentissimas in R. P. maximè recenter electos, adulationes, ab alijs extra Vrbem: At longè minùs excusabilis erit, *si affectatam*, ne dum *crassam*, & *supinam*, earũ habeat ignorantiam, easque sibi propositas voce, aut scriptis, aut libris nolit audire, vel legere. Hasce nequit suo fingere ingenio, vel pro arbitrio ab ijs semet eximere. Imò si aliquas iam habet exploratas, & alias intelligat a viris verè peritis, quicumque illi sint, & ante Deum nouerit, eas esse muneri suo annexas, haud *Christi membrum*, multòque minus Christi Vicarium, se ostenderet, dum illas exequi detrectaret, cum deberet quoque, iuxta *S.Clem.* primarium S.Petri discipulum, & discere, & agere quælibet etiam solum *vtilia*, nedum necessaria, ad sui muneris laudabilem coram Deo, & hominibus functionem, licet a *paruulis, vel minùs eruditis* sibi indicata. Hæc nonne vltro potiùs a R.P. inquirenda a viris omni exceptione maioribus in doctrinæ, ac morum integritate?

LIX. Debet R.P. diligenter explorare per fideles viros quoque, quinam Iudæ similes Christum tradant, siue *qui diligunt munera*, vt inquit *S.Bern.* in Declam. ad Petri verba, *Ecce nos &c. sequuntur retributiones, vendunt Sacramenta, iustitiam produnt, quorum guttur necdum traxit ad laqueum, necdum præfocauit fauces verbum blasphemiæ, vox sacrilega, sermo nequam, quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam*; seu qui in beneficiorum distributione Ecclesiasticorum prosequuntur munera a manu, ab obsequio, a lingua. Contra hosce Apostolicus est vrgendus postea zelus, flagellumque arripiendum. Auertat Deus, ne id vnquam omitteretur, quòd R.P. ipsimet imitarentur Iudam, quem fuisse Simoniacum aliqui contendunt, inter quos *Goffrid. Vindocm.* opusc. *6.* & 10. Nullam sanè opinionem Ecclesiæ perniciosiorem fuisse, vel esse, constanter fassi sunt nouem Præsules, inter quos quatuor primarij Cardinales in Consilio, quod præbuerunt illud petenti Paulo III. ann. 1537. quam affirmantem, in Papam non posse cadere Simoniam; *Ex hoc fonte*, inquiunt, *tanquam ex equo Troiano, irrepere in Ecclesiam Dei tot abusus, & tam grauissimi morbi, quibus nunc conspicimus eam ad desperationem fere salutis laborasse, & manasse harum rerum famam ad infideles vsque (credat S.V. scientibus) qui ob hanc præcipuè causam Christianam Religionem derident, adeò ac per nos, per nos (inquimus) nomen Christi blasphemetur inter gentes.* Quis verò, nisi mentis inops, planè non videt,

eludi solùm hunc adeò detestatam, ac meritò illis Præsulibus, opinionem, a facta Per R.P. separatione tituli spiritualis a temporali, ita vt pro hoc liceat prorsus recipere munus a manu, ab obsequio, a lingua, non autem pro illo, & breui, nisi lusio sit in vocibus, liceat illius venditio, ac emptio; nam æquè ijdem abusus sequuntur in Ecclesia, ijsdem morbis illa laborat, quibus obnoxia est e beneficiorum distributione antecedente, vel concomitante, vel subsequente, e pacto potissimè, pretio, quocumque nomine istud temporale nuncupetur; & sic R.P. Simoniam in beneficiorum distributione nunquam committet, cum præsupponendum sit, saltem mentaliter illam facere separationem. Cum igitur partim admittatur, vt non diuinæ repugnans legi, huiusmodi acceptio, & datio muneris a manu, seu pecuniæ &c. partim insita cuiuslibet naturæ sit *cupiditas*, seu auaritia, seu studium in pecunijs acquirendis, ijsque amplificandis; nemo non videt, nisi summè pius sit R.P. velitque prosequi consilia, & non tantùm præcepta, pro Cardinalitia, Episcopali, & quacumque Ecclesiastica dignitate, siue quolibet beneficio etiam cum animarum cura, conuenire posse, etiam explicitè, de tali pecunia ab eo danda sibi, qui beneficium cōfert, de tali obsequio præstando suis &c. Ex hoc autem fonte dimanabit, quod non lectissimi Cardinales, non boni, & idonei animarum Pastores, non inter dignos digniores eligerentur a R.P. & tamen teste *Innoc.III.* cum Later. Conc. Patribus c.44. de Elect. *Nihil est, quod Ecclesiæ Dei magis officiat, quam quod indigni assumantur Prælati ad regimen animarum:* & ipsimet Trid. Patres c.1. sess.24. de Ref. apertè protestantur, *nihil magis Ecclesiæ Dei esse necessarium, quam vt R.P.* (vt supra significatum est quoque) *quam sollicitudinem vniuersæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic potissimùm impendat, vt lectissimos tātùm sibi asciscat Cardinales, & bonos maximè, atq. idoneos Rectores singulis Ecclesijs præficiat, idque eò magis, quod ouium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium, & sui officij immemorum Pastorum regimine peribunt, D.N.I.C. de manibus eius sit requisiturus*. Si autem ex natura rei licita est huiusmodi separatio R.P. cur non licita pariter erit, in foro interiori saltem, illa Episcopis, & alijs, ad quos spectat beneficia conferre Ecclesiastica? Præterea si titulus in accipiente beneficium liberalitatis, gratitudinis &c. in dante necessitatis, vel vtilitatis deriuantis etiam in Ecclesiam &c. sufficit ad excusationem criminis Simoniæ, nunquam ferè deerit aliquis ex his cuilibet beneficiorum collatori, & receptori, & ita cessabit querela *S.Bern.* nullique ampliùs erunt Iudæ similes; nec inuestigandum erit R.P. (instar Petri) an quis in beneficiorum distributione *Christum tradat*; nec fraternè, nedum iudicialiter corripere poterit dantem, & accipientem pro beneficio pecuniam &c. si ipse suo doceret exemplo, id agentem non *tradere Christum volenti aliquid dare*, Matth.26. v.15. seu non diuina, ac spiritualia vendere; quin etiam scandalum passiuum, quod inde sequeretur, non esse ex illis, quæ vitanda sint, cum ipse procul dubio magis illud vitaret, vtpote vniuersalius, & per se grauius e personæ dignitate. *Ex his* cui-

libet

libet patet omnino, perniciosissimā Ecclesiæ prorsus esse quorumdam Theologorum (nam Canonici Iuris Doctoribus non tanta fides in quæstionibus iuri diuino innixis haberi solet, nec debet, nisi vnà sint sacra Theologia imbuti &c.) doctrinam in hac materia, ita vt hoc incommodum e sic facili abstersione labis Simoniæ in beneficiosum (adeoque etiam Ordinum) collatione præponendum sit alijs commodis, quæ ex illorum doctrina in alijs consequerentur materijs, & ita simpliciter hosce reponendos in eorum numero, qui malè merentur de Christiana Republica. Quid si Romani Curiales eiusmodi Scriptorum doctrinam valde commendarent, ac Romani Censores permitterent, vt imprimeretur etiam in Vrbe, *nihil in ijs deprehendi audaculum, aut suspiciosum, imò verò cui ipsum auctoris nomen satis ad probabilitatem non sit!*

LX. Etsi Petrus per Ioannem notitiam habuerit proditoris, haud illum proximis in mensa Apostolis indicauit, vt significatur vers. 28. sic enim & Christus in aurem Ioanni v. 16. dixit, itaut alij intelligere non possent, *Ille est, cui ergo intinctum panem porrexero*; & noluit illum prius etiam nominare, vt parceret eius honori, sed vniuersim tantum dicere, quod *vnus e discipulis esset ipsum traditurus* v. 21. & Matth. 26. v. 21. Mar. 14. v. 18. Luc. 22. v. 21. vt se ostenderet scientem velle mori; imò nec vnquam illum nomine furis notauit, quamuis sciret furem esse Ioan. 12. v. 6. Etiam R. P. non publicet crimina quorumcumque occulta, licet vitæ insidiantium suæ. Famæ ouium suarum sit diligens custos, quæ anteferatur diuitijs multis, ac thesauris mille Prou. 22. init. Eccl. 41. vers. 15. Ideoque præcaueat ipse 1. *NE vlli prorsus detrahat*; nam hoc peccatum, non solum est grauius furto 6. q. 1. c. 15. ex ep. 3. *Anacl.* Pap. & fatētur omnes Theologi cum S. Th. 22. q. 73. art. 3. in Corp. verùm etiam comparatur peccato *homicidij* dilucidè a S. Petro, vt e *S. Clem.* habetur d. 1. de Pœnit. c. 24. *Homicidiorum*; & S. Ioan. ep. 1. cap. 3. v. 15. vt ex Alex. ep. 3. refertur 6. q. 1. cap. 16. *Omnis qui detrahit fratri suo, homicida est, & omnis homicida non habet partem in regno Dei*. 2. *CVM hoc vitium sit frequētissimum, quo penè totum genus humanum periclitatur*, vt habet etiam *Glos.* in v. 21. c. 24. Prou. & magis periclitetur sanè, quam e peccatis contra Castitatem (nam etiam illos, qui ab his se abstinent, in illud labi, nec in frequenter, in dies patet) illud auertere velis, remisque contendat a Christiana Republica: Vnde non solùm corrigat coram se alienam eleuantes famam, verùm & puniat, iubeatque omninò restitui a cunctis prorsus, quos nouerit illam abstulisse; ad quod ex officio tenetur, ita vt aliter læthaliter peccet; & ad restitutionem damnorum, quæ ex ablata fama, ac non ex illius restitutione sequerentur, ipse procul dubio teneatur. Reprimat ergo seuerè illos, qui notant acerbè, & calumniosè nonnullos, & primarios quoque viros, si scribant, aut agant quidquam Romanis Curialibus haud gratum, licet a Catholica veritate, & Catholicis verè institutis non alienum; nam complures ex istis statim proclamant, eos non benè sentire de fide; esse suspectos de hæresi; schismaticos &c. a quibus verè notis ipse sit in primis remotissimus. 3. *CVM*

sciat

sciat esse quoddam hominum genus, vt & ipsi testantur, in vitia linguæ propensum, horum familiaritatem deuitet; nec illis sibi aliorum dicta, vel facta narrantibus, nisi aliunde explorata sit eorum veritas, fidem habeat. 4. *VBI fama alicuius delicti ad suas aures peruenerit;* animaduertat, an a *maleuolis, & maledicis* orta fuerit, & pręcipuè si illi, qui accusarentur, viri essent conspicui, vel dignitate, vel sapientia &c. hi enim solent esse magis expositi odio, ac inuidiæ, vt indicatur cap. 24. *de Accus.* & facilè multitudo ad malum prona, vel vnius dictum prosequitur alteri detrahens; & leue non raro delictum plurium ora peruagatum euadit propter maiorem semper amplificationem grauissimum. 5. *CVM sæpe accidat, vt nonnulli verè superbi, libris quoque, præclarum aliorum nomen denigrent calumnijs quoque;* at si hi vitia etiam manifestissima ipsis obijciunt, ac semet tueantur, horum libros tanquam satyricos, & famosos proscribi, suos verò, licet tales re ipsa sint, haud proscribi studeant; a viris sinceris, & quos putauerit ipse ab animi perturbationibus liberos, & clam, explorari iubeat, quinam sint *Iustæ Apologiæ, Legitimæ Defensiones, Libelli famosi, Satyræ &c.* & illas omninò permittat, hos seuerissimè interdicat. Iuuaret quam maximè, vt ipse R. P. aliquando eiusmodi libros perlegeret; nam multæ hinc querelæ, ac iustissimæ de personarum acceptione e nonnullorum auctoritate in Vrbe, qui velle videntur dominari in aliorum famā; vera autem, & publica, ac patentia ex ipsorum libris interdum, nolunt omnino ab vllis, etiam ab illis, quibus se infensos voce, libris, ac quibusdam etiam incommodis illatis ostenderunt palam, narrari. Excessus in inculpata tutela a cunctis remouendus libris. 6. *CALVMNIATORES seuerissimè prorsus puniri iubeat,* atque pœnis, tum spiritualibus, tum corporalibus in sacris Canonibus recensitis 5. q. 6. integra, & tit. de *Calum.* inter quas sunt & *verbera, eaque publica, & linguæ ipsius abscissio, ac pœna talionis,* quam infligi a cunctis mandauit *Pius V.* Bull. 5. §. 14. nec immeritò expostulat *Segura* in Direct. Iud. Eccl. p. 2. c. 2. n. 5. quod Ecclesiastici Iudices torpeant in plectendis calumniatoribus, & cum eis conniueant, ne sit accusatorum parcitas &c. 8. *NE ALIORVM delatores, vel exaggeratores criminum se libenter audire præferat,* sed potiùs illos, qui aliorum laudes referunt, aut criminum etiam verorum grauitatē minuunt, tum quia hinc calumnijs frequentibus dabitur occasio; tum quia illi, qui se amisisse famā apud R. P. cognouerint, procliuiores reddi queunt ad peccata; cum *enim præ timore infamiæ multi a peccato retrahantur, quando se infamatos conspiciunt, irrefrænatè peccant,* vt habet S. Th. 2 2. q. 33. a. 7. in Corp. S. Hierony. quoque in c. 18. Matth. afferens. 8. *FACILITATEM CREDVLITATIS*, vitium Magnatibus commune, omni repellat studio, cum ex illo intoleranda dimanent incommoda in Rempublicam, tum Ciuilem, tum Ecclesiasticam; & vniuersim quidem *S. Bern.* lib. 2. de Consid. alloquens *Eug. Inde eis ipsis* (hoc est, qui *cathedras ascenderunt*) *pro nihilo iræ multæ; inde innocentium frequens addictio; inde præiudicia in absentes.* Vt hunc declinaret scopulum, in quem

impin-

impingunt *in primis*, qui *hominibus cum potestate præsunt*, quid agebat *S.Ignat.* Fundat. celebris I. Societ. *Qui ita delatoribus vnam aurem præbere consueuerat, vt semper alteram reo reseruaret absenti, refert Maff.* lib. 3.c.6. illius vitæ. Libellus fuit an. 1654. a Religioso Viro editus sanè eruditus, qui inscribitur *Gemitus Columbæ de Iniustitia Damnationis inauditi*; Quæ iniustitia oppidò non solum appareret, cum agitur de pœna corporali, sed etiam Ciuili, vel Canonica, vt de fama, & honore aliorum. An non iniquus esset Iudex, qui aliquem condemnaret ad soluendum alteri debitum illo non vocato, vel audito, aut ad illud integrè soluendum, dum non constaret, vel ambiguum foret debitum? At non multò magis iniquus, qui vllius Catholici scriptoris opinionem, dum id apertissimè non pateret, proscriberet, tanquam vel hæreticam, vel suspectam de hæresi, vel temerariam, &c. indeque infamia in scriptorem emanaret, eo non audito; cum sæpissime accidere possit, vt suis auditis rationibus censorum sensus mutetur, vel etiã ostendatur, eos non integrè, ac sincerè opinionem retulisse, aut etiam non eam interdum intellexisse? Quid si dubius esset sensus verborum? An non priùs ille explorandus? An non potiùs interea sanior interpretatio illi tribuenda? An non iustitia, ne dum Christiana Charitas, id suadet? Si Catholici Scriptores degant in Catholicis Prouincijs, cur non per Nuncios, aliosue S.A. ministros, qui nullibi fermè desunt, Propositiones, quæ Romæ Censura censentur dignæ cum rationibus ad eas impellentibus proponãtur Scriptoribus, vt illas soluant, si velint, quod si nolint, aut solutiones sint planè inanes, liber tandem proscribatur? Id autem non præstandum potissimè, cum ambigua esset Scriptoris mens? An non declaratio ab ipsomet petenda? At id multi esset negotij. *Heu quam parui æstimatur aliorum, & illustrium sæpe Virorum inter Catholicos, Fama. GEMAT COLVMBA: Verùm gemeret vehementiùs*, si R.P. e *credulitatis facilitate* ipsimet peculiaribus Bullis ad nutum quorumdam, libros insignium Catholicorum vetaret, cum tamen similes proscriptiones in alijs libris non fierent; & maximè si hisce penitus inauditis, seu reis ante condemnationes defensionis copia non exhibita. Nunquam fiat, vt id ascribatur peculiari R. P. in aliquos maleuolentiæ, quòd minùs suæ potestati propitios fuisse, aut esse existimauerit, aut existimet; multòque minus iuri, quod arbitretur se in aliorum famam habere. Mirandum, quod non animaduertatur hinc famam, honoremque & R.P. ac R S. & Curiæ minui, nec leuiter, cum huiusmodi proscriptiones frequentissimè non admittantur, quia putantur minus æquæ, ex odio, priuatisq. passionibus ortæ &c. 9. *CVM* in ipsius R.E. quæ est *Mater*, & R.P. qui est *Pater* cunctorum fidelium dedecus vergat prorsus, habere filios, qui sint Catholicæ fidei proditores, & Christi, eiusque doctrinæ hostes, summo enitendum est studio R. P. vt penitus relegetur frequentissimum illud modò vitium inter Catholicos, ac etiam complures primarios, & pietate, & doctrina, & etiã dignitate, se inuicem appellandi hæreticos, suspectos de hæresi, vix Catholicos,

tholicos, Schiſmaticos &c. idque propter varias actiones, & opiniones controuerſas verè inter Catholicos, & ſapientiſſimos, non cum hæreticis. Qui vt filij agnoſcuntur a R.E. & R.P. permittitur, vt quaſi rebelles, & R.E. & R.P. habeantur, & appellentur? Accuſandine erunt hæretici viri, ſi pleroſque, ac ex inſignioribus inter Catholicos, nuncupent hæreticos, ſuis fauentes dogmatibus &c. cum nos ipſimet Catholici noſtris ipſis eam tribuamus nomenclaturam, & paſſim eam vſurpari permittat R.P. qui ſe profitetur peculiariter Patrem Catholicorum, ſicuti & R.E. matrem? 10. QVANDO tanti eſt fama, vt licet Religioſi Ordines cuncti per tria vota Deo offerant *res exteriores per paupertatem, corpus ſuum per votum caſtitatis, & ipſam voluntatem per obedientiæ votum*; imò nonnullæ voueant abſtinentiam perpetuam a carnibus, & lacticinijs, inſeruire infirmis, etiam tempore peſtis, obire quaslibet mundi regiones ad populorum conuerſionem &c. nulla tamen abſolutè per votum renunciet iuri, quod habet ad famam, & honorem, qui debetur virtuti; imò huiuſmodi renunciatio nulla ratione competat religioſis, vt communis ſententia fert cum *S.Th.* 22. q.186. ar.7. ad 4. (ibiq. *Caiet.*) & latiùs opuſc.19. c.2. Quin etiam cū famæ appetitus poſt mortem ipſam laudabilis, & coram Deo meritorius eſſe poſſit, ſi Diuinus principaliter intendatur honos; & præterea ad bonam nos hortentur, ac impellant famam, nedum ad illam non negligēdam, exempla, ac doctrinæ Sanctorum (inter quas reponuntur celebres S.Aug. C. *Non ſunt* audiendi 11. q.3. & c. *Nolo* 12. q.1.) imò ipſiuſmet Chriſti Matth.5. v.16. Ioan 8. v.49. & 18. v.23. idemque ſuadeant tum S.Petrus 1.Pet.c.2. v.12. tum S.Paulus etiam exemplo ſuo 2.Corinth.8. v.21. Satagere debet quoque R.P. vt præclaram ſibi comparet famam honeſtis rationibus, præclariſſimiſque actionibus, quæ perpetua quoq. ſit in terris: Et hæc quidem apud Deum, ac homines ipſos perpetua erit; *SI ILLIVS PRIMARIA*, vel *VNICA SOLLICITVDO SIT in aggregandis compluribus R.E. ſeu Chriſti ipſius ouili, compluribus ad illud reuocandis, in multis e Catholicis Prouincijs criminibus, eorumque ſeminibus euellendis, in Reformatione morum, ipſius ſemper prælucente exemplo, Curialium, Romanorumque Ciuium, Eccleſiaſticorum, ac Regularium inter alios; in entendo vt Cardinales, ac Epiſcopi ſuis exactè fungantur muneribus, hos Epiſcopali etiam dignitate priuando, vbi nec ſemel moniti negligenter partes animarum Paſtoris expleant, & multò magis, ſi prauis ſuis moribus oues ipſas inficiant; in auertenda qualibet ſuſpicione probabili ſimoniæ in Curia; in lectiſſimis omninò Cardinalibus, & Epiſcopis maximè idoneis eligendis; in obſtando, ne ſæculares, & Principes ipſi immiſceant ſe miniſterijs ſpiritualibus, ſeu illis actionibus, ac iuriſdictionibus, quas e ſacris litteris, perpetuaque Apoſtolica, & Eccleſiaſtica eruditione habetur, competere ſolùm Eccleſiæ miniſtris, aut Eccleſiaſticæ poteſtati; in opera danda, vt reditus Eccleſiaſtici poſt congruam illos poſſidentium ſuſtentationem, in vſus pios impendantur, eos prorſus auferendo Clericis, cuiuſque fuerint generis, qui licet moniti, eos in vſus prophanos, & multò magis illicitos impende-*

pende-

penderent,implorato quoque ad id brachio sæculari,quod Princeps Catholici porrigent prorsus si viderint maximè R.P. & Cardinales pariter suos reditus laudabiliter expendere; in bello suscipiendo contra communem Christiani nominis hostem ad vindicandum potissimè ex illius potestate D.N.I.C. sepulchrum; ad quod non dubitandum, quin pij Principes Catholici opem ferrent,quam possent maximam,pecuniam,militesq. mittendo, præter plurimos, qui ex omni Christiana Religione sponte, ac sine vlla prorsus mercede,imò tribuendo in id opus pecuniam,se sacræ huic militiæ dicarent; in Romæ instituendo,instar Rotæ Auditorum, Tribunali duodecim Virorum, in quibus vnus saltem ex qualibet natione, insignium in Sacra Theologia, & Ecclesiastica eruditione, & rerum vsu publico, e quorum approbatione, seu de quorum Consilio prodirent Bullæ qualibet Pontificiæ, & præsertim Vniuersales, & a quibus recognoscerentur impressæ, antequam promulgarentur, ne in Cancellaria, vel alibi quidquam additum, vel demptum, vel immutatum fuerit; quibus enimuerò non tenues Ecclesiastici reditus præbendi,sed potiùs copiosi, vt ex alijs locis, in quibus degerent, in Vrbem Romam faciliùs attraherentur; in indagando per Nuncios suos, aliosq. fideles viros,quinam in qualibet Prouincia,vel Ciuitate,sint viri illustres, seu pietate,seu doctrina Ecclesiastici,& ijs non petentibus,vel Romam non concedentibus improuisò, ac inopinantibus Ecclesiasticum aliquod beneficium, vel dignitatem Ecclesiasticam elargiendo; ac denique in relegando a se amore Consanguineorum,Affiniumque, itaut iuxta Apostolicum Canonem 39. cuius etiam mentionem facit Trid.Concil.sess.25.c.1. proprijs cognatis, quæ Dei sunt, non elargiatur; si autem pauperes sint, vt pauperibus suppeditet,nec eorum prætextu vendat,quæ sunt Ecclesiæ; ac in similibus. Quæ autem fama illustris poterit manere apud homines, ne dum laus apud Deum,illius R.P. qui totus esset in amore Consanguineorum,& in illis honoribus,ac opibus in dies amplificandis;in sibi indulgendo(vacuus a curis pastoralibus, aliquasue transeunter obiens, pangendis carminibus, vel vocum Etruscarum,vel Latinarum Etymologijs inuestigandis, vel leuibus quibusdā animi relaxationibus addictus, vnde diuturniori tēpore a negocijs vacaret, quā necessitas, vel vtilitas Ecclesiæ peteret; in vestibus etiam interioribus pompam, & in victu exquisitos quærens cibos) in politioribus reddendis Romæ vijs cum multorum mærore, ac damno; in pluribus expoliendis marmoribus cum suæ insignibus familiæ; in noua Populo Romano, vel alijs R.E. populis tributa imponendo;in primarias dignitates conferendo, vel ob pecuniam,vel ob nō merita singularia seu pietatis, seu doctrinæ &c. in premendis pensionibus Episcopis, alijsque; in non suppeditando subsidio bella gerentibus cum infidelibus, vel hæreticis,& si aliquod subsidium concedat, illud sit ex illo, quod Principes in aliqua necessitate graui constituti, & maximè ad Religionem spectante,possent ipsi e Clericis, vel Regularibus in sua ditione manentibus obtinere; præficeret in temporalibus Romæ homines,qui essent negociatores, & victualia cogerent emi caro pretio propter monopolia &c. ab aliorum nutu se regi fineret,quos

nouisset in suis opinionibus esse flexibiles pro illorum voluntate, apud quos regnant; Pōtificia auctoritate in sua abuti commoda; dispoticum suadere dominatum in sibi subditos, si hi maximè sint Regulares; esse restrictionum mentalium amantissimos, nihil quasi non purgantes a peccati labe in amicorum gratiam suorum, in compluribus auctoritati Pontificiæ tribuendis repugnantibus sanè priscorum Patrum, & antiquorum Theologorum auctoritati, ac peculiariter circa Ecclesiasticorum beneficiorum, Ecclesiasticarumque dignitatum distributionem &c. permitteret, aut concederet quædam Principibus, ac Magnatibus animi pusillanimitatem præferentia; nouo semper ære alieno Cameram obstringeret Apostolicam, licet illo iam oppressam, nec illam liberare niteretur pecunia, quam prodigè prorsus suis tribueret Cōsanguineis, aut in illorum gratiam impenderet; eleemosynas minueret consuetas; refugeret sumptus necessarios ad missionem Sacerdotum in Prouincias infidelium, hæreticorum, ac scismaticorum, & ad eos ibi alendos; difficilem se ostenderet ad suppeditanda necessaria ijs, qui ex aliquo maximè infortunio ad inopiam redacti mendicare erubescerēt; Episcopos, ac Sacerdotes in Vrbe ipsa quasi mendicos esse permitteret; omnes fermè beneficiarios pensionibus obrueret, & ita complures vt vix necessaria ad victum, vestitutumque haberent, licet Episcopi, ac Parochi; Aures occluderet conquerentibus populis de sibi oneribus impositis, aut de malo, auaroque Præsidum regimine; beneficia distribueret certam pecuniam, aut plus offerenti &c. An non improba maneret semper huiusmodi R. P. fama in omne æuum? Quamobrem R. P. frequenter legat Romanorum Pontificum Vitas; ac diligenter obseruet, quinam ad hanc diem apud homines gloriam consecuti fuerint immortalem, & quorumnam memoria vel nulla, vel ignominiosa maneat, & horum actiones detestetur, illorum verò gesta æmuletur. At ab his plerumque retardabunt Consanguinei.

Matth. 26. v. 33. 34. 35. Marc. 14. v. 31. 32. 33. Luc. 22. vers. 33. 34. Ioan. 13. v. 36. 37. 38.

LXI. NON minùs, quam cæteros, semet humanis infirmitatibus obnoxium esse putet R. P. nec quia Pontifex se impeccabilem putet, sed potius peccandi, & ampliùs, & grauiùs, quam cæteri, periculis expositum; ideoque peccatorum occasiones caueat solertissimè, & proximas præsertim, quas illi offerre

offerre queunt Consanguinei, Affines, Aulici, & familiares Deum non timentes, assentatores &c.

LXII. In Vniuersalis Ecclesiæ beneficium nihil vnquam R.P. aggrediatur, nisi Diuina ope implorata; ac media, quæ adhibet ad id opportuna, cælesti in primis commendet patrocinio; atque si felicem, optatumque exitum fuerint consecuta, illum Deo ascribat, cuius nutu omnia reguntur, & cuius potissimè est actio quælibet causæ secundæ, ac adhuc magis bona moraliter, ac præ cæteris meritoria amplioris gratiæ in terris, & gloriæ in cælis. Vitet eas opiniones, quæ nimis libero tribuunt arbitrio. Insistat doctrinæ de Gratia a *S. Aug.* traditæ contra Pelagianos, & Semipelagianos, quam communiter Ecclesia vniuersalis a quatuor primis Ecclesiæ sæculis, cum ipso quoque S.Th. alijsque insignibus Theologis amplexa est, & quam R. P. ipsi fidelibus proposuere. Quam prouidè Petri audaciam dicentis, *Quare te non possum sequi modò? animam meam pro te ponam*, retudit Christus sic, *Animam tuam pro me pones? Amen dico tibi; non cantabit Gallus, donec ter me neges*. Irrita non rarò euadere queunt R.P. vota, & consilia, etiam pijssima, imò & euentum sortiri contrarium, quòd in humana potiùs industria, ac politicis quibusdam artibus sint reposita; vt omittatur, posse per ea intendi potissimè temporalem nonnullorum finem; esset siquidem vehementissimè Deo exosum in operum piorum aggressione, ac prosecutione, quod lateret sub religionis larua crimen auaritiæ, vel ambitionis, superbiæ &c.

LXIII. Licet Christus ad retundendam Petri audaciam, & ostentationem supra alios (quæ orta fuit ex amore in Christum, sed imprudenti &c.) illi negationem prænunciauerit; non tamen adhuc a se sequendo deterret, sed potiùs Petrum in bona spe ponit, quod aliquando sit pro se mortem subiturus. Ita peccantes, ex infirmitate præsertim, etsi lethaliter (huiusmodi autem peccata in Viris cæteroqui sapientissimis potest permittere Deus, vt alacriùs deinceps, ac feruentiùs semet in diuino impendant obsequio, vt euenit in Petro d.50.c.54. e *S. Amb.* ser.47. de Fide Petri) corripere debet R.P. vt non solùm emẽdationis, verùm etiam amplioris in salutis, ac perfectionis via progressus spem illis afferat; nec vllos, etsi nouerit scelestissimos, vnquam quasi ad desperationem de salute sua compellat; arguat, obsecret, increpet in omni patientia &c.

LXIV. Permisit Christus Petrum labi in peccatum, & mortale, ac ter contra confessionem fidei externam 1. *Vt eius animi, ac verborum temeritatem puniret. 2. Vt nullus de se præsumat, cũ Apostolorum Princeps tam grauiter peccauerit; indeque humanam fragilitatem homo, licet iustissimus, perspectissimam habeat. 3. Vt nullus in quocumque gradu etiam Ecclesiastico constitutus, licet scelestissimus, suorum ingentium criminum veniæ spem abyciat. 4. Vt Prælati, ac præ alijs R.P. compatiantur peccatoribus; etiam illis, qui contra fidem peccassent, ac nominatim illis, qui interiorem retinentes fidem ex metu, vel alia simili causa, a Catholica*

Religione semet alienos ostendissent, quando Petrus, qui iam designatus, & paulò post constituendus erat Religionis Antistes supremus, perpetuusque Christi ipsius degentis adhuc in terris socius, contra Christum adeò impium, & atrox facinus perpetrauit. Hæc ratio indicatur d. 50. c. 53. e *S. Greg.* Hom. 21. in Euang.

Matth. 26. v. 40. 41. Marc. 14. v. 37.

LXV. PRæcauendum est R. P. ne vnquam illi meritò exprobrari possint ista Christi verba, *Simon dormis? DORMIT* quidem, cum non vigilat super Dominicum gregem, *non recogitans, & non cum peritis, prudentibus, & diuini nominis sanctificandi studiosis consultans*, quibusnam medijs inter Catholicos pietas, fides Christiana inter Gentiles, Catholica inter Hæreticos propagari queat, sedari contentiones inter Principes, ac populos, auerti queant scandala ab Ecclesiasticis, & Regularibus orta; *non operam ponit*, vt omnis auaritiæ labes a Romana relegetur Curia, Ecclesiastica Tribunalia iustitiam exactissimè seruent, pauperes non opprimantur, populi insuetis oneribus nō ita conficiantur, vt potiùs sæculares Principes sibi optent dominari; Ecclesiarū venerationi aduersantia remoueātur prorsus; qui Romæ degunt, ac primarij maximè Viri Ecclesiastici, ac sui ante cæteros Consanguinei, vel Affines, aut de domestica familia in Christianis ita fulgeant moribus, vt exteri omnes ad Romanam Vrbem accedētes meritò hoc etiam nomine illam appellare possint *Sanctam*. *DORMIRET* etiam, cum colligentibus se paucis quibusdam, atque vnum consilium ad decipiendum Pontificem capientibus, *illum sub sanitatis, aut vitæ longiùs protrahendæ prætextu in cubiculo, velut clausum, retinentibus*, cogeretur hoc tantùm scire, quid illi loquerentur, ad horum arbitrium constitueret Iudices, eligeret Cardinales, Episcopos &c. amoueret e palatio, e Curia, ex officijs, quos hi sibi minùs propitios arbitrarentur; ac deniq. Pontificatum iuxta eorum voluntatem regeret; vnde sic sanè *venderetur* Pontifex, vt indicant verba *Diocletiani* apud *Vopiscum in Aureliano*: At dum sic dormiret R. P. alij ad commoda sua peruigilarent. Quinam hi? An non Consanguinei, vel Affines in primis? Quid si ipse vltrò Ecclesiæ Regimen alijs concederet, vt se ipsum posset prolixiori tradere somno a Pastoralibus curis omninò vacuus, aut nonnullis vacans semisomnis! Cum dormitio Petri, e *Beda*, fuerit negationis in Petro futuræ præfiguratio; An non ex huiusmodi dormitione argui possit minùs intensa in R. P. fides? Et cum Christus reprehendens Petrum dixerit, *Simon dormis?* non verò, *Petre dormis?* (quod nomen, vt Ecclesiæ totius Præsidi, iam illi imposuerat Matth. 10. & 16.) An eo penitus iure dormienti, quo vigilanti, Pontificis nomen illi deberetur?

LXVI. Cum

LXVI. Cum dormit R. P. dormiunt saltem plerique Animarum Pastores, qui secum reputant (improuidè quidem, verùm non sine fuco) si R.P. indulgens somno existimat, amplissimum præ cæteris munus implere suum, ac satis suæ saluti consulere, etiam se dormientes de omissa super particularem suum gregem vigilia Deo rationem non reddituros. Cum autem *homines dormiunt*, tunc Diabolus *superseminat zizania in medio tritici*: Vbi *Maldon.* inquit. *Omnes veteres interpretes homines dormientes Episcopos, & eos, qui regendæ Ecclesiæ curam habent, interpretantur; quod etsi multis non placere video, Vtinam verum non esset*. Huic quidem dormitioni Prælatorum zizania a Luthero, alijsque superseminata in Ecclesiæ agro superiori sæculo, adscribit *Ambros. Cathar. Episc. Minor. in lib. de Consid. & Iud. Præs. temp. a superf. ziz. in agro Dom.* edito primùm Venetijs an. 1547. quem dicauit Vniuersis Christiani Gregis Episcopis, & Catholicis eorum Ecclesijs; & ante ipsum eidem ascripserunt *tres Legati Cardinales* ad Trid. Conc. in Admonit. ad Patres iam Tridenti coactos ante sess. 1. ann. 1545. Dec. 12. Nec negari potest, quin in huius culpę partem, nec mediocrem, vocandi sint & *Leo X.* & *Clem. VII.* (nam *Adrian. VI.* Romæ tantùm a 29. Aug. 1522. Pontificatum administrare cæpit, ac obijt an. inseq. Sept. 14. quo tempore cæpit etiam aliqua reformare in Curia, ad id aduocato inter cæteros *Io. Petro Carafa*, qui sub Paulo III. Cardinalis, & postea Paul. IV. Breue Apostolicum misit ad *Mauritium Saxoniæ Ducem* Lutheri eximium fauorem dignum eruditissimo, ac Sanctissimo Pontifice, legauit in Germaniam viros, qui cum Principibus Germanis rationem indagarent Germaniæ totius ad antiquam reuocandi fidem &c.) qui si Curiam in primis Romanam reformassent, ex inferis deportatus a Luthero ignis, aut extinctus fuisset, aut certè paucos, vel abiectæ conditionis homines solū absumpsisset. Si Pastor est R.P. vigilet super gregem Dominicū. Si Villicus in agro Domini, adhibeat securim, & falcem ad amputandas *annosas, & veternosas arbores*, ne dum vepres, vt scribit *S. Ber.* lib. 2. de Consid. quæ in Domini agro exortæ sunt. Iacent solum apud dormientem villicum falx, & securis.

LXVII. Quam alienum sit ab Vniuersalis Pastoris officio se dare somno; Significat Bonif. VIII. R.P. cæteroqui non in cunctis laudatissimus, in Proem. lib. 6. Decret. sic; *Sacrosanctæ R.E. quam imperscrutabilis Diuinæ Prouidentiæ altitudo vniuersis dispositione incommutabili prætulit Ecclesijs, & totius Orbis præcipuum voluit obtinere magistratum, regimini præsidentes, curis sollicitamur continuis, & assidua meditatione vrgemur, vt iuxta creditæ nobis dispensationis officium subditorum commodis* (in his præcipuè, in quibus animarum saluti consulitur, vt habet *Glos.* nīr. c. 2. de Const. c. 1. de Præb. c. 1. de Sepult.) *in quorum prosperitate vtique prosperamur, iugi, quantum ex alto nobis concessum fuerit, sollicitudinis studio intendamus. Amplectimur quippe voluntarios pro ipsorum quiete labores* (idem prorsus Imperator in *Auth.* vt Diui. iuf. subscrip. ha.) *& noctes quandoque transimus insomnes* (sic idem Imperator

in *princ. Auth.* vt Iud. fine quoque suffrag.) *vt scandala remoueamus ab ipsis*. Si hic R.P. noctes quandoque transiuit insomnes, vt subditorum commodis prospiceret, vt ab ijs scādala remoueret; multò minùs somnus diurnis horis illum tenuit. Pastores illi, quibus denunciata fuit ab Angelo Christi Saluatoris Natiuitas, erant vigilantes Luc. 2. v. 8. & *custodiētes vigilias noctis super gregem suum*, qui alto certè obrutus erat somno; adeoque illum relinquentes potuerunt *venire festinantes, & inuenire Mariam, & Ioseph, & infantem positum in principio* v. 16. ac esse primi in Dei, & hominis veneratione. Si Pastor, maximè supremus, diurnam, nocturnamque quietem latè amplectitur; fieri non potest, quin *lupus rapiat, & disperdat oues* Ioan. 10. v. 12. *Non potest autem esse Pastoris excusatio, si lupus comedit, & Pastor nescit* c. penul. de Reg. Iur. Nescit profectò, cum dormit. Memor sit R.P. verborum Pauli 2. Timoth. c. 4. vbi post illa, *Erit tempus cum sanam doctrinam non sustinebūt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus* (quod tempus videri potest, si non præsens sæculum, certè superius, vt significant apertè nouem Præsules, de quibus supra, in Consilio an. 1537. Paulo III. exhibito, vbi afferentes hæc Apostoli verba aiunt, *quod nonnulli prædecessores Pontifices coaceruarunt sibi magistros ad desideria sua, non vt ab eis discerent, quod facere deberent, sed vt eorum STVDIO, & CALLIDITATE inueniretur RATIO, qua LICERET ID, QVOD LIBERET*) *& a veritate quidem auditum auertent* (hæc solet esse primarijs maximè quibusdam viris odiosa) *ad fabulas autem conuertentur* (hæ sunt potissimùm opiniones, quibus disciplina Euangelica dissoluitur, & quæ arrident carni, & sanguini, prauasq. cupiditates, ac inter eam superbiam, & auaritiam cum primis, fouent) subdit illico, *Tu vero VIGILA, in omnibus labora, opus fac Euangelistæ* (idest *prædica verbum*; hi quidem Euangelium prædicantes in sacris litteris Euangelistæ appellantur, vt notat Mald. in Præf. Euangel.) *ministerium tuum imple, sobrius esto*. Ad quemnam enim Episcopum magis incumbit, quam ad R.P. qui est Episcoporum Episcopus, *vigilare in omnibus laborare &c.*?

LXVIII. Tunc potissimè vigilandum est R.P. in oratione, cum tentationes imminent grauissimæ. Et hæ quidem, & frequentissimæ contra illius salutem excitantur, non tam a solis dæmonibus, vel selecto dæmone illi semper astanti, quàm a Consanguineis, Affinibus, domesticis quibusdam, inter quos esse queunt etiam aliqui Regulares &c. qui scilicet retraherent illum a solicitudine Ecclesiarum, impellerentque ad abijciendas maxima e parte saltem animi, corporisque curas in custodia Dominici gregis, easque in alios reijcerent, adeoque dormitionem illi suaderent. Et orandus quidem est Deus vehementissimè a R. P. ne in huiusmodi tentationes se inducat, seu illas offerat, cum sit difficillimum, vt non illis succumbat; ac de hisce proximis verisimillimum est intelligi potissimè illam petitionem in Dominica Oratione, *Et ne nos inducas in tentationem*. Has autem occasiones quilibet Deum timens vitare tenetur, iuxta præceptum ipsius quoque Christi Matth. 5. vers.

verſ.29.30. & c.18. v.8.9. & Mar.9. v.42.44. *vbi per oculum dexterum* dilectum amicum, *& dexterā manum* neceſſarium miniſtrum *Euthym.* in 5.Matth.& *S.Aug.* lib.1.de ſer.Dom. at omnes eos per vtrumque, qui nos arctiſſima aut cognationis, aut familiaritatis coniunctione cōtingunt, ſi a Deo nos alienos reddant, intelligunt *S.Hilar.Can.4. Athanaſ.q.70. Pacian.ep.3.adu.Nouat. Cyril.lib.12.in Ioan.c.28. Anaſt. q.73. Saluian. lib. 3. de Prouid. Theoph. in 5. Matth.* & nemo eſt, qui neget, Chriſtum ſignificaſſe ſaltem, quodcumq. potiùs damnum a nobis ſubeundum, quam ſubeunda culpa. Quicumque ergo ſint, qui ſub quolibet prætextu ſuadent R.P. vt non vigilaret, vt in omnibus non laboraret, vt non prædicaret ſaltem exemplo, non miniſterium ſuum impleret, ipſe a ſuo conſpectu, familiaritate, aula &c. remoueat prorſus, licet cæteroqui in oculis eos ferret, eorumque opera indigeret; nam animæ ſalus cuique temporali commodo eſt præferenda: neque quorumdam recentium Theologorum ſententiam proſequatur, qui obligationem hanc de euitandis occaſionibus proximis peccandi quaſi penitus eneruant; & hinc iterata, ac inueterata in hominibus peccata, licet frequēter accedant quandoque ad Confeſſionem Sacramentalem, vtpote quòd Confeſſarij parum prudentes laxiſſimas haſce opiniones (quæ nō rarò falſiſſimæ, ac naturali, diuinoque iuri difformes quoque) proſequantur. A fidelibus cunctis ſuppliciter rogandus Deus, ne in eiuſmodi *tentationes*, vel *tentatores* R.P. *inducat*; nam vix *liberabitur a malo*, ideſt, peccato.

Matth. 26. a v.51. Mar. 14. verſ. 47. Luc. 22. verſ. 50. 51. Ioan. 18. verſ. 10. 11.

LXIX. SI non intellexit Petrus, quod Luc.22. v.36.38. Apoſtolis dixit; *Nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram, & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. At illi dixerunt, Domine ecce duo gladij hic; At ille dixit eis, ſatis eſt*; neque enim, ſi voluiſſet ab ijs defendi, centum gladij fuiſſent ſatis aduerſus armatam militum cohortem; ac probabile videri poteſt, voluiſſe Chriſtum tunc binos hoſce gladios ſuos habere Diſcipulos, ac in primis Petrum, vt & benignitatis ſuæ in Malchum, cuius auriculā Petrus erat gladio abſciſſurus, documenta daret; ac moneret Petrum, non ipſius eſſe temporalis gladij vſum: *Non eſt mirandum*; quòd plurimorum ſacræ Scripturæ locorum certus lateat R. P. quamuis doctiſſimo, ſenſus, atque ad illum authenticè declarandum præmittenda ſit

ipſi

ipsi diligens Virorum sacra insignium doctrina disquisitio, vel etiam R.E. Præsulum Congregatio. Obseruat quidem *Mald.* ad v.38. *Licet recentiores aliqui interpretes* (non prisci) *ex hoc loco duos Ecclesiam habere gladios putent, alterum spiritualem, temporalem alterum; quos vt habeat, ex hoc loco certè non colligi, vbi de alijs gladijs agitur*; vt iam explicauerat ex *Ambrosio*, ac *Beda*; atque subdit (quod & priùs ad vers.51. Matth.26. tradiderat) *satis esse duos gladios, dixisse Christum, quia ne illi quidem erant necessarij, & nostrum non esse diuinare, cur Christus sensum eorum, quæ de emendo dixerat gladio, non intelligentibus non explicauerit, cum nihil Euangelista significet*. Equidem vterque fuit materialis, quem Apostoli ostenderunt Christo; Cur igitur per vnum spiritualis potestas, per alterum temporalis designatur? Et si hi satis; Cur sicuti ab omnibus Catholicis R.P. conceditur gladius spiritualis, quem educere possit contra quemcumque Ecclesiæ contumacem, a nullo e Catholicis illi conceditur similis planè vsus gladij temporalis? *Quidni vtroque gladio designetur potiùs Verbum Dei, & Excommunicatio* (*de quibus mox n.71.*) *hi enim satis sunt Ecclesiastico regimini, ac eidē consentanei; vel etiam gladius spiritualis, & materialis, quo vtitur in B. Petri patrimonio, vel etiā spiritualis ab ipso, & materialis ad nutum ipsius exercendus, vt n.72.*

LXX. Reprehenditur Petri factum educentis gladium (Petrum fuisse, qui omnium nomine dixerit, *Ecce duo gladij hic*, existimat *S. Amb.* quod sanè animo, & moribus Petri consentaneum) & percutientis Malcum, tanquam temerarium, ac nimis audax, atque contra Christi mentem, ac Patris voluntatem; licet ex pio in Christum animo id egerit, sed feruentiori, quam exigebant adiuncta loci, temporis, personæ, ac Diuinæ voluntatis. In bono sene, seu in iam prouectæ ætatis homine, efferuescebat adhuc sanguis, sicut in iuuene. Indiscretus feruor, ac zelus pro Ecclesiasticis verè iuribus ad Christum spectantibus, etiam per se spiritualibus, haud in R.P. commendandus; quantò minus pro tuēdis temporalibus, quæ ex laicorum liberalitate, ac pietate, vel ex præscriptione contra eosdem acquisita sunt? *Feruor sanè vehemens absque discretionis temperamento*, vt ait *S. Bern.* ser.23. in Cant. *præcipitat*. Vtinam nunquam hic præcipites egisset plurimos in infidelitatem, hæresim, schismata; & nulli Principes, vel Reges inter hos fuissent. Zelum etiam pro se ipso Christus non probauit in Ioanne, & Iacobo Luc. 9. v.55.56. neque enim venit, vt corpora perdat, sed vt animas saluet; & hinc Malcho amputatam a Petro auriculam restituit: Quod perpendens *Innoc.* Papa 23.q.8. c.2. illa protulit; *Cum a Iudæis Dominus caperetur, & Petrus cuiusdam inobedientis aurem prosciinderet, ferire prohibuit, & forma omnium Sacerdotum* (*quorum prior erat*) *ETIAM PRO SE capi arma carnalia prohibuit*. S.Petri claues B. Petri patrimonij locis aliter firmiora præ lapideis possunt esse propugnacula &c.

LXXI. Ecclesiasticæ potestatis proprius gladius est *spiritualis*; qui duplex est; *Verbum* scilicet *Dei*, Eph.6.v.17. *Ac Excommunicatio ILLE, vtpote viuus sermo Dei, efficax est, & penetrabilior omni gladio ancipiti,*

& per-

& pertingens vsque ad diuisionem animæ, & spiritus Hebr.c.4.v.12.seiungit a vitijs animam, eamdemque Euangelicis virtutibus viuificat; ac præterea separat coniunctissimos quoque, aggregatque Christo, ad illius consilia quoque amplectenda suauiter compellens Matth.10.v.35. *ISTE* homines, qui Christo nomen dederunt in Baptismo, in Christiana continet disciplina, inobedientes ac pertinaces, seu contumaces separans ab Ecclesia in ijs, quæ Ecclesiastica sunt; Excommunicatio siquidem est *Censura, qua quispiam separatur ab Ecclesiastica communione fidelium*, hoc est, *a participatione Sacramentorum, & communicatione in alijs officijs, & rebus sacris, & in communibus Ecclesiæ suffragijs*; non autem per illam per se quispiam separatur a communicatione purè ciuili, & politica consistente in ijs externis actionibus, quæ ad humanam societatem pertinent &c. Et hac quidem nullam esse pœnam in Ecclesiam *maiorem* habetur 24.q.3.c.17. e *S.Aug.*c.15. *lib. de Corrept.* qui & c.17.lib.*contra Aduers.leg.& Proph.* docet esse grauiorem, *quam gladio feriri, flammis absumi, aut feris subijci ad deuorandum*; quæ quidem per se est sufficiens ad Christianum quemcumq. etiamsi in Regali, ac Imperatoria potestate constitutum, corrigendum, emendandum, dignèq. puniendum, quautum est ex parte spiritualis ipsius potestatis; nam quod de facto ipsum interdum non emendet, est certò solum ex defectu sufficientis dispositionis in illo, qui eam non pertimescit censuram; quam dispositionem efficiendi non habet Ecclesia potestatem. Hunc quidem prisci plures R. P. vibrantes gladium, adeò Imperatores, ac Reges perterrefecerunt, vt ad *suos pedes*, imò *& suorum Legatorum pedes*, eos viderint prouolutos, ac summissè petentes illum a se auerti, paratissimos Apostolicis parere mandatis. Equidem ex Historijs Ecclesiasticis non semel habetur, Christianos Principes gladium contra se contortum Excommunicationis ab Episcopis tantùm adeò timuisse, vt a vijs suis semet reuocauerint malis, Episcopisque obsequentes semet præbuerint; quod omnibus notum est in *Theodosio Imperatore* a *S.Ambrosio* sacris interdicto; sicut & nonnullos, qui illum non extenuerunt, etiam in hac mortali vita pœnas luisse acerbissimas &c. Huius pœnæ metus ab aliquot sæculis apud complures Catholicos imminutus non parum est, eò quòd nimis frequenter, e leuibus causis, & non exactè perpensis, & ad temporales fines, & non ad animarum medicinam, vel ad alios salubri animaduersionis exemplo a vitijs deterrendos, sed potiùs e priuatis passionibus eductum fuisse, manifestum sæpè fuerit: Quamobrem prudentissimè Trid.Concil. Patres sess.25.c.3. init. *Quamuis excommunicationis GLADIUS neruus sit Ecclesiasticæ disciplinæ, & ad continendos in officio populos valde salutaris, sobriè tamen, magnaque circumspectione exercendus est; cum experientia doceat, si temerè, aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quàm formidari, & perniciem potiùs parere, quam salutem &c.* Licet iusta quoque per se causa adsit hunc exercendi gladium, adhuc attendendum, an maiora hinc incommoda, quam commoda in Ecclesiam sint importanda. Quid

ſi excommunicato aliquo inſigni viro vel dignitate, vel ſcientia, aut multæ exiſtimationis ille, ſchiſma ingens excitandum ſit, vel ad hæreticorum caſtra acceſſurus, & inde vel in temporalibus augenda hæreticorum potentia, & audacia, vel argumentorum iacula contra Catholicam fidem ſint emittenda, quibus, licet illa expugnari nequeat, plurimorum tamen fidelium mentes in fide infirmentur, confirmenturq. magis hæreticorum in ſuis ſenſibus mentes! Vniuerſim illa ſapienter præſcripſit *Innoc.IV.* in Conc.Lugd. an.1245. repoſita a *Boniſ.VIII.* c.1. de Sent. Excom. in 6. *Cum medicinalis ſit excommunicatio, non mortalis, diſciplinans, non eradicans, dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat, cautè prouideat Iudex Eccleſiaſticus, vt in ea ferenda oſtendat ſe proſequi, quod corrigentis fuerit, & medentis &c.* Hæc multò magis attendenda in *Interdicto Generali*, ſiue *Perſonali*, ſiue *Locali*, cum in vtroque puniantur etiam innocentes; vnde idem *Boniſ.* c. *Alma Mater* de Sent. Excom. in 6. moderatus eſt ſtatuta prædeceſſorum Pontificum, quia ex *eorum diſtrictione* experientia docuerat, *creſcere indeuotionem populi, pullulare hæreſes, & infinita pericula animarum inſurgere* (& refert ibi *Gloſ.* ſe audiuiſſe, in quodam loco in Marchia, quod tanto tempore ſteterat interdictum, quod facta relaxatione homines illius loci 30. & 40. annis, qui nunquam audiuerant Miſſam, deridebant Presbyteros celebrantes) *ac Eccleſijs ſine culpa earum debita obſequia ſubtrahi*. Eadem pariter experiẽtia docuit hoc ſæculo in Italia ipſamet, nec ſemel, haud Pontificia interdicta fuiſſe ſeruata, quòd exiſtimatum fuerit, e temporali cauſa, vel e cauſa minùs probata, aut æqua, illa fuiſſe promulgata, idque etiam a pijs, doctiſque Eccleſiaſticis, ac Regularibus Mendicantium quoque celebrium Ordinum; ac poſtremò etiam illorum Superiores, etiam S.I. ſe Principi feudatario quoque S.R.E. ſe paratos obtuliſſe ad illud non ſeruandum &c. Omittitur, quod poteſtas huiuſmodi *Interdictum* ferendi non adeo conſtat e ſacris litteris, ſicut poteſtas circa Excommunicationem. *Amplificatum B. Petri Patrimonium, & in temporalia exhibitum vehemens a multis R.P. ſtudium, ac in primis minor eorum probitas, venerationem cenſurarum imminuit apud Principes, populoſque*.

LXXII Eſt inter Catholicos diſſenſio, an penes Eccleſiam ex iure diuino, vel naturali (nam humano iure in plurimis illam habere conſtat) ſit dominium, ius, ſeu poteſtas vtendi gladio temporali: Etenim *Nicolaus I.* Papa electus an.858. Apr.24. vt legitur 23.q.2.c.6.*inter hæc*, ſcribens ad Albinum, ſeu Alcuinum Epiſc. Ianu. ſic ait, *Sancta Dei Eccleſia mundanis nunquam conſtringitur legibus; gladium non habet, niſi ſpiritualem; non occidit, ſed VIVIFICAT*: Nec non *Ioan.* 8. qui Pontifex an.872. Dec.14. in litt. ad Paul. Epiſc. leg. in German. ac Pann. 16. q. 3.c.14. *Porrò*, ait, *Eccleſiæ CORPORALIA neſcientes ARMA ſolum Dominum, & propugnatorem ſuum, quando ei placuerit miſereri, patienter expectant*. Cum etiam *Cæleſt.III.* Pontifex 1191. Mart.29. loquens de Clerico in quocumque Ordine conſtituto, & conuicto de graui crimine

ne publico, iubensque eum primò deponendum, postea Excommunicandum, si incorrigibilis sit, ac deinde anathematizandum, respondeat ad Consultationem sic; *postmodum si in profundum malorum veniens cõtempserit, cum Ecclesia non habeat vltra, quid faciat, ne vltra possit esse perditio plurimorum, per sæcularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur exilium, vel alia legitima pœna imponatur*, spirituales quidem pœnas tribuit Ecclesiastico Iudici, temporales verò, ipsum quoq. exiliũ, sæculari c.10.*de Iud*. Atq. quadraginta annis priùs hęc *Eugen.III.* probauit in *Gratiani* Decreto ad 2.q.7.c.Nos 41. *Notandum est, quod duæ sunt personæ, quibus mundus iste regitur, Regalis videlicet, & Sacerdotalis. Sicut Reges præsunt in causis sæculi; ita Sacerdotes in causis Dei. Regum est corporalem irrogare pœnam; Sacerdotum spiritualem inferre vindictam. Dauid ergo etsi ex regali vnctione Sacerdotibus, & Prophetis præerat in causis sæculi; tamen suberat eis in causis DEI; Vnde Reges a Prophetis, & Sacerdotibus vngebantur, & eorum oblatione peccata Regum expiabantur. Sicut ergo Ozias a Domino lepra percussus est, quia Sacerdotum officia vsurpare voluit; Sic Sacerdotibus, & Prophetis Regum vsurpare officia non licuit. Nathan ergo Propheta, cum Regem redarguit, suum est executus officium, in quo erat Rege Superior; non vsurpauit Regis officium, in quo erat Rege inferior; monuit eum, vt per pœnitentiam peccata sua expiaret; non tulit in eum sententiam, qua tanquam adulter, & homicida morti addiceretur. Sic & B. Ambrosius Theodosium, Innocentius Arcadium Imperatorem excommunicauit, & ab ingressu Ecclesiæ probibuit. Sicut enim non sine causa Iudex gladium portat; ita non sine causa claues Ecclesiæ Sacerdotes accipiunt. Ille portat gladium ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum Rom.13. Petri 1.c.2. Ita isti habent clauem ad exclusionem excommunicatorum, & reconciliationem pœnitentiam*. Et sanè significatur 23.q.5.a c.20.e Concil. Paris. Turon. SS. Patribus, ac Summis Pontificibus ipsis, esse Regum, Principum, ac sæcularis potestatis temporales irrogare pœnas, in Ecclesiasticis etiam quibusdam delictis; & q 8.c.*Conuenior* leguntur illa *S.Ambr.* in orat. contra Auxent. *Dolere potero, potero flere, potero gemere; aduersa arma, milites Gothos quoque, lachrymæ meæ arma mea sunt; talia enim munimenta sunt Sacerdotis; aliter nec DEBEO, nec possum resistere*; hæc autem pręcedunt verba *S.Greg.* in ep.1.lib.7. ad Sabin. *Si in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset diuisa: Sed quia DEVM TIMEO, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido*. Imitatus *S.Greg. & Ambros. S.Bernardus* ep.170. *Si totus terrarum orbis aduersum me coniuraret, vt aliquid molirer aduersus Regiam Maiestatem; ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem offendere temerè nõ auderem; neque enim ignoro, vbi legerim, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*; nec non ep. 222. ad eumdem Ludouicum Francorum Regem, licet Rex Ecclesię iniurias inferret, illam contemneret, atque conculcaret, ait. *Profectò stabimus, & pugnabimus vsque ad mortem, si ita*

oportuerit, pro Matre nostra armis, quibus LICET; non scutis, & gladijs, sed PRECIBVS, FLETIBVSQVE ad Deum. Arma scilicet *spiritualia sunt propria militum* Christi; vt ait *Glos.* ad Eph. 6. Nec obstat *PRIMO Exemplum Leonis IX. vel Iulij II.* Etenim 1. *Sana ratio exemplis* d. 9. cap. fin. *est anteponenda*. Sanctorum equidem dicta, vel facta non quælibet fuerunt sancta. Ipsimet Apostoli, postquam in ipsa quoque confirmati gratia, nonne peccarunt etiam venialiter, vt communis sententia fert de ipso nominatim Petro Gal. 2. v. 14. & de omnibus Apostolis vniuersim videtur loqui S. Ioan. ep. 1. c. 1. v. 8. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*. An non existimandum, quod Apostoli ad Confessionis Sacramentum accesserint? Certè illius frequens est, ac fuit apud Sanctissimos quoque viros, & in Sanctorū Canonem relatos vsus: Quamobrem in multis eos imitari peccatum foret; Imò Deus consultò in quosdam defectus eos labi, nec infrequentes, permittit, ac permisit, vt magis humiles sint, ac fuerint &c. Prætérquam nonnulla quidam ex illis effecerunt e peculiari Dei instinctu; quos æmulari temerarium omninò foret. 2. Non sic alij Sanctissimi Pontifices, vel Præsules effecerunt; neque ad id vnquam SS. Patres hortati sunt. 3. Quidni errauerit & *Leo*, & *Iul. II.*? Ille licet re Sanctissimus, sicuti Dauid, Petrus &c. labi potuit: Nec Deo placuisse, quod *Leo* cum exercitu proficisceretur ad eripiendam Beneuentanam Ciuitatem, quæ in B. Petri patrimonio erat, Nortmannorum potestati, videtur multis euentus ostendisse; nam fugato Teutonicorum toto exercitu, ipsemet Pontifex in hostium manus incidit, quem tamen postea honorificè dimiserunt &c. Iste propter tot Christianorum, & Catholicorum sanguinis profusionem, schisma ingens excitatum, ostēsam R. E. temporaliū commodorū summam, spiritualiū verò modicissimā sollicitudinem, haud inter laudatissimos Pontifices reponitur; imò illius fama apud complures e Catholicis est obscura, & apud quosdam sanguinarij hominis, improba. 4. Quia *Leo IX.* quòd bellicis vsibus semet implicuerit, fuit reprehensus a *B. Petro Damiano in Epist. ad Firm. Episc.* quæ legitur in tom. 3. Biblioth. Patr. & a Baron. ad ann. 1053. exscribitur; qui immerito sanè notat B. Petri Damiani sensum, tanquam Catholicis dogmatibus aduersantem; licet enim hunc Virum Cardinalitia dignitate, sanctitate, ac eruditione, & in R. E. studio clarissimum non fecerit hæreticum, iniuriosum tamen est illi, nec leuiter, asserere, quod eius doctrina Catholicis repugnet dogmatibus; Sic enim notantur, & Sancti Patres, & Summi Pontifices ipsi, alijque Doctores verè insignes, qui Ecclesiæ nonnisi spiritualem gladium, & arma spiritualia concedunt. Etiam *Iul. II.* coram Lateranensis Concilij Patribus illius initio ann. 1512. Maij 3. fuit tacitè reprehensus ab *Aegidio Viterbiensi* tunc Augustiniani Ordinis Generali (postea Cardinali sub *Leone X.* an. 1517.) in oratione, quam præsente ipso habuit, edita eiusdem *Leonis* iussu, & transmissa cum eius Concilij Actis ad omnes Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos &c. an. 1521. Maij 25. antea diligenter recognitis

gnitis ab *Antonio de Monte Cardinali S. Praxedis*, qui ab eodem *Iul.II.* inter Cardinales fuerat cooptatus an. 1511. Martio Mense; Cuius verba, ac summi ponderis, paulò post referenda. *Neque obstat SECVNDO* Extrauagans *Bonif.VIII.* inter Extr.Com..de Mai.& Obed. *Tum quia* (vt omittatur, illam vbique receptam non fuisse ex præsumptione, quod illa prodierit e peculiariter infenso Ludouico Francorum Regi eiusdem Pontificis animo; & *Clem.V.* postea declarasse, vt legitur ibid. de Priu. cap.2. eam nullam penitus præiudicium generasse Fraucorum Regi, illiusque regno) denique solum concludit, *Porro subesse Roman. Pontifici omni humanæ creaturæ declaramus, dicimus, definimus, & pronunciamus esse de necessitate salutis*; quod nemo Catholicus negat in spiritualibus. *Tum quia*, quæ ibi adducuntur, solummodò probant, *gladium temporalem esse sub spirituali, & hunc ab Ecclesia exercendum, & Sacerdotis manu, illum verò pro Ecclesia exercēdum manu Regum, & militum, sed ad nutum, & patientiam Sacerdotis* (quæ verba desumpsit *Bonif.VIII.* e *S.Bern.* lib.4. de Consid.) hoc est, Ecclesiam propter instantem sibi necessitatem posse vsum gladij materialis præcipere, vel prohibere, ac teneri illius dominium habentes tunc pro defensione Ecclesiæ illo vti; vnde Ecclesia potest imperare Principibus, vt contra hæreticos, apostatas a fide, abutentes Sacramentis, aliaque facinora perpetrantes eodem vtantur; imò quoque eos Ecclesiasticis cogere pęnis, ne in suarum perniciem animarum, vel populorum sibi subiectorum tali, vel tali modo de temporalibus disponant; vnde & quilibet Præsul, seu Episcopus, habet ius præcipiendi, & cogendi per censuras Ecclesiasticas Sæculares Iudices sibi in spiritualibus subiectos, vt iustitiam administrent, malefactores debitis afficiant pœnis: Non tamen hinc fit, vt Ecclesia in ordine ad salutem animarum habeat ius ipsa vtendi gladio temporali, vel eius dominium acquirat; Sic enim vbi quis promisit, vouit, iurauit certam pecuniam, v.g. ad nutum, seu voluntatem alterius distribuere, vel simile quid efficere, non acquirit hic dominium in talem pecuniam, vel rem, sed solum renuens potest cogi ad persoluendum promissum, votum, iuramentum. Et huiusmodi quidem potestas R.P. maximè, tāquam necessaria omninò ad finem suæ potestatis, quæ est directio animarum ad æternam felicitatem, a sapientibus Catholicis conceditur; qui tamen negant deberi ex iure Diuino, ac Naturali Ecclesiasticis quibuslibet Iudicibus potestatem irrogandi pœnas temporales Iudicum Temporalium proprias, solúmque consentaneas potestati spirituali pœnas infligendi eisdem concedunt, *inuisibilem* scilicet, non *visibilem gladium*, iuxta doctrinam *S.Aug.* c.2. lib. de Fid.& Op. asserentis *Gladium materialem, quo in veteri testamento Moyses, & Phinees vsi sunt, fuisse figuram degradationum, & Excommunicationum, quæ in lege noua exercendæ sunt, cum in Ecclesiastica disciplina VISIBILIS fuerat gladius cessaturus*. Nec *S. Bern.* quem e SS. Patribus solum contrariæ assertores sententiæ, secuti potissimè *Bonif.VIII.* afferunt in primis, probant pronius vsum temporalis gladij in R.P. nam tantūmodò clarè

huic

huic illum concedit, quatenus ad *eius nutum ab Imperatore, & milite exercendum pro Ecclesia*; at spiritualem vult exerendum ab Ecclesia, materialem verò militis manu; & hunc si velit Ecclesia exercere, ait esse contra Domini præceptum imperantis Petro, vt gladium suum in vaginam conuerteret; quamobrem & subdit, *Nunc verò arripe illum, qui tibi ad feriendum creditus est, & vulnera ad salutem, si non omnes, si non vel multos, certè quos possit*; & hunc vult esse *Verbum Dei*; nulla etiam facta excommunicationis mentione. *Addi posset*: Etiamsi R. P. haberet dominium gladij materialis, si Christi verba ad Petrum attendantur profectò, nunquam ille educendus est; sed in vagina semper retinendus. Cum autem hæc quæstio sit eadem, vel eidem pretius quàm maximè affinis, An R.P. habeat dominium directum, vel saltem indirectum in bona Principum, ac Populorum temporalia, ita vt liceat illi priuare Princeps sæculares dominijs suis temporalibus, subditosq. absoluere ab obedientia Ciuili illis debita cæteroqui &c. ac pro R. P. stet cômunior ab aliquot sęculis sententia; at pro Principibus stent alij, & insignes, tum pietate, tum doctrina Viri etiam hoc sæculo, ne dum post annum millesimum, qui praxim, doctrinamq. contrariam viguisse in Ecclesia ante annum millesimum probare contendunt; Nec necesse sit agere de illa, licet opportunum videatur, vt concedens dominium etiam indirectum reprobetur, vt pote odiosam reddens A.S. Catholicis Principibus, retrahens Principes infideles, ac hæreticos a Christiana, & Catholica Religione, excitans populos ad rebelliones &c. Placet solùm afferre verba *Aegidij Viterb.* ad indicandum, quam dissentaneus, imò incommodus fuerit Ecclesiæ vsus temporalis gladij. Hic *Iul. II.* alloquitur sic. *Deus petit, mandatque, vt duo illa animo volutes, cures, peragas, & (quemadmodum Propheta iubet Hier. 1. v. 10.) destruas, euellas, eruas errores, luxum, vitia; instituas, ædifices, plantes moderationem, virtutem, sanctimoniam. Ad hæc verò agenda, cùm alia permulta, tum præcipuè amissus exercitus* (a Gallis victus, qui etiam Rauennam die ipso Dominicæ Resurrectionis Ap. 11. occuparunt; de qua re *Guicciard.* inter cæteros lib. 10.) *Excitare nos debet; quod equidem putem Diuina prouidentia factum, quò armis Ecclesiæ alienis freti cederemus, vt ad nostra redeuntes, victores euaderemus. NOSTRA autem ARMA sunt Pietas, Religio, Probitas, Supplicationes, vota, lorica fidei, atque arma lucis, vt Apostoli verbis vtar (Rom. 13. Eph. 6.) Ad quæ si Synodi opera redibimus, vt armis non nostris inferiores aliquo hoste fuimus, ita nostris erimus omni hoste superiores. Veniat (quæso) in mentem Mosis bellum, quod aduersus Amalech regem gessit. Videbis populum Deo clarum, gladijs fidentem, vinci semper, contra, semper vincere precibus supplicantem (Exod. 17.) Iosue exercitum in prælium ducebat; Aaron Sacerdos cum Hur, ac Mose montem ascendebant. Illi armato corpore ferebantur in hostem; hi Deum purgato animo precabantur; illi ensibus, hi votis agebant; illi ferro, hi pietate pugnabant. Vidimus vtraque arma, militiæ scilicet, ac religionis. Sed iam, quæ nostra sint, Deo rem ostendente, cognoscamus. Dum Moses*

Moses (inquit) manus attollebat , noster vincebat exercitus ; dum manus remittebat, exercitus inclinabat . Ac (ne casu id factum suspicemur) in calce sermonis illius scribitur , aduersus Amalech , hoc est in Ecclesiæ hostem , Dei manum , ac bellum esse in generatione , & generationem . Quibus quidem verbis monet Deus, vtramque generationem, atque vtramque Ecclesiam, & Mosis , & Christi, militiæ armis vinci , pietatis studio vincere ; Superari telis decertando , sacra faciendo superare . Freta initio suis armis Ecclesia Aphricam cæpit , Europam obtinuit, Asiam occupauit, non vi, non bello, non ferro, sed Religionis actionibus , & sanctitatis opinione per vniuersum Orbem Christiana signa circumtulit . At vbi sponsa , quæ tunc vndique vocabatur, accersebatur , expetebatur in vestitu deaurato , aureum paludamentum ardentis spiritus ferreis Aiacis insani armis commutauit ; Imperium duodecim Ducum partum sanguine amisit ; Asiam , & Hierusalem perdidit ; Aphricam, Aegyptumque relinquere coacta est; Europæ cum Bizantino imperio, & Græcia, bonam sibi eripi partem vidit. Vox est Dei dicentis (Exod.17.) lassis Mosis manibus, votis , precibusque cessantibus, Iosue vinci, vincere Abimelech : Ita & nos vidimus , cum Religio XOTA FERRO commutauit, toto fere Orbe pulsam , eiectam , explosam Ecclesiam , aucto in immensum Mauhmete : Qui, nisi FERRO relicto , rursum in pietatis sinum ad aras , & Dei puluinaria redeamus , crescet in dies magis, subiget imperio omnia , orbem vniuersum nostræ impietatis vltor impijssimus occupabit . Video , video , nisi vel hoc Concilio , vel alia ratione nostris moribus modum imponamus, nisi nostram HVMANARVM RERVM CVPIDITATEM malorum fontem , cedere diuinarum amori compellamus , actum de Republica esse Christiana , actum de Religione , actum de pietate, actum de ijs ipsis opibus , quas Patres Diuino cultu aucto pepererunt, nos contra, neglecto amissuri sumus &c. Quis non admirabitur *Aegidij* tunc solùm Generalis suis Ordinis magnanimitatem in hisce proferendis coram *Iul.II.* Principe bellicosissimo, & astantibus Concilij Generalis Patribus, alijsque permultis ? dignus etiam hoc nomine purpura ; Quæ nemo forsan, nisi Apostolico planè spiritu præditus auderet palam dicere modò ante Pontificem , si similia ageret, dubitans, an statim ab Vrbe relegandus ad minùs, si non tanquam suspectus de hæresi habendus, ac Romæ, & in carcere , retinendus , vt pote non benè sentiens de R.P. potestate , vel de potestatis vsu &c. Equidem a Christo Petrus *Regni cælorum claues* accepit Matth. 16. v. 19. At Princeps *gladium portat* 1.Rom.13. *Vindex in iram ei , qui malum agit* ; & ad hoc dicitur bis v. 4. & 6. *Minister Dei* . Ipsamet Ecclesiastica disciplina indiget prorsus terrore, ac rigore Principum 23.q.5.c.20.

Matth.

Matth. 26. a v. 69. Marc. 16. a v. 67. Luc. 22. a v. 54. Ioan. 18. v. 16. 17. 18. 25. 26. 27.

LXXIII. OCcaſiones proximæ peccati in Petro quinque recenſeri queunt 1. *Sequi Chriſtum a longe*. 2. *Manere in loco, vbi erant fœminæ, & loqui cum illis*. 3. *Sedere ad ignem*. 4. *Commorari in atrio, & palatio Annæ, & Caiphæ*. 5. *Verſari cum hominibus Chriſto infenſis*, ſeu cum aulicis Annæ, & Caiphæ. Facilè in multa, & grauia habetur peccata R.P. Si *Primo TEPIDVS, SEV NON FERVENS* fuerit illius in Chriſtum amor, ſolùmq. in leuibus nonnullis voluerit Chriſtum imitari; & cætera, quæ ad ſuum honorem, ſuaque, vel ſuorum commoda ſpectant, ſtudioſè proſequatur; exiſtimetque Apoſtolicæ Sedis præcipuum decus ſitum eſſe in quodam extrinſeco apparatu, in amplificatione B.Petri patrimonij, in quibuſdam vehementer tuendis Immunitatibus, in vltione, & graui eorum, quos putet, vel ſuo honori, vel E. R. emolumentis aliquid detraxiſſe. *Sequitur etiam a longe Chriſtum*; *SI* plurima ad ipſum in primis attinentia Euangelicæ perfectionis conſilia non exequatur; *SI* non diligens ſit in ipſiſmet peccatis venialibus euitãdis. *Secundo ſi FAMILIAREM SEMET* exhibeat cuilibet prorſus fœminæ, ſeu Conſanguinea ſit, ſeu Affinis, ſeu etiam Dignitate conſpicuæ (adde etiam *Pietate*) *eiuſmodi enim familiaritates* quoq. multis eſſe periculis expoſitas e publicis conſtat monumentis. Neq. enim poterit illarũ precibus, aut poſtulatis allectus, vel etiã ferme cõpulſus non multa efficere Pontificię Maieſtati diſſentanea; & quandoq. fieri poterit, vt earum aſpectu, & verbis, quaſi Syrenum cantu irretitus, aut ſopitus ad fœminarum nutum Eccleſiaſticas pleraſque dignitates, ac etiam primarias, conferat, & immeritis non rarò, quos tamen ipſæ in oculis ferrent; vel etiam plures horas in earum colloquijs impendat, cæteroquì impendendas cum Cardinalibus, Principum Oratoribus, alijſque vniuerſalis Eccleſiæ negocijs &c. Indeque ad populos ea dimanet fama, quòd talis fœminæ adhibenda ſit opera cum R.P. vt aliquid ab illo quis conſequatur, adeoque regat illa Pontificatum; & cum fœminæ ſoleant eſſe præ hominibus auariſſimæ munera hinc reportẽt ampliſſima, largiorem promittentes apud R.P. remunerationem, ſi hæc fuerint pariter largiora. His accedunt ſcandala in omnibus Catholicis, ac in Chriſtianæ, & Catholicæ Religioni infenſis irriſiones quoque de Romano Pontificatu, pingentibus, vel ſculpentibus fœminam in Cathedra Petri ſedentem, & R.P. *digitis*

appre-

apprehendentem fusum Prou.31. v.19. Fabula quidem de R.P. fœmina, quam contra Catholicos vehementer Sectarij vrgent, emanauit profectò e ni[illegible] ia auctoritate, qua quędam fœmina nomine Ioanna obtinuit penes *I annem Duodecimum*; quam verè fabulam fuisse, præter alia, confirmant, prouido Dei consilio, summopere quæ posteriori hoc sæculo contigerunt in conspectu totius Vrbis, & Orbis, quamuis legitimus sederet in S. Petri Cathedra Pontifex. Laudabile admodum foret, vt R.P. nulli prorsus fœminæ aures præberet, nisi præsentibus nõnullis, seu Ecclesiasticis, seu sæcularibus, qui tamen non audirent, quæ secreto indigerent. Non imprudenter sanè Basil. Patres sess.23. Constitutionem S.Greg. in Generali Synodo ann.595.c.2. editam declararunt, aut voluerunt (iuxta ipsorum sententiam) comprehendere R. P. & Cardinales, nondum Episcopos omnes, repositam 2.q.7.cap.58. *Vt quidam ex Clericis, vel etiam ex Monachis electi ministerio cubiculi Pontificalis obsequantur, vt is, qui in loco regiminis est, tales habeat testes, qui vitam eius in secreta conuersatione videant, qui ex visione sedula exemplum profectus sumant*; nec non *Paschalis* Papæ electi ann.817. Ian. 18. c.fin.ibid. *Episcopi lectioni, & orationi vacent, & semper secum Presbyteros, & Diaconos, aut alios boni testimonij Clericos habeant, vt secundum Apostolum* (1.*Timoth*.3.) *& Sanctorum Patrum instituta possint irreprehensibiles inueniri*. Extat quidem d.81.c.32.Concil.Afric.c.5. decretum; *Clerici, vel continentes ad viduas, vel virgines, nisi ex iussu, aut permissu Episcoporum, aut Presbyterorum non accedant; & hoc non soli faciant, sed cum Conclericis, vel cum quibus Episcopus, vel Presbyter iusserit; Nec ipsi Episcopi, & Presbyteri soli habeant accessum ad huiusmodi fœminas; sed vbi aut Clerici præsentes sunt, aut graues aliqui Christiani*; Quin etiam vt excludatur omnis mala suspicio c.26. e Syn. 7. siue quinsexto ann. 692. vetatur Clericus, nonnisi certo tempore, certo in loco, & cum socio, loqui cum mulieribus (*exnrancis scilicet*) & præterea 18.q.2.c. 24. e Conc.Hispal.2.c.11. prohibetur *Abbas, vel is, qui præficitur, extra eam, quæ præest, loqui cum Virginibus Christi aliquid, quod ad earum institutionem pertineat, neque cum ea sola, quæ præest, frequenter loqui eos, sed sub testimonio duarum, vel trium sororum, ita vt rara sit accessio, & breuis omnino locutio*. Hæ autem malæ suspiciones an non magis præcauendæ a R. P. a quo omnes Ecclesiastici prorsus, & Cardinales, ac Episcopi nominatim illa castitatis, & continentiæ exempla desumere debent, vt *nullum scandalum*, & *offendiculum* in hac materia *efficiatur* q.2.c.5. eoque magis, quod hæ solent hominem reddere valde cõtemptibilem, vt pote de crimine cõmuni cum brutis, vt habetur e *S.Greg.* 31.Moral.c.31.& ex ipsomet Philosopho 3.Eth.c.10.& 7.c.6. Quid autem indignius, quam quod homines suspicentur, R.P. qui refert Deum in terris, hominem esse, vel euasisse *brutalem*, vt loquitur *S.Th.* 1. 2.q. 73.ar.5. in fine, & cum sit in summo omnium *honore, comparatum esse iumentis insipientibus* (Ps.48. v.13.) *& similem factum esse illis? Tertio OTIOSVS SEDEAT*. Oportet, vt R.P. odio se tradens, vel sibi in-

dulgens, ab omnibus ferme Pastoralibus curis semet eximere contendens, *EXISTIMET* 1. *Quod Pontificatus non sit onus omnium planè, quæ sunt in terris, grauissimum*, humeris formidandum plusquam Angelicis (nam solus particularis Episcopatus dicitur a Trid. Patr. sess.6. cap.1. *Onus Angelicis humeris formidandum*) & quòd arbitretur, non redditurum se rationem Deo de cunctis animabus, quæ e sua peribunt negligentia, non enitens, vt infidelibus Euangelicæ, Hæreticis Catholicæ veritatis lux afferatur. Catholici Dei mandatis se præbeant obsequentissimos, Ecclesiastici, ac Regulares præ cæteris, vbicumque sint, moribus fulgeant, ac omnes animarum Pastores plenè suo fungantur munere. 2. *Quod salutis suæ satis esse putet; SI* Diuinis intersit deuotè officijs, missamque frequenter celebret, licet ferè nunquam ante Deum perpendat, muneris sui obligationes quàm multiplices sint, & quasi semper exponentes R.P. periculis peccandi, & læthaliter contra Charitatem, & Iustitiam, si illis non satisfaciat, aut leuiter sui muneris functiones proprias obeat; frequens enim earum meditatio haud eum esse otiosum sineret, nec illum pietatis quibusdam signis contentum redderet; sed vrgeret, impelleretque ad necessario etiam somno horas aliquot subtrahendas ad vigilandum super gregem suum, qui, præter Romanum, sunt vniuersi greges, qui singuli singulis assignantur Pastoribus, vt sapienter *Bern.* lib. 2. de Consid. Apud quem sicut nec apud Basil. Patres legitur admonitio, vel suasio R.P. vt quotidie, vel sæpissimè Diuina mysteria (quamuis hoc non solùm summoperè sit laudabile, verum etiam debitum, *Omnis namque Pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur in ijs, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona, & sacrificia pro peccatis; qui condolere possit ijs, qui ignorant, & errant; quoniam & ipse circumdatus est infirmitate; & propterea debet, quemadmodum pro populo, ita etiam & pro semetipso offerre pro peccatis* Hebr. 5. init. sed iugis sacrificij amplior in dies extare debet fructus in exactiùs semper implendo id, quod ex officio tenetur) vel officia frequentet; & *S.Bern.* quidem lib.1. monet *Eug.* vt subtrahat se negocijs sæcularibus, litibus audiendis de temporalibus dirimendis, Causidicis audiẽdis &c. ac se ipsum tradat considerationi muneris, quod sustinet &c. Viderunt illi, hæc facillimè suaderi, ac perfici posse; alia verò difficillimè, vtpote ingentes animi, & corporis quandoque molestias exigentia; ideoque suadenda efficacissimè, ne hæc, quæ *Marthæ* potiùs videntur ministeria, quam *Mariæ*, omittantur a R. P. Qui etiamsi foret propensissimus in ea, quæ ad contemplatiuam pertinent vitam, seu ad *sedendum secus pedes Domini ad audiendum verbum illius*, meminisse tamen debet eorum, quæ scripsit *Innoc.III.* ad Episc. Arelat. qui petebat cessionem ex Episcopatu sibi concedi, vt contemplationi vacaret: *Nec putes, quod ideò Martha (Luc.10.ver.38.) malam partem elegerit, quæ circa plurima satagebat, quia Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea; quoniam licet illa sit magis secura, ista tamen est magis fructifera; & licet illa sit magis suauis, hæc tamen magis vtilis, cũ in fœcunditate sobolis*

lippi-

lippitudo Liæ (Gen.29.) Rachelis pulchritudini sit prælata ; quamuis simul in vnum, & contemplatiuas esse valeas,& actiuus, Legislatoris exemplo, qui nunc ascēdebat in montem, vt ibi gloriam Domini (Exod.34.) cum maiori cerneret libertate; nunc verò descendebat in castra, vt cum vtilitate maiori necessitatibus populorum prouideret &c. Quid si R. P. tempus, quod superesset celebrationi missæ, ac præsentiæ Diuinis quandoque officijs, non impenderet in functionibus vitæ contemplatiuæ proprijs; sed in colloquijs de re familiari cum domesticis, de modo augendi honores, ac opes Consanguineis, & Affinibus, de Medicinalibus valde opportunis ad vitam longiùs protrahendam, de Rhetoricis, de seuera vltione illorum, quos ipse putaret sibi, aut suis, seu etiam A.S. parùm propitios, de Immunitate Ecclesiastica in Principum sæcularium ditionibus amplificanda; Vel etiam in semet ornando, ac perpoliendo, in numeranda pecunia, in pretio munerum ad se delatorum æstimando, in intimorum cubiculorum apparatu ornatiori reddendo, in floribus, alijsque suauem afflātibus odorem naso admouendis, in ambulando diu per viridaria, in iucundis quibusdam spectaculis inspiciendis; ac non modicam diei partem insumeret in suauibus, cum suis Consanguineis, & Affinibus, Nepotibus &c. sermonibus, ac similibus; at paucùlas, ac sepè nullam e diurnis, nocturnisque horis dicaret tractandis Ecclesiæ vniuersalis, vel particularium Ecclesiarum negoci s &c. licet (inquam) sæpius etiam in dies celebraret, etiamsi professis diebus diuinis interesset officijs; Quis, nisi insanus planè, arbitrabitur animæ suæ hunc R.P. consulere? Nec deerit, qui arbitretur, hæc ex hypocrisi potius agi. Hic certè non *solicitus* tunc *esset*, *nec satageret circa frequens ministeriū Christi* ipsius instar Marthæ Luc.10.v.40.41. sed sui corporis, & suorū. Quid si etiā castum semet exhiberet; at esset personarū acceptor, pertinax in aliquorum odio, opū in suis impensè studiosissimus, in promissis haud fidelis mentalium restrictionum amantissimus, in adulatores, suarumque exaggeratores laudum propensissimus &c.!

3. *Quod tunc se censeat Romanum Pontificem, cum procedit gemmis ornatus, vel sericis* (verba sunt *S.Bern.* lib.4. de Consid.) *tectus auro, vectus equo albo* (vel in ornatissima sede cum triplici diademate humeris certi hominum generis delatus) *stipatus milite, circumstrepentibus septus ministris*; cum ad suos prouolutos pedes conspicit primarios quosque viros; Cum titulos audit nulli infra Deum delatos; cum iurisdictionem actu exercet, & spiritualem vbiq. gentium Christianarum, seu Catholicarum, ac temporalem in amplissimis S. R. E. ditionibus; cum Principes supremos quoque multa a se nouit postulare; cum in suo conspicit ærario ingentem pecuniæ copiam: *Et non recogitat*, Episcopatum esse *nomen operis non honoris*, vt omnes planè fatetur cum *S. Aug.* lib.19. de Ciu.c.19.& reponitur 8.q.1.c.11. adeoque Episcopatum Romanum nomen esse *summi operis*, & hoc esse principale, ac finale in illo, *saluti*, videlicet, *quorumcumque hominum*, *Christique ouium cunctarum intendere*, secundum illud, ait S.Th.2.2.q.175.ar.1. in corp. Ioan.21. *Pa-*

ſce oues meas; altitudinem verò gradus ſupra cæteros Epiſcopatus indicare adhuc magis ampliſſimum planè opus exigi ab eo, qui in Romano conſtituitur Pontificatu. Vtinam non multi putent, Pontificatum eſſe ſolam hanc gradus altitudinem, reuerentiam, honorem, temporalium poſſeſſionem, ac ſimilia, quæ ſunt Romano Pontificatui annexa; ſic enim & nomine Epiſcopatus cuiuſque a multis annis iam intelliguntur emolumenta, poſſeſſiones, reditus, ita vt tunc bonus cenſeatur Epiſcopatus, cum multos reditus habet, & eò melior, quo plures, immutato iam nomine, vt animaduertit iam *Ambr. Cathar. Epiſc. Min.* de quo ſupra n.*66*.lib.4.de Conſ.&c. Quia verò hæc extrinſeca ſolùm attenduntur, & non illa, quæ intrinſecè conſtituunt Romanum Pontificatum, hæc vel prætermittuntur, aut ita leuiter tractantur, vt multum tempus otiandi R.P. ſuperſit. 4. *Quod* non attendat requiſita in Epiſcopo 1.Timoth. c.3. v.2. ſed ſolum illa v.1. *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*, incongruè etiam illa exponens; Eſt ſiquidem Epiſcopatus *bonum opus, ſed non bonæ opes; eſt bonum opus quidem proximorum commodis conſulere ſpiritualibus, illiſque prodeſſe*, at non temporalia in primis quærere commoda; multoque minus prauis moribus proximo vehementer obeſſe; Vnde S.Hieronym. ep.83. *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat; opus non dignitatem; laborem, non delicias; opus, per quod humilitate decreſcat, non intumeſcat faſtigio:* Bonum tunc opus erat, quia *tunc ille, qui plebibus præerat* (vt in 30. & amplius poſt S.Petrũ liquet etiã R.P.) *primus ad martyrij tormẽta ducebatur*, vt ait *S.Greg*.p.1.Paſt.c.8.qui & prius animaduerterat, *Apoſtolum laudaſſe deſideriũ boni operis, ſed in pauorem vertiſſe protinus, quod laudauit*, cum ſubiungit, oportet autem Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, *quaſi dicat, laudo quod quæritis, ſed diſcite, quid quæritis*. At hoc diſcere pleriq. refugiunt. Hanc nemo ſanæ mẽtis non videt irreprehenſibilitatem omnimodam ante cæteras dotes requiri potiſſimè in R. P. ita vt non ſit dignus Pontificatu, in quo quidquam meritò reprehendatur; Nec non ſummè reprehenſibilem eum coram hominibus quoque ipſis fore, ſi otioſus ſedeat, in præcipua non incumbens ſedulò Vniuerſalis munera Paſtoris: Quæ procul dubio hæc ſunt e Conc. Baſil. Patrib. quos ex Italica, Gallica, Hiſpanica, ac Germanica Natione ſelectos, nemo negat fuiſſe doctiſſimos, rerumque vſu præſtantiſſimos; *Perſcrutari*, ſcilicet, *In qua orbis parte Chriſtiana Religio vexatur a Turcis, Saracenis, Tartaris, & alijs infidelibus; In qua regione viget hæreſis, ſchiſma, vel qualibet ſuperſtitionis ſpecies; In quibus Prouincijs mores, & diuinorum obſeruantia mandatorum, rectaque viuendi forma, tam in ſtatu Eccleſiaſtico, quam ſæculari dilabuntur; Vbi etiam libertas Eccleſiaſtica conculcatur; Inter quos Reges, Principeſque, & populos vigeant odia, vel bella, vel bellorum metus; Et vbique ſicut pius Pater cum fratribus ſuis remedijs opportunis diligenter prouidere:* Et infra poſt hæc, *EPISCOPI Cardinales indagare curent, quæ regiones hæreſibus, erroribus, ſuperſtitionibus nouis, aut veteribus infectæ ſint; PRESBYTERI, vbi mores, & diui-*

norum

norum mandatorum obseruantia deficiant; DIACONI, qui Reges, aut Principes, seu populi bellis agitentur, vel agitari timeantur; & tanquam apes argumentosæ, tam apud Summum Pontificem, quam inter se ipsos diligenter, & accuratè negotia hæc sancta promoueant, operam dantes, vt vbi necessarium fuerit, salubri remedio prouideatur: ista addiderunt, *Ipse autem Summus Pontifex, tanquam communis omnium Pater, & Pastor, non solùm rogatus, & solicitatus, sed proprio motu inuestiget, inuestigarique faciat, & quam potest, OMNIBVS FILIORVM MORBIS salutarem conferat medicinam.* Hæc eadem fermè descripsit *Leo X.* in Bull.7. *Reform. Cur.* §.de Cardinalibus n.26. solum differens, quod *laborare pro viribus hæc scire*, vult esse omnibus commune Cardinalibus, eaque referri R.P. vt opportuna, ac salutaria talibus malis, ac pestibus remedia, vigilanti studio excogitari valeant. Si in his opera impendatur a R.P. cum ordinarijs functionibus, poteritne ille vnquam esse, vel deprehendi otiosus? Vix illi tempus supererit necessario victui, somno, atque animi leuiusculæ relaxationi. Vbi enimuero ipse otiosus non fuerit, nec otiari patietur Cardinales, ac sibi subiectos particularium Gregum Pastores; & si quos otiantes deprehenderit, monebit, arguet, increpabit; & si adhuc otio vacare certò cognouerit, otium plenè illis concedet, a pastorali munere illos remouendo, & in Monasterio, si culpæ grauitas exegerit, includendo. Otiantur autem illi omnes, qui negligenter, seu oscitanter pastorale munus exequuntur, quamuis seduli, ac vigiles forent in alijs, Quorum etiam nomine intelliguntur Prælati, tam Sæculares, quam Regulares, qui etiam præ illis minùs otiari tenentur, cum sibi subditos ad religiosam perfectionem voce, ac exemplo dirigere debeant. Cum verò inter Regulares maximè complures otientur sanè (otium autem *omnium malorũ originem* appellat *S.Ignat.* Fund. Soc.I. p.3. c.1. §.6. iuxta doctrinam Patrum; ac experientia declarat, pleraque Regularium scandala ex illo oriri &c.) licet sint e Mendicantium Fratrum, & Sacerdotum Regularium Ordinibus; quidni ad R.P. spectet, qui est Paterfamilias, verè Pater Christianæ familiæ Matt.24.v. 45. *mittere* hos in vineam Christi, quæ est Ecclesia ex *Orig.* & *S. Greg.* Hom.19. in Euang. laboribus suis iuxta Ordinum suorum Regulas, & Constitutiones excolendam, similis illi homini patrifamilias, cuius meminit Christus Matth.20.init. *Quarto AVLICORVM FAMILIARIS SIT*. Horum mores describit S.Bern.lib.4. de Consid. quæ non cunctis planè, sed plurimis profectò adhuc quis non existimet accommodari posse? *Ante omnia sapientes sunt, vt faciant mala, bonum autem facere nesciant &c. seditiosi inuicem, æmuli in vicinos, inhumani in extraneos &c. inuerecundi ad petendum, ad negandum frontosi; importuni, vt accipiant, inquieti donec accipiãt, ingrati vbi acceperint; grandia loquentes, cum operentur exigua; largissimi promissores, & parcissimi exhibitores; simplicissimi dissimulatores, & malignissimi proditores; blandissimi adulatores, & mordacissimi detractores;* & vtinam quidam interdum Deum esse credentes. Minus temere suspicaretur, qui assereret, in Pontificia aula

adu-

adulatores esse quasi omnes, R.P. voluntati, seu Voluptati semet penitus conformantes; inter quos Principem obtinerent locum illi, qui sophisticas quasdam rationes excogitarent ad reddendas laudabiles complures R.P. actiones, quæ coram Deo, & hominibus ipsis valde reptehensibiles forent; ac illos remouentes in primis a functionibus proprijs sui muneris, a vigilantia potissimè super Dominicum Gregem, illiusque immediatos Pastores, & attrahentes ad vitam a curis fermè omnibus vacuam, ad se, suosque largissimè locupletandos, religione sublata diuini supplicij, & populorum offensionis &c. Inter Aulicos autem non sunt illi tantùm reponendi, qui degunt in ipsius R.P. palatitio, ipsiusque aluntur impensis, sed quicumque ipsius fores frequentant, ad colloquia admittuntur sępe, benignè semper excipiuntur, etiã si forent Clerici, vel Regulares in suis Domibus, vel Monasterijs degentes; Qui vtinam in R. P. palatijs identidem re ipsa non negent Christum, non se ampliùs verbis, factis, ac exemplis se Christi socios, aut discipulos profitentes; & hinc ab Euangelicam sectando doctrinam, ab imitatione Christi, ac Petri R.P. animos reddant suis doctrinis alienos. Prudentissimè oppidò Card. Caiet. in 22.q.187. ar.2. Com. in fin. ad 3. vbi S.Th. cõcedit, *conuenire Religiosis adire Regũ palatia ad eos arguendos, & dirigẽdos, sicut Ioannes Baptista arguebat Herodem, vt dicitur* Matt.14. inquit *In Responsione ad Tertium; memento illius documenti*, Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt, Omnia mihi licent, sed non omnia ædificant; *adire Curias, & Palatia propter pias causas, licitum fatemur; sed timeamus damnum, & ruinam; nam Petrus, vt Bern. prænotauit, semel Palatium intrauit, & ter Dominum negauit. Curiam Diogenes definiuit, quod est locus ad decipiendum, & præualendum; qui sunt actus Diabolo permissi a Deo 3.Reg.22. Fugiendæ sunt a Religiosis Curiæ, & Palatia etiam Ecclesiastica, cum Petrus non Regale, aut Prætoris, sed Pontificium Palatium ingressus, nefando laqueo captus fuerit*. Nulla sanè potest sæuior pestilẽtia importari in R.P. animum, quam e *Regularibus Aulicis*, quorum sapientiæ plurimum tribuatur, si vna hi non sint singulariter pij, quærentes tantum, quæ Christi sunt, non sua, vel suæ Religionis commoda, æstimationem, priuilegia, patrocinia, redituũ amplificationem, per R.P. vltionem eorum, quos suæ famæ, aut doctrinæ infensos putant &c. hi enim, dummodo eam obtineant auctoritatem, vt quasi ad nutum regant Pontifices, ac veluti dominatum in Curia, ac subinde in plurimis Diœcesibus, quarum Episcopi, vel indigeant ipsorum opera apud R.P. aut velint studiosè semet illis conformare, nihil non excogitabunt callidissimè ad ijs suadendum, esse licitum id, quod quàm maximè liberet. Extra aulam suam, vel aulicos suos quærat R.P. veritatem. Existimet, si vniuersim comprobantur illa *Senecæ* lib.6. de Benef. c.30. *hac rei inopia laborare magna fastigia, omnia licet possidentia*, hominis scilicet, *qui verum dicat, & illud adulandi inter aulicos esse certamen, & contentionem, vt quis BLANDISSIME FALLAT*; idem prorsus, frequenter saltem, in sua accidere Aula; adeoque ab aulicis suis, qui-

cum-

cumque illi sint,nedum a Consanguinei, & Affinibus, perrarò ad summum integram veritatis notitiam se assecuturum, & plerumque fallendum. Meminerit quoque, inter innumeros *Xersis Regis* aulicos, nullum penitus,præter exterum, *Demaratum*, scilicet, *Lacedæmonium*, ausum fuisse,vt c.31. scribit idem *Seneca*,Regi *veritatem dicere*; adeoque ab exteris potiùs veritatem R. P. esse indagandam: Quam assecutus, imitetur eumdem *Xersem*, qui *gratias Demarato agens, quod solus sibi verum dixisset, permisit ei petere, quod vellet*; & si minùs hunc, *Baltassarem Chaldæorum Regem*, qui, quamuis *Daniel* non solum explicasset, vt petierat Rex.scripturam in pariete Aulæ Regiæ,verùm etiam illum acriter reprehendisset,iussit *Danielem indui purpura, & circumdari torquem aureum collo eius, & prædicari de eo, quod haberet potestatem tertius in regno suo* Dan.5.v.29. Ac licet in Pontificia Aula simile præmiũ nulli veritatem dicenti, & R.P. admonenti de minùs æquè, & scandalosè gestis delatum fuisset, primus aliquis immortalem sui famam pro hoc excelsi animi facto acquirat. Sciat enimuerò culpam,quam subit ignorantiæ veritatis,se nec apud homines ipsos, ne dum ante Deum, purgare posse; quòd hanc Aulicorum consuetudinem perspectam habens, illorum tamen dictis, ac sensibus mores suos, ac regimen totius Ecclesiæ vniuersalis conformare voluerit, cum extra Aulicos selectorum hominum consilia exquirere posset. *Quintò VERSETVR CVM HOMINIBVS CHRISTO INFENSIS*. Huiusmodi sunt reipsa,quamuis habitu Ecclesiastici, vel Regulares forent; *Qui* 1. *Euangelicam varijs interpretationibus* ita eluderent doctrinam, vt alia prorsus, quam Christi,videretur; & dum Christus voce,ac exemplo in Apostolis, Apostolorumque successoribus in primis lucere voluit Humilitatem,rerum terrenarum contemptum, Mansuetudinem, Charitatem, Simplicitatem,Sinceritatem &c. hi potius fouerent superbiam, auaritiam, inclementiam,iniuriarum vltionem, calliditatem,fraudem &c. ita vt solum pro primis Ecclesiæ sæculis illa verè doctrina tradita fuisse videatur; aliam verò posteriora, ac præsentia exegisse, ac exigere: quod quia absolute,si Christiani velint censeri,affirmare nequeunt, ita exponunt non rarò Euangelia,ne dum Apostolorũ epistolas, vt sanè textus Euãgelici corruptelæ sint, non declarationes: Atque cum in Euangelicis virtutibus præ cæteris fulgere debeant R.P. efficiunt, vt minus in illis fulgeant, vel non rarò etiam potiùs vitia Euangelicis præceptis, ac interdum quoque Moralibus ipsismet Ethnicis, contraria. 2. *Spatiosam viam, latamque portam* suis opinionibus monstrant, aperiuntque R.P. *ducentem ad vitam* contra Christi assertum Matth.7. v.13.14. cum tamen nemini prorsus sit magis *angusta porta, arctaque via*, nullique spaciosa magis via, lataque porta sit *ad perditionem*, propter varias, grauissimasque sui muneris obligationes, & quasi quotidianas occasiones peccandi læthaliter etiam contra Iustitiam. 3. *Proponũt R.P. reuelata a carne, & sanguine*, cum tamen Petrus dictus fuerit a Christo *Beatus*, quod Matth.16.v.17. opinionem suam de ipso non *reuelauit caro, &*

san-

sanguis, sed ipsius *Pater in cælis*, á quo nonnisi opiniones ad vehementem cælestium amorem attrahentes reuelantur. 4. *Significant* R.P. ipsis Deum tradidisse omnia regna mundi, siue ipsum habere dominium directum, vel indirectum in omnibus regnis totius terrarum orbis; adeoque liberum ipsi esse iurisdictionem etiam temporalem, si velit, in quolibet planè principatu exercere, cũ tamen Christus solũ *claues regni cælorum* tradiderit Petro Matth. 16. v. 19. potestate tamen illi tradita prędicandi Euangelium vbique, aut mittendi prędicatores per vniuersum orbem Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. & imperandi omnibus Christianis in spiritualibus vbicumque sint. 5. *Suadent* R. P. illius officium non esse *ministerium*, sed dominatum, non esse *seruitutem*, sed esse ferè despoticum principatum contra Christi apertissima omninò verba Matth. 20. v. 25. 26. Mar. 10. v. 43. 44. Luc. 22. v. 26. adeoque ex virtute, non ex humilitate, id asseri tradit egregiè *S. Bern.* lib. 2. de Consid. subdens: *Planum est.. Apostolis interdicitur dominatus. I ergo & tu, & tibi vsurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatum. Planè ab alterutro prohiberis. Si vtrumque similiter habere voles, perdes vtrumque:* Qui & alia in eamdem rem alloquens *Eug.* generosè protulit. 6. *Tacitè insinuant* R. P. vt non *pascant Christi oues* Ioan. 21. sed potius se ipsos, ac suos ex earum lacte, ac lana, & aliquarum etiam pelle interdum, nouis semper tributis illas premendo &c. quod est penitus oppositum Pastorali officio, prout a Christo instituto. Huius, similisque generis homines longissimè a se remaneat R.P. Ad se vocet, illisque sit familiaris, qui moribus iam conspicui; *Sunt periti in sacris literis*, ac potissimè in nouo testamento, Sanctisque Patribus, & Concilijs, ac in Gratiani Decreto, Historijsque Ecclesiasticis versati. 2. *Suadent*, vt inquit S. Bern. in fin. ep. 237. *vera, pudica, iusta, sancta, amabilia, bonæ famæ*, conformia Christi doctrinæ, ac exemplis; nam, vt inquit Ioan. 22. init. Extr. 4. Extr. Com. de Præb. *Romanus Pontifex, sicut eodem Domino disponente Vicarius eius in terris eße dignoscitur; sic & ipsius actibus* (*in quantum sinit humana fragilitas*) *se conformare tenetur*. 3. *Ita bona laudant, vt lactare in malis non nouerint*, sicut habet idem *Bern.* epist. 78. adeoque sunt ex ijs, qui nihil sperant, nihilque timent. 4. *In memoriam identidem* R. P. reuocant, se in summo omnium perfectionis gradu repositum, adeoque perfectissimas in omni virtutum genere actiones, ac verè heroicas ab ipso expectari meritissimò, quas exercuerunt complures R.P. cum singulari, perpetuaque apud posteros laude; atque dum omiserunt posterioribus maximè seculis plurimi R.P. præterquam de nõnullorum salute dubitatur, famosa in Historijs manet, manebitque semper eorum memoria; ac summissè proponunt eidem illa *Symachi* ad Laur. Mediol. Episc. 1. q. 1. c. 45. *Vilissimus computandus est, nisi præcellat scientia, & sanctitate, qui & honore præstantior*, & illa *Bern.* lib. 2. de Consid. *Monstruosa res, gradus summus, & animus infimus; sedes prima, & vita ima; &c.* & ante *Bern.* ista e *S. Amb.* c. 3. de Dignit. Sacerd. *Actio respondeat nomini, ne sit nomen inane, & crimen immane*.

Quia

Quia sicut nihil esse diximus Episcopo excellentius; sic nihil est miserabilius, si de sancta vita periclitetur Episcopus: Nam quanto præ cæteris gradus Episcopalis altior est (at altissimus omnium est Pontificius) *tanto, si per negligentiam dilabatur, ruina grauior est. Magna sublimitas magnam debet habere cautelam. Honor grandis grandiori debet solicitudine circumuallari*; ac eiusmodi multa e sacris Canonibus, Sanctisque Patribus eidem suggerunt, omissis quorumdam Theologorum, præsertim recentiorum, subtilitatibus, quæ *Euangelicam planè disciplinam dissoluunt, & conscientijs cum graui animarum periculo illudunt*; Quod quasi diuinũ oraculum e Pontificali Throno an.1656. prodiens nunquam verum reddatur in opinionibus de Euangelica R.P. disciplina, & de illorũ conscientiarum illusione cũ graui animarum, tum ipsorum, tum aliorũ fidelium cunctorum illusione; a qua si decipiuntur R. P. nequibunt se excusare de criminibus ex horum recentiorum Theologorum in primis opinione patratis, cum eam ipsi habuerunt exploratissimam; imò vitandam esse, & auertendam omnibus ex Apostolica Cathedra pronunciatum fuerit.

LXXIV. Si e fragilitate humana clam peccet interdum, & grauiter R. P. eluat illud statim pœnitentia. Existimet grauius esse omnino suum in eodem genere peccatum, quam aliorum; & quidni etiam specie differens? quare pœnas illius grauitati consentaneas de suo sumat crimine, quamuis Confessarius mitiores, quam par esset, imposuisset, inter quas reponat maiorem corporis, animique assiduitatem in ijs, quæ Apostolici sunt muneris, licet antea in eo non defecisset. Si verò publicum R.P. fuerit crimen, publicam sibi ipsimet irroget pœnam; *Censeatque*, Principum potiùs, populorumque venerationem in se inde augendam. Occurrat illi de criminibus sibi tantùm obiectis semet purgasse, & *Damasum Papam*, vt e vetustis Pontificalibus in *Damasi* vita refertur, & *Sixtum III.* vt legitur 2.q.5. c.*Mandastis* ex ipsius Epist.ad Orient.Ep.c.1.ac *Leonem* III. C.*Auditum* est ibid. Obtulitque pariter purgationem suam Imperatori *Leo IV.* C. *Nos si* q. 7. Sicuti & *Greg.IV.* redarguendi se licentiam præbuit C.*Si quis* ead. q. Sic & in 4. Synod.Rom.an.502. visum est Sacerdotibus, qui conuenerant, vt *Symachus* Papa sua expoliatus dignitate prius suo redderetur statui, ac postea, si ita videretur, accusantium propositionibus responderet, vt habetur apud *Grat.* ad finem C.*Nos si*. Haud propter hæc Sedis Apostolicæ dignitatem vilescere, vel contemptui exponere, cẽsuerunt optimi profectò R.P. Quorum menti saltem perpetuò hærere deberet subita Petri, & eadẽ amara cordis pœnitentia, e qua profluxerunt copiosæ, & tunc, & per singulas noctes, quousq. vixit, lacrymæ; vnde & Marcus Petri discipulus inquit v.32. *Cæpit flere*; nec addidit (forsan Petrus demit hanc vocem, cum istud Euangelium recognouit) *amarè*, sicuti Matth.v.75. & Luc. v.63. Et tamen e timore solum quodam illius peccatum emanauit, in quo nec vltra sex horas perseuerauit.

LXXV. Non prius flere cæpit Petrus peccatum, quàm *conuersus*

Dominus illum respexerit; tunc enim *recordatus est verborum Christi,* quia priusquam Gallus &c. Orandus est a R. P. suppliciter Deus, ac frequenter, ne si quandoque iusto ipsius iudicio labi in peccatum aliquod graue permittat, cor suum in peccato obduret, subtrahens, & denegans suæ auxilium gratiæ, e qua a peccato resurgat, multòque minùs quasdam exteriùs offerat occasiones, quibus certò sciat, ipsum occasionem in peccato perseuerandi sumpturum; agnoscatque, Dei peculiare beneficium esse, si ipsius voluntas excitetur ad patrati criminis detestationem, & intellectui adsint cogitationes peccati malitiam, statusque cum Deo inimicitiæ detestandæ, ex inopinatæ mortis etiam periculo, improbitatem ostendentes &c. Vt autem sui veniam peccati impetret; Sicut Petrus proximior Christo factus, nam aliter *conuersus Dominus* haud *illũ respexißet*, ac recedens e loco, in quo peccauerat ex occasionibus sibi in eo oblatis, *flere cæpit, & amarè:* Sic R.P. sui criminis grauitatem ante Deum, cuius est Vicarius, perpẽdens, a se penitus abscindat occasiones penitus omnes, quas nouit illius fuisse proximas, dimittens e conspectu suo, familia, Palatio, Curia, & Vrbe interdum quoque, *omnes illos, qui adulationibus, blanditijs, consilijs, precibus, hortationibus &c. ad peccatum impulerunt, & quorum præsentium amore se videt vrgeri vehementissimè ad agenda quædam Diuinis aduersantia placitis, aut valde scãdalosa, quamuis hi arctissimè sibi vel cognatione, vel familiaritate essent coniunctissimi, quamuis vtilissimi, quamuis etiam necessarij ad vitam suam longiùs protrahendam, ad domesticæ familiæ suæ opportunum regimen &c.* iuxta dilucidum Christi præceptum, de quo supra nu.68. Nunquam fiat, vt P. vlli R. in peccatis, seu in peccato aliquo ita obfirmati conspiciantur, vt nec Deum, nec homines vereantur, nullam coram Deo conscientiæ, coram hominibus famæ rationem habentes, obliti cælestis patriæ, terrenis cupiditatibus omnino dediti, solùmque in quibusdam minoris ponderis cauti, prouidique, ne omnem R. P. speciem deponant: Imò nec vnquam, vel leuiter, vllus suspicari possit, minorem fidem, quam in plerisque Catholicis, vigere in R.P. ac licet exteriùs haud negent cum Petro se Christum agnoscere, fide tamẽ valde infirma putare, se reddituros Deo rationem *villicationis suæ,* ac nominatim *de dissipatione* ipsius *bonorum* (reditus enim Ecclesiastici sunt peculiari nomine *Dei,* vt aiunt Patr. Trid. Conc. sess. 25. cap. 1) Luc. 15. init. vbi *Villicum* interpretatur eum, qui Domus Dei curam, & dispensationem habet, seu Oeconomus est, & *Theophilus Antiochenus,* & *S. Hieronymus*.

LXXVI. Cum non defuerint homines, cæterà valde laudabiles in doctrina, ac pietate, qui e quadam in S. Petrum propensione conati fuerint illum a peccato excusare, adeoque sic Apostolum defendere, vt *Deum mendacij reum facerent,* quemadmodum *S. Hierony.* scribit; Exploratissimum sit R.P. in Curia non defuturos homines, nec scientijs, nec nonnullis moribus vulgares, blandissimos omnino assentatores, dicta a se, gestaque, licet vituperabilia, commendantes, & mirificè, & nedum

dum ab omni culpa eximere illa nitentes, sed & virtutis speciem, ac egregiæ, iisdem effingentes, in sophisticis locis versatissimos. Hi sunt de quibus *Ezech*.13.v.18. Veh, qui consuunt puluillos sub omni cubito manus; *Nam quisquis malè agentibus adulatur, puluillum sub capite, vel cubito iacentis ponit, vt qui corripi ex culpa debuerat, in eo fultus laudibus molliter quiescat*; atque prius v.10. ipse ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto absque paleis; *Parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, vt quod illi peruersè agentes ædificant, ipsi adulantes, quasi nitidum reddant*. Sic S.Greg. ad c.27.Iob lib.18.p.4.c.3. ac reponitur d.46. C. *Sunt nonnulli*; vbi & c.seq. e c.56. Concil.4. Chart. legitur statutum, vt *Clericus, qui adulationibus vacare deprehenditur, ab officio degradetur*. Quid si præterea hic Regularis? An non detrudendus in Monasterium, nunquam inde discessurus, & ab Vrbe remotissimum? *Vera* profectò *amicitia habet nonnunquam obiurgationem* (inquit S.Bern.ep.243.) *adulationem* nunquam: Inimici, & capitalis R.P. sunt domestici adulatores, eos sæpissimè hominum quoque probris, iisque non rarò sempiternis, obiicientes, infensiores sanè, ac noxiores illis, qui communiter vocantur Pontificum hostes; non horum maleuolentia R.P. impellit ad mores suos perfectiùs componendos, minùsque a Christi moribus discrepantes, improba verò illorum beneuolentia ad eos scandalosè dissoluendos, ac dissimillimos Christi moribus reddendos. Vnde & ad id vsurpari commodè queunt illa *Tertul.* lib. de Pall. *Plus Rempublicam lædere* (atque lædunt,) *TOGAE* (hæ modò Doctorum, Professorumque propriæ sunt in primis) *quàm loricæ*. Mirum est, quod R.P. non agnoscant huiusmodi homines esse, qui in familiaritates Principum, & Magnatum semet insinuant; ad Aulas accedunt non vocati; enituntur esse Confessarij Principum, Episcoporum, &c. aut illorum Concionatores; Aulicorum, & in Curijs auctoritate pollentium beneuolentiam, etiam muneribus, conciliare sibi contendunt summam, si maximè minorem eam in Principe experiantur; Conscientias cuiusque hominum generis ad captandam eorum gratiam laxant; Prothei in opinionibus sunt, ita vt licet eiusdem Cœtus planè, hanc Romæ amplectantur, oppositam alibi, vt vbique dominari queant, atque si ipsis obijciantur aliquæ opiniones, alios afferant aliter sentientes; vbi quidquam agere cogitasset, quod per se vituperandum, statim hi excogitant rationes, e quibus illud efficitur laudabile; a se dicta, vel gesta laudibus extollunt, ac immeritis sæpe, ac vltra meritum, vt ipsemet quoque interdum animaduertit; non sibi suadentes, quæ Euangelicæ perfectioni consentanea sunt, sed potiùs speciosis titulis ab ea se remouentes; consuetudines prædecessorum R. P. quasdam, licet verè corruptelas, minimè improbant; non alienos se reddunt a quibuslibet existimationibus, aut suspicionibus de auaritia, superbia, calliditate, &c. ac tandem (experientia teste) hisce actionibus *sua quærunt*; vnde & obseruare potuit ipse, identidem hosce plura quærere mirificè suo honori, suisque commodis opportuna &c. An R.P. non potiùs il-

lorum consilijs adhærendum; *Qui in sacra valde eruditi pagina austeriorem vitam, Euangelicamque paupertatem in primis sectantur;* Magnatum Palatia perrarò, & non nisi vera pietatis causa, petunt, nec exquirunt in ijs, quid agatur; nec famulos, famulasq. Dominis, ac Matronis quærunt, a quibus postea certiores fiant de gestis apud illos, aut ab illis; non Viduarum, non Virginum domos frequentant sub specie illarum in spirituali via directionis, vt illarum tandem facultates, aut largas sibi aucupentur eleemosynas; ad nullas accedunt Aulas, nisi vocati, aut iussi; Primariorum familiaritates virorum deuitant, nedum munuscula non illis offerunt *ad maiores res ab ipsis obtinendas*; non sæpe per vrbem incedunt, cella contenti, in qua *lugent, legunt, orant, ac meditantur in lege Domini*; e cella ad cælum sibi facilem aditum existimantes, difficillimum vero ab Aula, Aulicisque negotijs; & ita Deo vacant, vt ex *plenitudine contemplationis* in proximorum salutem incumbant (illa siquidem Religio e *S.Th.* 22.q.188.ar.6. in Corpore, quæ ad huiusmodi *contemplationis plenitudinem instituta est, eamque prosequitur, est solum illa, quæ simpliciter præfertur contemplatiuæ*, non quæ vtcumque orationi vacat &c.) salutaria præbentes consilia, *sententias proponētes, QVAE tutiores, grauiorum, maiorisque nominis Doctorum suffragijs frequentatæ; QVAE bonis moribus conducunt magis; QVAE pietatem alunt, non vastant, non perdunt, non humanis laxant fræna concupiscentijs, sed potiùs efferuescentem illarum impetū restingunt, franguntque; ac tandem QVAE Christi doctrinæ, Sanctorumque Patrum traditioni in ijs potissimè, quæ ad Virtutes, & Vitia pertinent, magis consentaneæ sunt &c.* nec timent has Prælatis, & inter eos præsertim R.P. exponere, voce, scriptis, librisque, imò censent his potissimum suggerendas, licet sciant illas *non placituras Satrapis, plus maiestati*, inquit, *S. Bern.* lib.4. de Consid. *quam veritati fauentibus*. Et illi sanè per se aptiùs, & efficaciùs *loquuntur de testimonijs*, siue mandatis Dei *in conspectu Regum, & non confunduntur* Psal. 118. v.46. etiamsi *sederent Principes, & aduersum se loquerentur* v.23. qui instar *Ioannis Baptistæ in deserto* habitant, seu rerum diuinarum contemplationi maximè sunt addicti, non sunt *mollibus vestiti* Matth.11.v.8. sed cilicio potiùs, seu asperis vestibus Matth.3. v.4. vilissimis vescentes cibis ibid. nec sunt *arundines vento agitatæ* Matth. 11. v.7. non flexibiles a quorumcumque minis, promissionibus &c. ad opiniones excogitandas Principibus, Pontificibusque gratas, callidas indagantes ratiunculas, *quibus liceat illis, quod illis libet*; de quibus nouem Præsules dignitate, & doctrina præstantissimi in *Consilio ad Paulum III.* num.67.

Luc. 24. verſ. 34.

LXXVII. CHriſtus poſt B.V. ante cæteros Apoſtolos S. Petro notam facit Reſurrectionem ſuam. *Si* ingens miraculum aliquod patratum, probatumque Catholicam fidem validiſſimè confirmans; *Si* Chriſtianam, Catholicamque Religionem in nonnullis locis latè propagatam fuiſſe; *Si* alicubi geſtum quidquam ad ſummum decus Catholicæ, & Romanæ Eccleſię, certò R. P. nouerit; certiores faciat peculiaribus litteris Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos &c. illos hortans ad gratias Deo agendas, qui Sponſæ ſuæ in terris adeò beneuolum ſe declarauerit e cælis. Frequentiſſimæ priſcis erant ſæculis litteræ R.P. ac Epiſcoporum mutuæ, vt patet legenti Tomos Conciliorum, ac nonnulla antiquiorum Pontificum Regiſtra; quarum, & plurium extant monumenta, tum in *Decr. Grat.* tum in *lib. quinque Decretalium*. Auctoritas, ac potentia, & diuitiarum copia in R.P. aucta hoc valde commendandum imminuit commercium.

LXXVIII. Suum crimen, & amarè, flentem Petrum in primis conſolari voluit Chriſtus. Semet exhibeat iјs maximè officioſum R.P. qui poſt peccata *dignos pænitentiæ fructus faciunt* Matth. 3. v.8. ac illis nominatim, qui a Chriſti recedentes ouili, cuius ipſe eſt ſupremus Paſtor, ad illud iterum acceſſerint.

LXXIX. Illorum ſaluti peculiariter conſulat R.P. qui primores ſunt inter Eccleſiaſticos, ac Sæculares; &, vt id aſſequatur, peculiaribus beneuolentiæ ſignis eos ſibi deuinciat.

LXXX. Si quis criminibus ſuis ſemet indignum reddiderit aliquo gradu Eccleſiaſtico, ſed illa deinde emendauerit, ſcandalaque oborta piiſſimis actionibus obliterauerit, ad illum, ſi cæteroquì dignus, vel dignior, iam peccatorem euehat, vel depoſitum quoque eidem reſtituat. Exemplum ad id B.Petri ab Apoſtolatu nō expulſi, licet ipſum negantis Chriſtum, affertur d.50.c.14. e *Calixti* epiſt.2.ad Epiſc.Gal. & c.16. e *S.Gregor.* epiſt.53.lib.7.ad Secund. Et quemadmodum Chriſtus nunquam obiecit crimen ſuum Petro; ita quoque R. P. obliteret penitus e memoria peccatum, quod quilibet condignè luit, agatque cum illo, quaſi nunquam peccaſſet; ſic enim nec Deus *recordatur peccatorum noſtrorum*, & ipſius quoque R.P. Hebr.8.v.12.

Ioan. 20. a verſ. 3.

LXXXI. NOn facilem R. P. habeat fidem narrationibus de præclariſſimis alicuius geſtis, miraculis, reuelationibus (ſi hæ mulierum maximè) prophetijs, ac ſimilibus; ſed diligentiſſimè veritatem exploret per ſe, & per alios planè prudentes, ac ſtudioſos R.E. honoris, & S.A. dignitatis; defecit enim etiam circa hæc ſimplicitas laudabilis noſtris hiſce ſæculis, quæ in priſcis floruit. Multa finguntur a callidiſſimis hominibus, qui magni veteratores aliquos ad falſa in rebus tanti ponderis pretio, vel præmio alliciunt; Et cum remotiſſima quandoque ſcribant, vel referant, falſitatem vix deprehendi poſſe arbitrantur. Non ignota ſunt Romanæ Curiæ hæc figmenta, & ſi in quibuſdam ea diſſimulet. Quid non excogitare poſſunt homines Reſtrictionis potiſſimè mentalis ſtudioſi, ſuiq. honoris amantiſſimi? Exploratiſſimum eſt, nonnullis ab hinc annis promulgatum fuiſſe a Regularibus quibuſdam in ipſomet Hiſpaniæ Regno Iubilæum, vt ab *Vrb. VIII.* tunc viuente promulgatum, ad addendos quibuſdam populis animos ad arma alacrius ſumenda contra Catholicum Hiſpaniarum Regem eorum Principem. O impium, & audax facinus! Huiuſmodi hominum narrationes, niſi ſint de rebus, quę aliorum pateant oculis, aut facillimè queant patere, R.P. aut reijciat, aut fidem non integrè illis habeat. Notum quoque eſt, in eiuſdem Ordinis Scriptoribus quandoq. reperiri allegationes planè falſiſſimas, in vnicoque libro conſpici pluſquam quingentas, ſimili libro, quem *Philip. Morn.* impius Caluiniſta conſcripſit contra Venerabile Sacramentum Euchariſtiæ &c. Nec non quandoque R. P. impuliſſe ad litteris Apoſtolicis aſſerendum tales propoſitiones in cuiuſdam Auctoris (quem odio proſequebantur Vatiniano, eò quod illis ſe in Catholici Regis Aula obſtiterat, ne in quadam Academia Profeſſorum Cathedrā aſſequerentur, ac illorum doctrinam de Gratia acerrimè e S. Auguſtini doctrina oppugnauerat) libris reperiri, quæ reapſe, nec æquipollentes, in ijs repoſitæ erant, imò frequenter legebantur doctrinæ Caluiniſticæ penitus oppoſitæ; ex quo non modica R. P. exiſtimationis iactura apud Catholicos quoque facta. Decem pariter ab hinc annis cuidam, & nobili ſcriptori, in quem illi ijdem haud erant beneuoli, aliquæ opiniones aſcriptæ, quibus oppoſitæ in eius libris cuilibet erant obuię, ac propter auctoritatem, qua Romæ fruebantur, nec leuia illi illata in re familiari incommoda. Quid notius, quam ex inuidia, vel odio propter litteras ab ipſo ſcriptas ad Sac. Cong. Prop. Fid. & R.P. *Valeriano Magno pio vtique, ac docto Viro, nec minùs ad actionem, quam ad contemplationem nato* (verba ſunt *Card. Pall.* c. 27. lib. Vindic. in fin. pag. 223.) *eidemque vel in ſacco Regibus caro, HAERETICIS FORMIDO-*

LOSO

LOSO obiecta apertè ex eiusdem libro calumnia? Cautissimus sit R. P. nec hasce vulpeculas sinat demoliri Ecclesiæ vineam, quæ licet euelli non possit, in multis tamen ramis, ac truncis abscissionem pati potest. Nec sanctæ mulieri Magdalenæ fidem adhibere voluit Petrus, sed accessit ipse ad monumentum, vt visu ipso perspiceret, an illa planè vera nunciasset.

LXXXII. Non reprehenditur cursus in Petro ad monumentum, licet seniori. Laudandi, & summoperè, R.P. qui nonnulla, quæ huius mundi sapientibus Pontificiæ maiestati derogare viderentur, agerent, aut omitterent, quæ iisdem illam amplificare viderentur, si inde accessio, vel decessio non leuis fieret Catholicorum pietati, & Christianæ, Catholicæque Religionis dilatationi. Honor primarius, solidusque R.P. situs est in attrahendis verbo, & exemplo compluribus ad Christi Ouile, & ad pœnitentiam compluribus Catholicis, in Electione lectissimorum Cardinalium, & Episcoporum, in releuandis a potentioribus oppressis, in terrenorum contemptu &c. vanus vero, leuis, futilis in quibusdam agendis, augendisque sæcularem potiùs dominatum indicantibus, in politico quodam regimine supernaturalibus principijs nō sanè innixo, in enitendo, vt iurisdictio in temporalibus sua semper in Principum ditionibus amplificetur, in contendendo cum ijs de leuibus quibusdam, vel in ostendendo se haud multi eos, aut eorum Oratores, ac Ministros æstimare &c. cum tamen & Paulus Rom. 13. v.7. vniuersim præcipiat; *Reddite omnibus debita, cui timorem, timorem; cui honorem, honorem*; & S. Petrus peculiariter 1.c.2.v.17. *Deum timete, Regem honorificate*; pateatque priscis sæculis, quanto honore R. P. prosecuti sint Imperatores, ac Reges ipsos, vt patet ex epistolis *Leonis I.* e scripto *a Pelagio* Papa electo ann. 556. Ap.3. ad *Childebertum* Francorum Regem c.*Satagendum* 25.q.1. (quod variam habet interpretationem; neque enim P.R. tenentur vlli Principi suæ fidei, nisi ad tollendum scandalum, rationem reddere &c.) nec non *S.Gregorij Papæ* &c. Si R.P. debitum honorem Principibus detulerint, debitam ipsis R. P. venerationem etiam Principes deferent; imò vt humanissimi, ac pijssimi amplissimam prorsus: Obseruare tamen debent R.P. ne quædam venerationis signa ex humanitate, vel pietate profecta velint tanquam ex iure sibi debita, & præscripta vindicare; fieri siquidem potest, vt sicut in alijs iam accidit, illa omittant. *Extrinseci certè honores quidam ex iure diuino non debentur Ecclesiasticis, Prælatis, ac R.P. qui tamen laudabiliter illis delati sunt, ac deferuntur, ac per se eos laici prosequi debent, maximè cū apud ipsosmet Ethnicos sic exteriùs quoq. venerandi Deorū cultui dicatos homines consuetudo fuerit. R.P.* Principes, vt Principes honorēt, vt & ipsis a Principibus, vt *R.P.* honor deferatur; sicuti *in simili habet S.Hier.ep.2. ad Nepot.* d.96. c.Esto subiectus, *qui & illud refert Domitij Senatoris ad Consulem*; Cur ergo te habeam, vt Consulem; cum tu non me habeas vt Senatorem? *Non tamen honori Principum quidquam detrahunt R.P. si quædam ipsis, aut eorum Oratoribus, ac Ministris non concedunt,*

dunt,

dunt, aut permittunt minùs æqua &c. Nec Principes R.P. dum non concedunt, aut permittunt ipsis, aut ipsorum Ministris, vt ampliorem in temporalibus acquirant iurisdictionem, ampliores prerogatiuas &c.

LXXXIII. Socium habuit in cursu Petrus *S. Ioannem*, quem quoque Christus adiunxit Petro Luc.22.v.28. cum eos misit binos ad parandū Pascha. Cum in *Ioanne* peculiariter designetur *Castitas* (hæc enim, vt canit Ecclesia in illius festo, *Castitatis prærogatiua ampliori* Iesu *dilectione eum fecerat dignum*) & *Contemplatio* (nam *fluenta Euangelij*, vt eadem canit, *de ipso sacri Dominici pectoris fonte potauit*, & in Patmos Insulam relegatus multorum spatio annorum ibi deditus contemplationi plurimas habuit reuelationes in Apocalypsis libro descriptas, cuius quot voces, tot ferme mysteria hactenus non planè nota) debet *PRIMO, non solùm satagere, vt de se nullus verbum malum loquatur* Iudith 4. v.8. imò nec vlla suspicio in hac materia cuiq. mortalium suboriatur; verùm & sui Consanguinei, Affines, Cardinales, alijue maximè primarij in Curia Castissimi sint, sicuti & Episcopi, eos non se vel monentes, vt Incontinentiæ vitium a sibi subditis longissimè remoueant (omnino seruata exactè obseruantia Trid.sess.25.c.14. cum illis, & per illos) & ad id faciliùs obtinendum nullum inter Subdiaconos recenseant, qui non antea in Minoribus Ordinibus aliquot annis se Castum exhibuerit; neq. enim ad perpetuum continentiæ statum admitti debet, qui non sit a Deo, cui Castitas promittitur in Subdiaconatus susceptione, ad illum vocatus d.28.c.5.e c.1.*Concil.Tolet.* 2. ann.526. Patribus, qui expresè affirmant, hosce *castimoniam promittentes appetitores esse arctissimæ viæ*; vnde & d.50. c.16.e *S.Greg.* epist. 53. lib.7. refertur, *paucos sine carnali delicto inueniri*: Non autem a Deo vocantur, qui sacros Ordines appetunt impulsi a quæstu, ab ambitione, a cupiditate, sed qui vnius rei causa eos suscipiunt, vt *Dei honori inseruiant*, vt tradit *Cathech. Rom.n.*4. *de Sac. Ord.* qui addit, *QVAESTVS* causa ad Sacerdotium aspirare *esse sacrilegium*, *HONORVM*, *aut DIVITIARVM SPE esse mercenariorum, ac Ecclesiæ perniciosissimum*, & hosce *sempiternum exitium cōsequi, quale Iudas ex Apostolatu*: Quamobrem cum Episcopi non explorent diligenter mores eorum, qui Subdiaconatum petunt, quorum *probata vita senectus esse* deberet e Trid. sess.23. cap.12. seu in quibus potissimè concupiscentiæ calor deberet esse extinctus, seu maxima e parte sopitus; & facillimè concedantur Romæ dispensationes, vt absq. interstitijs sacros Ordines quis suscipiat, quin etiam e laicis nonnulli paucissimorum spatio dierum Sacerdotio initientur, & frequentiùs, vt ante ætatem a sacris Canonibus, ac Trid. ipsomet sess. 23. cap.12. præscriptam ad sacros promoueantur Ordines; Quid mirum, quod tot in Sacris constituti, ac Sacerdotes, sint adeo incontinentes, vt pauci verè sint, attenta non castorum multitudine, qui de incontinentia non accusentur; indeque confirmetur illorum sensus, qui (licet minùs prouidè) e Catholicis ipsis senserunt, expedire modò, vt Sacerdotes vxores haberent sibi matrimonij vinculo ante Sacerdotium adiun-

adiunctos. In cuius quidem culpæ partem veniunt; *tum ipsi, qui petũt Ordines sacros*, terrenum finem, ijsque penitus indignum, sibi proponentes; *tum Episcopi, qui non examinant eorum mores*, nec ex adiunctis cognoscunt, aut cognoscere volunt (cum tamen Trid. ipsum cap.4.sess. 23.nolit, *nec prima initiari tonsura eos, de quibus probabilis coniectura non sit, eos, vt fidelem cultum Deo exhiberent, Clericale vitæ genus elegisse*) perpetuum continentiæ statum hos eligere, vt in eo pura mente, puroque corpore Deo gratiores redditi, pro se ipsis, Christianoque populo propitiatoria, impetratoria, ac satisfactoria illi sacrificia offerant; Verùm non in exiguam huius criminis, & scandali apud Catholicos, hæreticosque partem veniunt pariter Parentes, & Consanguinei, & alij, qui blanditijs, vel minis, vel dolis quoque *compellunt multos ad omnimodæ Continentiæ votum, siue per Ordines sacros, siue per professionem in Ordinibus Regularibus sine diuino afflatu ad talis status amplexum, sibi inde præfinientes, aut necessaria ad victum, vestitumque, & familiæ sustentationem parare e filij, vel nepotis &c. Sacerdotio, aut ex illo maiorem diuitiarum copiam, vel ampliorem honoris gradum adipisci, suamque conditionem vehementer amplificare, aut leuare oppidò se onere alendi filium, nepotem &c. Vnde & Regul res Domus ipsæ non videntur conditæ, vt per tria vota homines se Deo dicantes faciliorem sibi aditum ad æternam salutem aperiant, sed vt sint domus alimenta suppeditantes filijs plurimorum, quorum fœcunda est proles, vel ijs, quos propter eorum animi, vel corporis defectum Parentes, Consanguinei &c. nolunt molestiam sustinere domi eos retinendi, vel aliò cum impensis suis mitendi:* Et his fermè plerisque quis non censuerit Castitatis Votum exitiosissimum esse, cum deberẽt iuxta Diuinum potiùs placitum matrimonio copulari; & licet etiam tunc non illis desit profectò gratia sufficiens, vt vocant, ad voti obseruantiã, efficacem nihilominus, sine qua actu obseruari non potest, quis crediderit certò illis, cum sit donum supernaturale gratuitum omninò, Deum e cælis liberaliter elargiturum. R. ergo P. vt hæc Castitatis laus in Latina vigeat Ecclesia ab Apostolicis iam inchoata temporibus (& Apostoli quidem omnes, si non Virgines, vt *Ioannes*, Casti prorsus fuerunt; quin etiam Castitatis votum eos emisisse complures affirmant; & excepto Petro, eo forsan diuino consilio, vt adhuc magis filiorum spiritualium suorum commiseraretur peccantium, neminem ex Apostolis habuisse vxorem planè constat) atque sordes istæ relegentur in primis e Romana Curia, ac Ciuitate Sancta, vbi Apostolica est Sedes; Sedulam adhibeat operam, vt, tum Romæ, tum vbique gentium Catholicarum ad sacros *non euehantur Ordines*, qui anteactæ Castitatis publica non dederint monumenta; plectantur Episcopi, qui contra Apostoli præceptum 1.Timoth.5.vers.22. *Citò* Subdiaconis nominatim *manus imponunt*, contra quos meritò *Card.Bellarm.* c.5. de *Gemit. Col. Animaduertatur* seuerè (nam nimia pietas in hosce damnatur ab *Hormisda* Pontifice in Epist.ad Omn.Episc. d.50. c.29. estque pietas impia &c.) in eos, qui publicè incontinentes sunt, maximè si moniti non desi-

ſtant, iuxta ſacros Canones ead. d.50. ac Pontificias Conſtit. *in tit. de Vit. ac Hon. Cler.* quas innouauit Trid. ſeſſ. 22. c. 1. maiores etiam Epiſcoporum arbitrio concedens, & quaſdam præcepit c. 14. ſeſſ. 25. brachio ſæculari ad id etiam inuocato, quod pij Principes porrigēt procul dubio, ſi opus fuerit; ac prætereа, vt illi, ſeu Sæculares, ſeu Regulares, qui *non verentur ſtare Angelum Domini, qui ſecet medios, & diſperdat* (Dan. 13.) *ſed omnino audent agni immaculati ſacras contingere carnes, & intingere in ſanguine Saluatoris* (ſunt verba *S. Bern.* in Decl. *Ecce nos &c.*) *manus nefarias, quibus paulò ante carnes, proh dolor, meretricias attrectarunt*, aliquot annis concubinas vel domi, vel alibi alentes, aut ad eorum domos accedentes, annorum etiam ſpatio, ſæpiſſimè tamen, vel etiam quotidie ſacrificantes, omnino ſubiaceant S. Inquiſitionis Tribunali, tanquam ſuſpecti, & vehementer de hæreſi, vehementiori de illa, quàm ſollicitantes fœminas in Confeſſione, ſuſpicioni meritò obnoxij; ac poſtremo perraræ concedantur diſpenſationes Romæ quoad ætatem, ac interſtitia in *Sacris Ordinibus*. Sic ſtudioſum ſemet oſtendet Caſtitatis, in quam ſummum gradum obtinuit *S. Ioannes* poſt B.V. quam propterea Chriſtus illius *Matrem* conſtituit, ipſumq. tantæ Matris *filium* Io. 19. v. 26. 27. adeoq. ſe *Ioannis* Fratrē peculiari nomine cenſeri ab omnibus voluit. *E quibus patet*, ſtudiendum eſſe *R. P.* vt multitudo Sacerdotum minuatur hoc nomine potiſſimū, quòd, cum *arctiſſima ſit Caſtitatis via, plerique ſpatioſam incontinentiæ viam ineant*, pauci, extra Monaſteria maximè, in quibus verè diſciplina vigeat Regularis, degentes, & cum ſæcularibus (quod priſcis Eccleſiæ temporibus non fiebat, ideoque periculis incontinentiæ non erant expoſiti, ſicuti poſterioribus euenit) vitam agentes, & a Deo ſanè ad ſacra non vocati miniſteria, pauci, inquam, immaculati agni carnes impollutis manibus, & mentibus attrectent, circumeant altaria, frequentent Pſalmos, Diuina celebrent Officia; & modò magis probandum ſit illud *Auct. Imperf.* Hom. 43. ad cap. 23. Matth. *Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes; multi nomine, pauci re*; Quod magis etiam eſſet reprehenſibile, ſi Sacerdotes non quoad ſcientiam habeant requiſita ad munus Sacerdotij contra Trid. ſeſſ. 23. c. 14. & decretum quoque Conc. Lat. ſub Innoc. III. c. 14. de *Aet. & Qualit. Ord.* quod ſtatuit; *ſi Epiſcopi deinceps rudes, & ignauos ordinare præſumpſiſſent (quod quidem facilè deprehendi poſſe aſſeruerunt) & Ordinatores, & Ordinandos vltioni graui ſubiacere*; & ſubiungitur; *Sanctius enim eſt (maximè in Ordinatione Sacerdotum) paucos bonos, quam multos malos habere miniſtros*; quod habuit priùs S. Clemens ep. 2. ad Iacob. Fratr. Dom. d. 28. c. *Tales*: Quæ indignitas ſanè, & in moribus, & in doctrina in Sacerdotibus ſuperioris ſæculi fuit vna e potiſſimis extrinſecis Lutheranarum hæreſum cauſis, ac modò etiam complures confirmat in ſenſu, quod plurimi Sacerdotes non verè credant ea, quæ de Euchariſtiæ, atque Ordinis Sacramento Catholica tradit Eccleſia, ac nominatim Capellanias, vt fertur pro Mortuis dictitent (temerè tamen, & impiè) eſſe inſtitutas, ac inſtitui, ad panem lucran-

lucrandum, ac extrahendas pecunias e laicorum manibus, cum plurimos videant Sacerdotes fermè in singulos dies celebrantes,& congrua destitutos dnctrina,ita vt multi hand intelligant,quę legunt,aut etiam vix legere nouerint,& multos non dissimiles sæcularibus,nisi in habitu, & dum celebrant, otiosos, prauis imbutos moribus, vnicè quærentes missæ quotidianæ, vel frequentissimæ stipendium. Qua ratione hæc moderatio, ac reformatio necessaria omninò decori etiam Latinæ Ecclesiæ fieri possit; Suggeret *R.P.* menti *S.Petrus*,& *S.Ioannes*,si ad eos in precibus deuotè confugerit,qui non poterunt postea non suggerere, *eam in Romana Vrbe, & Curia ordiendam*. *SECVNDO* debet eos peculiariter diligere, qui in cælestium rerum meditationem, & contemplationem incumbunt,horumque precibus se, ac suum Gregem enixè cõmendet. Illis suauiter ad *pedes Domini sedentibus* magis sæpe tribui potest Conuersio peccatorum, hæreticorum, ac infidelium, quam *sollicitam* ponentibus in illa exteriorem operam. Haud illi e Monasterijs excludendi, quorum institutum est *Magdalenam* imitari Luc.10. vt in ea adducantur ij, qui instar Marthæ *solliciti sunt* etiam circa spiritualia quædam ministeria,*turbanturque erga plurima*,& præsertim si hi magis pecuniarum marsupia sibi, quam animas Christo lucrari in laudabilibus per se ministerijs intendere videantur. Nulli sanè aliena appetenti obsecundandum est a R.P. Iustum,æquumque se ostendat non minùs ijs,qui contemplatione,quam qui opere de Catholica, & R.E. optimè sunt meriti; nec fauendum hæreticis, qui Monachorum vitam acerrimè reprehendunt, tanquam otiosam; qui tamen a Christo iam reprehensi sunt Luc.10. v.42. *Obseruandum* quidem,sæpissime fructum non respondere laborantium in Christi vinea operæ; quòd non sint homines, qui post contemplationem, seu virtute cõtemplationis *memoriam suauitatis diuinæ eructent* Ps.144. v.7. vt explicat *S.Greg* Homil. 5. in Ezech. seu impellantur ad diuini amoris ignem admouendum animabus proximorum prædicatione, doctrina, consilijs &c.

LXXXIV. Si antequam vidisset Petrus *linteamina posita,& sudarium, quod fuerat super caput Christi non cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum,non credidit* (perfectè scilicet,omni planè sepolita dubitatione) vna cum Ioanne; *nondum enim sciebant scripturam, quia oportebat eum a mortuis resurgere*; etsi scriptura id apertè significaret,& Christus ipse,nec semel, id Petro,Ioanni, cæterisque discipulis declarasset; haud ita exardescet *R.P.* cum audit,aliquos planum quoque sacræ Scripturæ locorum non assequi, aut intelligere sensum; Curet potiùs ipse, vt illis legitimus manifestetur dilucidissimè sensus. Occurrat pariter R.P. futurum esse, vt intensiùs Catholici crederent, ac infideles,hæreticique omninò crederent, esse verissima Christianæ, & Catholicæ Religionis Dogmata, ac nonnulla peculiariter de R.P. si ipsi Romam petentes oculis cognoscerent ipsis; *A ROMANA VRBE, in qua B.Petri,& Pauli, ac innumerabilium Christi Martyrum, inter quos triginta circiter Romanorum Pontificum, corpora requiescunt, & ad*

quam deuotionis causa gentes vndiq. solent confluere, in qua est Sedes R. P. & quæ est proprius eiusdem Episcopatus, & cui cum summa potestate in temporalibus quoque ipse præsidet, vitia, quæ in alijs Ciuitatibus amplis dominantur, longè remota esse; imò eorum loco subrogatam amplissimam inter omnes CHARITATEM, resecatis prorsus inimicitijs inter primores maximè, illarumque seminibus, nullo detractionibus, susurrationibus, calumnijs e suo gradu deiecto, vel impedito, ne vlteriorem scandat; amplissimam TEMPLORVM VENERATIONEM, obseruatis plenè Constitutionibus Greg. X. ac Pij V. de quibus n. 44. ac decreto Trid. sess. 22. amplissimam CASTITATEM, famosis maximè meretricibus ex Vrbe dimissis, cæterisque omnibus in vnum compulsis locum, certoque signo ab honestis fœminis, Hebræorum more, seiunctis, ad quas accedens vxoratus, Clericus conditionis cuiuslibet, Regularis, nocturno tempore fidelibus adhibitis exploratoribus, omnino puniantur; amplissimam prorsus IVSTITIAM, tum Commutatiuam, tum Distributiuam, tum Punitiuam, sine vlla prorsus personarum acceptione, itaut tam pauper, quàm diues, tam nobilis, quàm ignobilis, tam Ciuis, quàm externus &c. ibi suum obtineat ius; nec in illa comprobetur, quod de prisca Roma post corruptos mores circũferebatur, vt refert Sallustius de Bello Iugurthino, OMNIA ROMAE VAENALIA ESSE, qui & addit, Iugurtham Roma egressum eam sæpe respicientem dixisse, VRBEM VAENALEM, & maturè perituram, si emptorem inueniret; & hinc Curiæ officia dignis conferantur, non autem vendantur, aut muneribus, precibusque obtineantur; præsintque Tribunalibus Iustitiæ, & Gratiæ, ac similibus, in quibus de aliorum incommodis, commodisque agitur, Viri Iustitiæ cultores eximij, & inter Cardinales ipsos, qui sunt omni exceptione maiores in morum integritate, ac nonnisi similes in hasce Congregationes cooptentur Præsules, alijque; vnde nulla probabilis suspicio suboriri possit de Iniustitia, aut de Iudicij peruersitate ex odio, amore, timore, cupiditate. A CVRIALIBVS reiectas esse Simulationem, Adulationem, Auaritiam, Elationem, Vindictam &c. & mendax sit planè fama, dominari in Romana Curia Superbiam, Simoniam, Calliditatem, Assentationem, immortale odium &c. A CLERICIS omnem incontinentiæ, omnem pecuniæ auiditatem, in vestitu, victuque luxum omnem, ita vt habitu gestu, incessu, sermone, alijsque omnibus (sic Clericos monent Trid. Concil. Patres sess. 22. c. 1.) nil nisi graue, moderatum, ac religione plenum præseferant; vnaque Ecclesijs debitum, deuotumque persoluant cultum. A REGVLARIBVS indisciplinatos Mores, ac violationem trium votorum, ac præcipuarum cuiusque Ordinis Constitutionum, ita vt re ipsa Regulares sint, non nomine tantùm. A PONTIFICIA FAMILIA, AC DOMO reiectum quicquid (vt iam voluerunt Patres Basileenses sess. 23.) Simoniacæ labis, quicquid denique, vel Deum offendere, vel homines scandalizare potest, quicquid in vultu, habitu, incessu indecens est, vt inquit S. Bern. lib. 4. de Consid. qui & subdit, nisi Sacerdotes domestici R. P. sint cæteris honestiores, fabulam omnibus esse. A CARDINALIBVS non tantùm nullius conspicuam vitij notam, sed eos planè ostendi mores, vt omnium oculos in se conuertant

propter

propter frugalitatem, modestiam, continentiam, humilitatem, benignitatem in quoslibet ad se accedentes, oppressorum apud R.P. ac Romana Tribunalia patrocinium, & in Congregationibus, quibus adsunt, nulli prorsus iniuriam fieri permittendo; Episcopos, aliosque insignes viros honorificè pro cuiuslibet conditione tractando; viros scientijs conspicuos in suis palatijs alendo, non mimos, non gnathones, non adulatores, multòque minùs imberbes adolescentulos, comptos, comatulos, calamistratos, de quibus S. Bern. vbi supra; non reditus Ecclesiasticos in multitudine famulorum, equorum, curruum, suppellectile pretiosa, venationibus, conuiuijs &c. insumendo, sed potiùs in sustentandis pauperibus, in Virginibus dote suppeditanda, ne honorem suum vendant, in congruis quoque tribuendis illorum necessitati, qui mendicare erubescunt, ac in alijs operibus pijs, quæ nunquam Romæ desunt, maximè cum ad Vrbem accedant complures e Catholicis omnibus Prouincijs existimantes nullibi copiosiores eleemosynas tribui, cum nullibi sint tot, & qui copiosioribus Ecclesiasticis reditibus fruantur; idque existiment illi potissimè, qui e sua discedunt patria, ne Catholicam fidem abiurent, vel vt Catholicam complectantur, vel inde pulsi, quòd Catholici. A ROMANO Pontifice animi elationem prorsus euulsam propter visa humilitatis, & singularis, argumenta; omnem cupiditatem, experientia docente ipsa, esse pecuniæ contemptorem, solùm merita intuentem in Ecclesiasticarum Dignitatum, Ecclesiasticorumque beneficiorum distributione; alienum penitus ab amore Consanguineorum, Affiniumque, ita vt in eorum gratiam nihil agat, sed eorum paupertati dumtaxat opem ferat; semper cogitatione, & opere ipso vnà cum Cardinalibus, alijsque præcipuis Curiæ Prælatis intentum ad spiritualia Ecclesiarum, fideliumque omnium commoda; temporalia pleraque negotia per alios agentem, ac expedientem; omnes nationes, ac homines paterno prosequentem amore; audientiam frequenter omnibus tribuentem; sollicitum semper, ne quis immeritò, ac potissimùm si pauper, vel patrocinio destitutus, propter aduersariorum potentiam patiatur iniuriam; dispensantem in sacris Canonibus solùm ex vrgenti necessitate, vel vtilitate communi prouocante; cum Principum Oratoribus agentem potissimè de ijs, quæ ad salubrem Ecclesiarum regimen in eorum ditionibus cõducant; reditus suos impendentem in amplificanda Christiana, & Catholica Religione, eaque tuenda, & in subsidium illorum, quos eo indigere nouerit, vbicumque degant, eos etiam inquiri iubendo; frugalem in victu, in vestitu modestum, itaut meritò successisse Petro, ac meritissimò Cardinales illi suffragatos fuisse in Conclaui omnes constanter affirment &c. Nunquam fiat, vt Catholici Roma discedentes, minùs intensam inde reportent fidem, minoremue venerationem R. P. ac æstimationem Romanæ Curiæ; quod oppidò eueniret, si in plerisque (nam nulla potest esse adeo sancta millium hominum Communitas, in qua aliqui non sint minùs perfecti, aliqui imperfecti, & aliqui etiam a perfectione alieni) in Romana Vrbe deficerent laudes, quæ iam recensitæ sunt, consentaneæ Ciuibus Romanibus, Curialibus Romanis, & alijs qui ibi morantur, in inferiori, ac in sublimiori gradu collocatis; Nec Catholicam fidem

optan-

optandum est, quod multi existiment in hoc præcipuè Diuinam esse habendam, quod ea innitatur molli petræ, infirmisque columnis (Ecclesiam nimirum sustentat, semperque sustentabit Christus primaria illius petra &c.) & apud Principes, populosque vigeat adhuc singularis (& verè debita) in R. P. obseruantia, illum vt Christi Vicarium agnoscentes; Romanusque Patriarchatus in summo adhuc sit honore, cum tamen cęteri tres Patriarchatus sint Turcarum Domino subiecti, & a barbaris illis nationibus illorum Præsides parui æstimentur &c.

Ioan. 21. v. 3. 7. 10.

LXXXV. VBi Petrus solummodo piscandi voluntatem significauit, alij sex, inter quos Apostoli quinque, ac nominatim *Thomas, Ioannes, & Iacobus*, se piscationis socios obtulerunt. Quando R.P. opera sua velit fieri hominum piscator, peccatorum, hæreticorum, infidelium, nunquam deerunt alij e Cardinalibus, Prælatis, alijsque insignibus viris, qui eumdem animarum piscationis laborem suscipiant; Quin etiam nec opus erit vllos inuitare; complures vltro semet illi adiungent, illiusque laborem subleuabunt. R.P. dumtaxat exemplum satis est ad maximam, & magnarum animarum piscationem.

LXXXVI. Cum Apostolis, qui comites fuerunt Petri in piscatione, numeratur *Nathanael*, de quo Ioan. 1. a v. 45. homo sanè sacrarum peritus literarum, qui singularem a Christo laudem reportauit, quod esset *verè Israelita, in qu dolus non esset*, idest, *homo antiqua probitate, ac simplicitate, qualis fuerat Iacob; quasi qui eiusmodi non essent moribus, verè filij non essent Israel*, inquit *Mald.* ad v. 47. qui præmittit, *non eum a doctrina, sed a simplicitate potius, fuisse laudatum, quia raro hæc cum doctrina coniuncta est*. Hic tamen inter Apostolos non fuit a Christo connumeratus, quia iuxta *S. Aug.* tr. 7. in Ioan. doctus erat; & constitutum erat Christo *infirma mundi eligere, vt fortia confunderet* 1. Corinth. 1. v. 26. 27. qua de causa etiam nec electus *Ioseph* nobilis Decurio Marc. 15. v. 43. & homo diues Matth. 26. v. 57. vir bonus, & iustus a Luc. 22. v. 50. dictus; vel *Nicodemus* e principibus Iudæorum (honore, vel diuitijs, vel nobilitate inter Iudæos præcellebant isti) & Pharisæus quoque Ioan. 3. init. & neuter consensit consilio Pharisæorum, & Principum contra Christum Ioan. 7. v. 50. Luc. 23. v. 51. quin etiam ambo singulare obsequium Christi detulerunt corpori Ioan. 19. v. 38. 39. 40. Illi qui sunt diuites, nobiles, ac potentes difficiliùs se Christi sectatores apertè profitentur; sic enim & *Ioseph*, & *Nicodemus* occulti erant discipuli Christi Ioan. 19. v. 39. ac 7. v. 52. faciliùs homines docti, vt *Nathanael*. In hoc viro cum Christus commendauerit peculiariter simplicitatem; animaduerta t R.P. ne homines docti, quos in consilium adhibet, hac

virtute

virtute careant; pertrari enim ſunt docti, qui fraudum, calliditatumq. non ſint ipſi, & in ſuis quoque opinionibus amantiſſimi; inter quos certè ſunt, qui Reſtrictionum mentalium ſtudioſi ſunt, vndique ſimulationum, ijſque annexarum adulationum, laruamque pietatis inducunt impijs quoque, ac ſceleſtiſſimis actionibus. Qui ſimplicitatem amat, eam & re ipſa, & verbis, ſcriptis, libriſque commendat; a qua qui alienus eſt, fraudibus proximum circumueniens, multòque magis artem hâc circumueniendi docens, non *intrabit* profectò in *Cælorum Regnum*; vnde obſeruat *Mald.* ad c.9. v.36. Mar. tradidiſſe Chriſtum oportere *effici, ſicut paruulum, qui velit intrare in regnum cælorum* Matth.18. v.3. non ſolùm quòd debeat eſſe humilis, ſed & ſimplex, ſiue nulli fraudem faciens, ſeu quoque nec de illa cogitans inſtar paruuli: At nullus *VERE* humilis (nam & eſt, *qui nequiter humiliat ſe, & interiora eius plena ſunt dolo* Eccl.19.v.24. & huiuſmodi homines reperiri in Romana Curia ſignificat *S.Bern.* lib.4. de Conſid. aſſerens, *Viri callidi, & doloſi proprium eſſe ſolet tunc prætendere humilitatem, cum aliquid obtinere voluerit*) niſi ſimplex quoque ſit; Cautus quidem, ſed non callidus. Cum igitur teſte ipſomet e S.I. *Franciſco Stadera* Tract.14.Ingan.14. cap.19. poſt Trid. ipſummet Concilium Calliditas inter Catholicos aucta fuerit ex aucto mirificè ſcientiarum ſtudio; Cauendum eſt R.P. ne a multis, qui viri exiſtimantur docti, decipiatur, & in fraudem inducatur a quibuſdam opinionibus benignis, quas ipſi propoſuerint, ſiue excogitauerint in ipſius gratiam maximè, qui & frequentiùs profectò poſſunt eſſe in Curia, quam alibi; nam eos, qui extra Curiam ſunt, & nihil a *R.P.* obtinere volunt, aut cupiunt, non eſt quod alliciat ad non proſequendam in ſ. is opinionibus ſinceritatem in ijs, quæ ſpectant ad *R.P.* illiuſque poteſtatem, & auctoritatem. Quos certè nouerit *R.P.* velle tandem a ſe aliquid obtinere, videat ne iſti ſint planè callidi, & doloſi, licet eos cenſeret doctos, eòque magis, ſi humilitatem prætenderent; hæc enim ipſamet humilitas callida eſſet, ac doloſa. Notum eſt, non multis ab hinc annis quemdam Regularem Virum, cui delata eſt purpura, ad Curiam ſæpiſſimè accedentem, virum cæteroqui, & nobilitate, & ſcientia illuſtrem, cum veſte admodum humili pileoque humiliori *R.P.* conſueuiſſe ſemper alloqui, & cum eo diutius verſari &c. Solum *R.P.* ad conſilium adhibeat, eos homines doctos, illorumque conſilijs adhæreat, qui ſint inſtar *Nathanaelis veri Iſraelitæ, in quibus doli non ſint*.

LXXXVII. Piſcabitur animas Chriſto *R. P.*, & quicumque ipſius fuerit ſocius in earum piſcatione, ſi ad iuſſum Chriſti *miſerit rete*, ſeu ſi nullum plane emolumentum temporale ſibi præfinierit in animarum piſcatione. Et *Apoſtoli* quidem, vt inquit S.Bern. ep.238. ad Eug. Papam mox electum, *laxabant retia in capturam, non in capturam argenti, & auri, ſed in capturam animarum*. Plurimi quidem dicuntur eſſe ſocij *R.P.* in animarum piſcatione (de quibus nonnulla n.8.) quales in primis ſunt Religioſi Ordinum Mendicantium, & Sacerdotum Regu-

larium,

larium, ac Soc.Iesu; sed modicissimus sanè, si attendatur piscatorum multitudo, ex eorum piscatione fructus, tum apud Catholicos, tum apud Gentiles, ac hæreticos, eò quòd verè animarum zelus omnino sincerus in paucis regnet. Quàm pauci sunt, qui hominum animos, non marsupia quęrant, spiritualibus vacent ministerijs, vt illos Deo lucrentur, non ista sibi! Sapientissimè profectò *P.Mut. Vitel.* in lit. de Orat. ad Vniu.Soc.I. an.1617.Ian.2. admonens hac de re sibi subditos illa subiunxit, *Certi, non vnquam alios nobis commonstratoribus cursum ad cælum instituturos, si nos terrenis rebus adhærescere animaduertent.* Tam innumeræ Indorum gentes ad Christianam fidem adductæ fuerunt a *S.Francisco* Xauerio, alijsque eius socijs, quod admirabilis in ipsis apparuerit rerum terrenarum contemptus quarumcumque, vt in eius gestis legitur, obseruauitque *P.Anton.Possen.*lib.4. Biblioth. Hunc præferat in primis *R.P. Primus inter animarum Piscatores* a Christo constitutus Luc.5. v.10. Hunc præferant Cardinales, & Episcopi Apostolos referentes, & videbit *rete* Euangelicum *plenum magnis* piscibus, ijsque multis: Magni pisces erunt homines conspicui potentia, nobilitate, diuitijs, doctrinis, ac similibus, quos rete Euangelico comprehendere, quis negauerit potissimè ad *R.P.* Cardinales, ac Episcopos pertinere? Matthæum ad mensam publicanorum sedentem, ad quam deferebantur publica Cæsaris vectigalia, quæ plerumque pecunia erat, *magnum enimuerò piscem*, Christus Matth.9.v.9.Mar.2.v.14.Luc.5.vers. 27.28. illis cæpit verbis, *Veni, sequere me*. Etenim, inquit *S.Petrus Crisologus* serm.28. *Non dixit, Affer ad me; quia Matthæum, non Matthæi sacculos requirebat.*

LXXXVIII. *In nocte*, licet faciliùs pisces tunc capi possint, *nihil prendidit* Petrus cum Apostolis. Frustrà laborant in animarum piscatione quicumque sint, quorum *lux non lucet coram hominibus, vt videant opera sua bona* Matt.5.vers.17. siue qui non ita viuunt, quemadmodum loquuntur. Præcepit autem Christus, vt *mitteret* Petrus cum alijs *rete ad dexteram nauigij*; quòd sinistra, prauaque intentio abesse debeat ab animarum piscatoribus sibi aliquod commodum temporale reportādi &c. Si R.P. ferueat amore in Christum, sicuti Petrus, qui vt audiuit a Ioanne Christum esse in littore, *tunica se succingens misit se in mare*, vt quantociùs fieret Christo proximior, eidem Christo enitetur esse proximus, sicuti in munere, ita in virtutibus, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar, formam Euangelicæ perfectionis semet omnibus exhibens, vnicam semper Dei glorificationem, Diuinique nominis sanctificationem sincerè quærens; indeq. aptissimus ante omnes euadet animarum Piscator. Vtinā ea semper sit R. P. fama in Virtutibus, vt Principes maximè infideles Romam proficiscerentur pręclarissimas earum actiones visuri, & inde abeuntes vnà cum Regina Saba Reg.3. c.10. v.7. & 2.Paral. v.5. possint dicere; *Verus est sermo, quem audiuimus in terra nostra super Virtutibus R. P. & non credebamus narrantibus nobis, donec ipsi venimus. & videmus oculis nostris, & probauimus, quod*

media pars nobis nunciata non fuerit; maiores sunt R.P. virtutes, quam rumor, quem audiuimus. Beati Cardinales, & Beati Curiales domestici, qui stant coram R.P. semper, & vident illius mores verè admirandos &c. Hinc enim illi & se, & populos, sibique subditos R.E. fidei addicerent.

Ioan. 21. v. 15. 16. 17.

LXXXIX. SIcuti Christus Matth. 16. explorata ampliori, quàm in cæteris Apostolis, Petri fide, qui primus in suæ Diuinitatis confessionem erupit, suum Petro in terris Vicariatum promisit; ita hoc in loco in se ampliori præ alijs pariter explorato amore, amplissimum hoc illi munus re ipsa detulit. In Summi Pastoris electione obseruandũ est potissimè, vt ille cæteris præcellat omnibus *Fide, & Charitate*; quod Cardinales, qui non corda intuentur, sicuti Christus cor Petri (qui tamen propter eos, qui aderant, interrogauit Petrum, an se, plusquam cæteri, diligeret, vt intelligerent, non sine causa se plus potestatis Petro, quam alijs contulisse) ex operibus sibi plane notis, vel in Vrbe, vel alibi colligere debent. Hanc quidem de amore interrogationem in electione septuaginta duorum discipulorum Luc. 10. init. imò nec Apostolorum, cum non præmisisse Christum legatur, argumento est, hunc peculiari nomine obseruãdum esse in electione R.P. Quod magis confirmatur, eò quòd Christus ter Petrum de amore suo interrogauerit; Cur autem id egerit Christus declarat egregiè *S. Bern.* ser. 26. in Cant. *Non otiosè toties repetitum est, Petre amas me, in commissione ouium: Et ego quidem id significare perinde puto, ac si illi dixisset Iesus, nisi testimonium perhibente tibi consciẽtia, quod me ames, & valde, perfectèque ames, hoc est, plusquam TVA, plusquam TVOS, plusquam TE, & huius repetitionis meæ numerus impleatur, nequaquam suscipias curam hanc, nec te intromittas de ouibus meis, pro quibus sanguis vtique meus effusus est. TERRIBILIS sermo, & qui possit etiam impauida quorumuis Tyrannorum corda concutere. Propterea ATTENDITE Vobis, quicumque opus ministerij huius sortiti estis, attendite, inquam vobis, & precioso deposito, quod vobis creditum est.* Cum hæc etiam perpendens *Mald.* sic scribat, *Potest hoc Ecclesiasticæ deseruire disciplinæ, vt intelligamus, quam diligenter ij, quibus animarum cura committenda est, examinari debeant, hac potissimùm in re, vtrum maxima, cæteris charitate antecellant, quando Christus tam agnitam, tam expertam, tam exploratam* (sæpissime enim, & etiam paulo ante, illius singularia præbuerat iam argumenta) *Petri charitatem, tamen ter, antequam curam illi animarum suarum traderet, examinauit; SI* hoc examen præmittẽdum est, priusquam eligatur quicumq. Episcopus (hæc enim Christi verba SS. Patres, licet primò per se dicta S. Petro, tradunt secundariò dicta cuilibet animarum Pastori) quod sanè est magis neces-

ſarium, quam examen de ſcientia, quod inſtituit coram ſe *Clem.VIII.* An non multò magis in electione Epiſcoporum Epiſcopi, & cuius curæ omnes particularium Paſtorum greges ſunt committendi? Hæc autem in Deum Charitas cognoſcetur, ac explorabitur e Charitate in proximum: Nam ipſemet Chriſtus Matth.19.v.17.interroganti v.16. *Quid boni faciam, vt habeam vitam æternam?* reſpondit; *Si vis ad vitam ingredi, ſerua mandata;* & iterum petenti, *Quæ?* v.18. dixit, *non homicidium facies &c.* cum reliquis ſecundæ tabulæ mandatis, primæ omiſſis; quia qui ſeruat ſecundæ, ſeruat etiam primæ; vnde & Paulus Rom.13.v.9.& 10. ait, *nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falſum teſtimonium dices, & ſi quod eſt aliud mandatum, in hoc verbo inſtauratur, Diliges proximum tuum, ſicut te ipſum; plenitudo ergo legis eſt dilectio;* & cum facilius ſit diligere proximum, quem videt, quam Deum, quem quis non videt, a minori ad maius eſt argumentatio Canonica *S.Ioan.*ep.1.c.4.v.20. quod *non diligens proximum nec ſit diligens Deum;* e cuius etiam ore fermè ſemper prodibat illud effatum, *Filioli diligite alterutrum; & cum diſcipuli, & fratres, qui aderant tædio affecti, quod eadem ſemper audiret, dixiſſent, Magiſter, quare ſemper hoc loqueris? reſpondit DIGNAM* (ſic ait *S.Hier.* de Scrip. Eccl.) *Ioanne ſententiam, quia præceptum Domini eſt; & ſi ſolum fiat, ſufficit.* Charitatem verò in proximum oſtendit, qui in eius ſalutem, & perfectionem incumbit; ſeu *QVI* operam dat, vt proximus ab infidelitate, hæreſi, ſchiſmate, peccatiſque reuocetur, & Euangelica etiam conſilia pro cuiuſque ſtatu proſequatur; *QVI* in neceſſitatibus, tùm ſpiritualibus, tum corporalibus (opera autem miſericordiæ ſolent quatuordecim numerari) proximo opem fert, omniaque illa bona, quæ ſibi meritò optat, & quærit, & mala quæ meritò abhorret, cupit, & ſatagit, vt hæc euitet, illa conſequatur. Qui in his excelluerit magis, magis eſt etiam dignus Pontificatu. Et licet exiſtimandum foret, ſi lectiſſimi Cardinales eligerentur, ac ſeruaretur *Sixti V.* Bulla 50. de illorum Electione, futuros etiam plurimos, de quorum præcellentia in hac proximi dilectione dubitari poſſet, ita vt meritò cuique ex his ſuffragium præberi poſſet (quę exiſtimatio tollitur modò) ſi extra Cardinales ſit Epiſcopus, vel ſimilis Eccleſiaſticus in aliquo regimine Eccleſiaſtico cum laude verſatus, cuius præclariora, quam vllius Cardinalis, in proximum Charitatis monumenta extent, hic illis præferendus; Cum enim vniuerſi fidelium cætus Paſtor, ac Pater eſſe debeat electus R.P. non eſt Pontificatu dignus, niſi qui maiorem in proximum prætulerit dilectionem. Hinc *S.Bonauentura*, in quem Cardinales quaſi trium ſpatio annorum in electione R.P. poſt obitum Clem. IV. Nou.29. an. 1208. diſcordes compromiſſum fecerant, R.P. nominauit *Tebaldum* e Vicecomitibus Placentinis Leodienſem Archidiaconum, qui tunc aderat in Aſia obſidioni Ptolemaidis vna cum Odoardo Regis Angliæ filio: Hic quam egregiè Pontificatum rexerit, Hiſtoria teſtatur Eccleſiaſtica, teſtantur geſta illius etiam miraculoſa Romæ probata, vbi illius expectatur ſolemnis

nis inter Cælites relatio, de quo supra n.16. Et certè non solum posse deferri Pontificatum homini extra Cardinales, ita vt nulla possit dari propter hoc exceptio, habetur, tū e praxi, nec semel (vt refert *Maiol.* de Irreg. lib. 1. c. 4.) tum e C. *Licet* de Elect. verùm etiam necessariò deferēdum esse homini, qui sit magis dignus, quam vllus ex ipsis, sentiunt doctissimi viri, & cum *Dom. Soto* e Dominicana Familia lib. 3. de Iust. q. 6. ar. 2. qui ait, *Cum tanti referat optimum Episcoporum Orbis ad summam Sedem euehere, quod intra paucos Vrbis passiua electio coerceatur, licet sit credibile inter Cardinales nunquam defore dignum, certè synceritas Euangelica non permittit*; & cum *Henriq.* e S.I. lib. 10. c. 27. n. 2. in fin. & L.S. qui pariter ait, *In Papam eligendus est vir dignissimus totius orbis; Sic Petrum primum Pontificem creaturus Christus examinauit de scientia (seu fide) & de charitate præ alijs Matth. 16. Quem dicunt homines? Matth. 16. Ioan. 21. Diligis me plùs his? Moses morti proximus elegit Iosue, quòd esset præstantissimus, vt dicit Hieronym. & habetur e c. Iosue 8. q. 1. Deus vnctione sua elegit Saulem, quo tunc nemo erat melior in populo, quamuis de infima tribu, & Dauidem fratrem minimum*; adduntque, cum id e iure diuino vtriusque Testamenti deducatur, ac ratio ipsamet naturalis id doceat, non posse sine læthali peccato omitti electionem hominis, qui extra Cardinales censeretur absolutè inter omnes fideles Pontificatu dignissimus, licet optio foret inter plures dignissimos; & hāc maiorem dignitatem attendendam ex maiori præ cunctis fidelibus fide, & charitate in Deum; quæ virtutes cum corde lateant, ex amplioribus charitatis operibus in proximum diiudicandæ. Equidem Christus, cui in R.P. electione semet conformare debent quam maximè Cardinales, Pontificatum non detulit, nec *Nicodemo* potenti, ne *Iosepho* diuiti, nec *Nathaneeli* docto, nec suis Consanguineis *Iacobo* vtrique, & *Ioanni*, & non huic peculiariter, quamuis Virgini, ac B. Virginis Matris suæ filio a se constituto, moribusque innocenti; sed *Petro* homini nullius scientiæ, & auctoritatis, pauperi, ignobili, qui quoq. iam ter grauissimè peccauerat contra ipsum, & qui habebat vxorem, ac filiam, eò solùm nomine, quòd alijs præstaret Omnibus, & discipulis, & Apostolis in fide, & charitate. Si enimuerò tenetur R. P. sub læthali culpa eligere Cardinales, ac Episcopos præ cæteris digniores, vt declararunt Trid. Conc. Patres sess. 24. c. 1. An non Cardinales tenentur in Papam eligere dignissimum inter fideles, hoc est maiori fide, & charitate fulgentem, licet in alijs qualitatibus multi essent superiores, licet aliæ in P.R. requisitæ forent mediocres?

XC. Non ambijt sanè Petrus Pontificatum, seu Primatum inter Apostolos, sicuti videntur ambijsse Iacobus, & Ioannes Matth. 20. v. 21. qui per Matrem (vt habent *Chris. Auct. Imp. Theoph. Euth.* ad hūc locum *S. Greg.* Hom. 27. in Euang. & *S. Aug.* c. 64. lib. 2. de Consens. Euang.) petierunt, vt *alter ad dextram, alter ad sinistram* Christi sederet; hunc enim reprehenderat iam Christus appetitum, imò represserat, declarans primatum inter Apostolos esse solummodo ministerium, & ma-

ximam omnium seruitutem v.25. Marc. 10. a v.22. Luc. 22. a v.23. & iam acceperat a Christo Ioan.13. v.26. fore, vt se sequeretur in morte obeunda pro ipso, quod nulli discipulorum adeò saltem apertè prænunciauerat. Itaque humanitùs loquendo etiam, Petrus prudenter optare non potuit primum inter Apostolos obtinere locum; multòq. minùs prudenter diuinitus, cum sciret, talem primatum afferre secum onus reddendæ rationis de cunctis planè animabus, quæ sua culpa, aut negligentia perirent. Scitissimè profectò *Auct.Imp.* Hom. 36. in illa c.20.Matth.v.25. *Scitis, quod Principes gentium &c.* post ista, *Quicumque desiderat primatum cælestem, sequatur humilitatem terrestrem; quicumque autem desiderat primatum in terra, inueniet confusionem in cælo*, paulò post scribit; *Volens certè Dominus, & duorum fratrum ambitionem extinguere, & decem discipulorum inuidiam, introduxit differentiam inter Principes Mundiales, & Ecclesiasticos, ostendens, quia primatus in Christo, nec ab aliquo appetendus est non habente, nec alteri inuidendus est habenti; quoniam Principes mundi ideò fiunt, vt dominentur minoribus suis, vt spolient eos, & comedant, & vsque ad mortem abutantur vita eorum ad suas vtilitates, & glorias; Principes autem Ecclesiæ fiunt, vt seruiant minoribus suis, & ministrent eis quæcumque acceperunt a Christo, ac suas vtilitates negligant, & illorum procurent, ac si opus fuerit, nec mori recusent pro salute inferiorum suorum, sicut Apostolus* (2. *Corinth.* 12.) *dicit*, Ego autem impendar, & superimpendar ipse pro animabus vestris. *Si ergo hæc ita se habent; Sæcularem quidem primatum desiderare, & si ratio non est, vel causa est; quia & si iustum non est, vel vtile est: Primatum autem Ecclesiasticum concupiscere, neque ratio est, neq. causa; quia neque iustum, neque vtile: Quis enim SAPIENS vltro se subijcere festinet seruituti, labori, dolori, &* quod maius est, periculo tali, *VT DET RATIONEM PRO OMNI ECCLESIA APUD IUSTUM IUDICEM* (verba hæc etiam affert S.*Th.* 2.2. q.185. ar.1. *Vtrum liceat Episcopatum appetere* ad 2.) *NISI FORTE, QUI NEC CREDIT IUDICIUM DEI, NEC TIMET UTI ABUTENS PRIMATU SUO ECCLESIASTICO SAECULARITER*, vt scilicet conuertat eum in sæcularem? Sapiensne S.Petrus, qui firmissimè credebat iudicium Dei, & cui Christus ipse pollicitus fuerat cum alijs Apostolis sibi assessurum in finali iudicio Matth. 19. v.28. huic *periculo dedanda ratione pro omni Ecclesia,* ne dum *seruituti, labori, dolori,* a quibus sapientia carnis quammaximè abhorret, semet exposuisset, primatum Ecclesiæ totius ambiens? Et *seruituti, labori, dolori* quidem expositus fuit Romanus Pontificatus, & viuente S.Petro, & viuentibus plurimis illius successoribus, vt omittatur martyrium, quod subiere post S.Petrum 31. Pontifices vsq. ad ann. 312. Postea verò cum præter altitudinem gradus supra omnes Episcopos fuerit annexa illi veneratio, ac reuerentia summa, & non solùm sufficientia, sed & abundātia temporalium, tum mobilium, tum immobilium; & iuxta communem sententiam cum S. Th. art. allato, *appetere altitudinem cuiuslibet Episcopalis gradus præsumptuosum sit; appetere*

petere autem Episcopatum quemcumque ratione circumstantium bonorum sit illicitum pertinens ad cupiditatem (quod & ibi probat *Angelicus Doctor* e Scriptura , & Patribus) An non magis præsumptuosum , auaritiamque olens erit, appetere Primam Sedem, seu Primatum totius Ecclesiæ, ác ingentia, quæ illum modò cōsequuntur, temporalia commoda? Concedit quidem doctissimè ibi S. Doctor, non esse præsumptuosū *appetere Episcopalem operationem , per quam vtilitas proximorum intendatur*, si eum contingeret in tali officio esse, vel etiam se esse dignum ad talia opera exercenda , ita quod opus bonum cadat sub desiderio , non autem primatus dignitatis ; & ad id affert Auct. Imp. vbi supra dicentem , *Opus quidem desiderare bonum , bonum est ; primatum autem honoris CONCVPISCERE VANITAS est* ; primatus enim fugientem se desiderat, desiderantem se horret ; atque *S. Aug.* lib. 19. de Ciu. c. 19. *locus superior, sine quo regi populus non potest, & si ita teneatur, atque administretur, vt decet, tamen INDECENTER APPETITVR* . Et quamuis *Caiet.* ibi e S. Th. ipso colligat, quod appetere Episcopatum e genere suo non sit actus illicitus , cum possit quandoque licitus esse : Vt 1. quando *Manifesta necessitas Ecclesiæ immineret*, vt ait S. Tho. *Vbi nota*, (subdit Caiet.) ly *Manifesta, ne te ipsum seducas, existimando necessitatem imminere, vbi necessitas fortè non est : nec mirum, si tu te ipsum fefelleris , cum Elias deceptus fuerit , se solum remansisse in diuino cultu* . 2. Cum quis Charitatis zelo diuinitus ad hoc incitatur; sed diligentissimè considera (subdit *Caiet.*) ly *Diuinitus* ; *quoniam charitatis zelum multi possunt sibi promittere se incitantem, dū dicunt, scio quod non me mouet aliud, quam zelus animarum ; Sed quod huiusmodi incitatio diuinitus veniat , nemo potest cognoscere , vt supra dictum est de prophetia : Et propterea ista exceptio amplectenda nō est , nisi aliquod speciale diuinum testimonium euidenter adsit , vt de Esaia constat , qui vidit se priùs purgatum , & de Equitio Monacho in lib. Dialogorum habetur , quod vidit se in lingua tangi, ita quod non poterat deinceps continere se a diuinis colloquijs, seu prædicatione :* Atque post nonnulla; Si aliquis vir irreprehensibilis, sobrius, prudens, habensq. conditiones alias ab Apostolo positas 1. Timoth. 5. Episcopatum appeteret in veritate, vt prodesset, *crediderim ego , quod attenta tanta necessitate Ecclesiæ carentis talibus viris non peccaret ; & si huiusmodi necessitatis oculus deficeret , nonnisi venialiter peccaret ratione nonnullæ præsumptionis, qua se in animo suo alijs præferret, alijs autem non solum, quibus praeesse desiderat, sed qui fortè meliùs, quam ipse, locum illius Episcopatus occuparent : Et propterea quantò magis sancti fuerunt viri prisci, tantò magis inuenti sunt alieni ab huiusmodi appetitu : Et multi eorum inuenti sunt fugisse , vt patet de Ambrosio , Martino &c.* An non peccabit mortaliter ille, qui se destitutum agnoscens illis qualitatibus, quæ numerantur ab Apostolo , vel qui manifestè non cerneret , Ecclesiam sua indigere opera omnino ad ampliores reddendos Christianæ & Catholicæ Religionis fines, ad vitia euellenda, ad virtutes Euangelicas Catholicorum animis inserendas &c. appeteret totius Ecclesię primatum,

matum, quando peccat læthaliter, qui quemcumque Episcopatum sic appeteret? Quid si hic medijs non laudabilibus, sed reprobatis potiùs a SS. Patribus, Summis Pontificibus, Sacrisque Canonibus, suo Pontificatus appetitui obsecundaret? An non propter hoc iam esset planè Pontificatu indignus? Non timerent profectò Deum Cardinales illi, qui talis Viri electionem promouerent, aut pro illa suffragium ferrent; essentque rei prorsus iuramenti, quod præmisissent, antequam schedulas suas obsignatas cum nomine electi traderent. Potestne dici Electus secundum Deum ille R. P. qui in patenti statu peccati mortalis electus est, ac illa electus est etiam ratione, quæ ab ipso Deo vetita est per Sacros Canones, Pontificiasque Constitutiones? At non in ista incideret crimina ille, qui primò pecuniam daret quoque, ne indignus R.P. eligatur, vel etiam vt inter dignos, vel digniores dignissimus eligatur; cum enim Ecclesia habeat Ius iustitiæ, si non commutatiuæ, saltem distributiuæ, vel legalis, vel fidelis dispensationis, vt non eligatur ne dum indignus, sed nec minus dignus inter dignos, vel digniores, sed dignissimus præ alijs, hic laudabiliter redimeret vexationem Ecclesiæ; ac postea sensim peteret pro se digno Pontificatum ad vtilitatem Ecclesiæ, & pastum ouium Christi, vt tradit idem *Caiet.* tom. 2. suorum operum tr. 2. q. 4. *Vtrum vacante Sede, & quærentibus omnibus Pontificatum per fas, & nefas, propter auaritiam, & ambitionem, ac Ecclesiæ ruinam, liceat viro probo, & digno quærere Pontificatum, adhibendo promissiones, & exhibendo temporalia, & beneficia, & cætera pro suffragijs propter hunc finem, vt in Sede positus prosit Ecclesiæ, vt illam reformet*. Circa hoc tamen animaduertendum est 1. *Si non adsit hæc Ecclesiæ vexatio, ac necessitas*, haud licitum esse tribuere pecuniam, vel munera &c. Cardinalibus, vt eligant dignum, vel digniorem; quin etiam opus esse, vt ea constet. 2. Cum facilè quiuis sibi suadere possit, se idoneum esse ad Ecclesiæ vniuersalis regimen, alios verò nō esse idoneos, vel minùs, quam se, dignos; euenire perraró posse, vt quis possit meritò petere Pontificatum pro se. Animorum affectiones, ac præsertim amor, ac odium, sæpissimè rectum de alijs sensum perturbant in quouis, sed præcipuè in illo, de cuius vtilitate, vel honore agitur; Quamobrem faciliùs hęc redemptio vexationis, ne indignus, vel minùs euidenter dignus eligatur R.P. (quam Doctores communiter excusant a Simonia cum *Caiet. Mai.* in 4. d. 25. q. 5. ad 2. *Sotus* lib. 9. de Iust. q. 6. ar. 1. in fin. *Suar.* latè lib. 4. de Sim. tom. 1. de Relig. c. 50. a n. 35. &c. dummodo non inducantur Cardinales ad hanc determinatè personam hoc colore, quod sola est digna, vel dignior, vel dignissima, ante alias &c.) concedi potest alijs extra Cardinales, quam Cardinalibus ipsis. Extra hunc casum, qui vix moraliter cōtingere potest, cum supponat omnes prorsus Cardinales esse improbos, vnicumque esse bonum &c. Pontificatum pro se petens omninò eo indignissimus plane existimandus; Hic enim, præterquam existimat se, vel se solum habere qualitates requisitas in R.P. videtur non *credere iudicium Dei*, nec timere *periculum dandi rationem*

tionem pro omni Ecclesia apud iustum iudicem, vt supra ex *Auct. Imper.* relato etiam a *S.Th.*vt dictum est. *Locum regiminis Ecclesiastici cuiusq.* desiderantibus esse negandum, & locum deiectionis debere in voto esse, habetur 8.q.1.cap.9.ac 10. e S.Greg.qui id exemplo suo id prius docuerat; nec non Episcopos quoslibet vetant Trid. Concil. Patres sess. 24.c.1. eligi ex *ambientium suggestionibus*; hi siquidem ambientes iam non essent digni, vel digniores: Quanto magis supremi Regiminis Ecclesiastici locus est negandus, ac prohibendus ijs, qui illum ambiunt? *Nec interest*, inquit *S.Bern.*lib.4. de Cõsid. *per se, an per alium quis roget.*

XCI. Summi Pontificis officium est *Pascere oues Christi*, quod ter fuit repetitum Petro: Pascere autem oues, inquit *Alcuin. apud S.Th. in Cat.* in c.21.Ioan. *EST credentes in Christum, ne a fide deficiant, confortare; terrena subsidia, si necesse sit, subditis prouidere; & exempla virtutum cum verbo prædicationis rependere, aduersarijs obsistere, errantes subditos corrigere. Pascere ter EST fide instruere, caritate inflammare, spe corroborare*, vt *Arch.*& *Dom.*allati ad 8.c.q.1. C.*in scripturis vestris*. Pariter *EST* Christi oues *verbo prædicationis, & instructionis pascere* d.43.c. 1.3.4. nec non 8.q.1.in fin. c.88. *Conuersationis exemplo* 10.q.3.c.3. *ac etiam temporali subsidio* 16.q.1.c.62. *EST* iuxta *S.Bern.*1.In Sent.Moral. *Pascere Gregem DISCIPLINA propter morum correctionem, ne Grex cõmissus propria molestia deficiat; CVSTODIA propter Diabolicam suggestionem, ne hostili seducatur calliditate; PRECIBVS propter tentationum instantiam, ne vincatur a pusillanimitate* 2 e Serm.3. de Resur. *Pascere mente, Pascere ore, Pascere opere; Pascere animi oratione, Verbi adhortatione, Exempli exhibitione*. 3. In Declam. Ecce nos &c. *Pascere exemplo conuersationis, verbo prædicationis, fructu orationis*, ista præmittens, *Petro dictum est, Simon Ioannis amas me? Pasce oues meas; idemque tertiò repetitum, tertiò dictum, Pasce, nec mulge, seu tonde, vel se el additum est; Speret ergo discipuli locum, gradum Ministri, qui Dominicum pascere Gregem satagit, quàm tondere;* Quibus illa prorsus affinia lib.2. de Consid. *Domabis lupos, sed ouibus non dominaberis, pascendas v.ique, non premendas suscepisti*; & paulò inferius. *Qui per Christum in sortem ministerij huius introisse videtur, de cætero quemadmodum ei seruiat, quẽadmodum pascat tripliciter, vt prædiximus, sollicita secum examinatione discutiat: Indignus enim lacte, & Lana conuincitur, si non pascat oues, si non vigilat in custodia gregis, iudicium sibi manducat, & bibit. Væ, væ tibi Clerice &c.* 4. E ser.76. in Cant. *Pascere carnales, & duros* ex lege Naturali, ac Diuina, quæ est viua lex; *Pascere infirmos, ac pusillos corde* oleribus dispensationum; *Pascere sanos, & qui exercitatos habent sensus* consilijs solidis, ac fortibus; *nam paruulis, tanquam anniculis, lac potius datur adhortationis, quam esca*; quibus subiungit, *Ad hæc boni, solicitique Pastores impinguare pecus non cessant bonis, lætisque exemplis, & suis magis, quam alienis; nam si alienis, & non suis, ignominia est illis, & pecus ita non proficit*. Idem seq.ser.77. init. acerbè conqueritur de Pastoribus, qui non pascunt, sed mactant, & deuorant gregem. *Non omnes*

nes sunt amici sponsi, quos hodie Sponsæ hinc inde assi lere cernis, & qui (vt vulgò aiunt) eam quasi addextrare videntur. Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt quærant, ex omnibus charis eius. Diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere, quomodo incedunt nitidi, & ornati, circumamicti varietatibus, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam talium repente eminus procedentem aspexeris, sponsam potiùs putabis, quam sponsæ custodem? Vnde verò hanc illis exuberare existimas rerum affluētiam, vestium splendorem, mensarum lautitiem, congeriem vasorum argenteorum, & aureorum, nisi de bonis sponsæ? Inde est, quod illa pauper, & inops, & nuda relinquitur, facie miseranda, inculta, hispida, exanguis. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare; nō est instituere, sed prosternere; NON EST PASCERE GREGEM, SED MACTARE, ET DEVORARE, dicente de illis Domino Psal. 13. Qui deuorant plebem meam, vt cibum panis, & quia comederunt Iacob, & locum eius desolauerunt; & in alio Propheta (Oseæ 4.) Peccata populi mei comedent, quasi dicat, peccatorum pretia exigunt, & peccantibus debitam sollicitudinem non impendunt. *Quis dabit mihi de numero Præpositorum, qui non plus inuigilet subditorum vacuandis marsupijs, quam vitijs extirpandis? Vbi qui orando flectat iram, qui prædicet annum placabilem Domino? leuiora loquimur, grauiora grauius manet iudicium. Sine causa tamen vel his, vel illis immoramur, quia non audiunt nos; sed & si litteris forsan mandentur ista, quæ dicimus, DEDIGNABVNTVR LEGERE, aut si fortè legerint, MIHI INDIGNABVNTVR, quamuis rectiùs hoc sibi facerent. Propterea relinquamus istos, non inuentores sponsæ, sed venditores, & inquiramus potiùs illos, a quibus sponsa se inuentam loquitur. Et quidem illorum isti sortiti sunt ministerij locum, sed non zelum. Successores omnes cupiunt esse, imitatores pauci. O vtinam tam vigiles reperirentur ad curam, quam alacres currunt ad Cathedram. Vigilarent vtique, sollicitè seruantes, ab illis inuentam, sibi creditam: Immo verò vigilarent pro se ipsis, nec timerent de se dici* (Psal. 37.) Amici mei, & proximi mei aduersùs me appropinquauerunt, & steterunt. *Iusta omnino querimonia, nec ad vllam rectiùs, quam ad NOSTRAM referenda AETATEM. Parum est nostris vigilibus, QVOD NON SERVANT NOS, NISI ET PERDANT. Alto quippe demersi obliuionis studio, ad nullum Dominicæ comminationis tonitruum expergiscuntur, vt vel suum ipsorum periculum expauescant; Inde est, vt non parcant suis, qui non parcunt sibi, PERIMENTES PARITER, ET PEREVNTES: Sed enim quinam sunt illi vigiles, a quibus se inuentam perhibet sponsa? Nempe Apostoli, atque Apostolici Viri &c.* Quibus consentanea duobus postea sæculis *Ludol. Sax.* Vir pijssimus, ac doctissimus, de quo *Sixtus Sen.* lib. 5. Bibl. ad an. 1330. de Vita Christi p. 2. c. 79. *Considera hic solitam Domini benignitatem, & charitatem. Apertè enim vides, quomodo diligenter, & affectuosè imprimat, excitet, & commendet Petro animas nostras; Ter enim interrogans eum de amore, subiunxit, Pasce. Non dicit ei, Tonde, Munge, Macta,*

Macta, & Manduca; sed dicit tribus vicibus, Pasce, scilicet pane doctrinæ, & sanctæ prædicationis verbo, vitæ, & honestæ conuersationis exemplo, & temporalis sustentationis præsidio. Ter ergo dictum est, Pasce, ad significandum, quod habens curam animarum debet subditos pascere pastu triplici, scilicet verbi Dei, & boni exempli, & prout potest, sustentationis subsidio: Sed illud, quod dicitur ter, Pasce, quidam mali mactant in Tonde, Munge, Macta, & Occide; quia multi hodie subditos exactionibus temporalium opprimunt, malis suasionibus, & exemplis corrumpunt, & occidunt; Sed de triplici pastu prædicto parum cogitant, vel curant. EST iuxtà *Innoc. III.* in ser. 2. in Consec. Rom. Pont. *Pascere exemplo vitæ, verbo doctrinæ, Sacramento Eucharistiæ, Exemplo Actionis, Verbo Prædicationis, Sacramento Communionis. Cibum* (subdit *Innoc.*) *exemplis teneor* dare &c. *EST* iuxta Trid. Concil. Patres sess. 23. init. c. 1. *Oues Verbi Diuini predicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium exemplo pascere*. Quid si R. P. non solùm non pascerent Dominicum Gregem Diuini Verbi prædicatione (ea penitus omissa) Sacramentorum administratione (perrara, & vix in annum bis sanctæ Communionis; at Confessionis, aliorumq. Sacramentorũ ferè nunquam) temporali subsidio (eo potiùs Consanguinei, ac Affinibus, alijsque non egentibus verè suppeditato, verè pauperibus, ac mendicis omissis &c.) & potiùs malorum operum exemplo illum inficerent, Superbiæ, Cupiditatis, Simulationis, Vltionis, personarum acceptionis &c. Si verum est illud *S. Ambr. c. 6.* de Dign. Sacerd. *Nulli iam illicitum videtur, quod ab Episcopo quasi licitum perpetratur; sed ipsum homines credunt magis esse laudabile, quicquid Episcopus habuerit delectabile*; maximè verum de Episcoporum Episcopo. Quibus, si vnquam forent, quidni illa æquiùs accõmodari possint eiusdem S. Amb. c. 7. ad Virg. *Si quis vnum scãdalizauerit, mola circumligatus iactari debet in mare; quid de Vobis, per quorum scelera omnis anima sauciata est, vel sauciatur, & nomen Domini in gentibus blasphematur!* Quis vnquam Pastor salubrium loco herbarum ouibus etiam suis venenatas præberet? Heu quam graue supplicium statueret Christus in eos, qui vniuersi sui Dominici Gregis oues, seu suas, non pascerent, sed improbarum actionum veneno suarum occiderent! An non potius hi lupis comparandi, quam Pastores? Atqui non propter id desinerent esse verè Pastores; vt Matth. 23. init. ipsemet Christus Supremus Pastor significauit; tunc enim solummodò non censendi R. P. illi, qui palam dogma aliquod Catholicæ fidei contrarium profiterentur, aut proponerent &c. Hi tamen memores esse debent, scripsisse *Nicolaum* Papam *ad Loth.* Regem 11. q. 3. c. 3. *Deteriùs in populis Prælati delinquunt, ac per hoc ipsi crudeliùs, quam cæteri puniuntur, vt ait B. Greg. (c. 5. p. 3. Pastor.) scire etenim Prælati debent, quia si peruersa vnquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt: Vnde necesse est, vt tantò se cautiùs a culpa custodiant, quantò per praua, quæ faciunt, non soli moriuntur.*

XCII. Debet certa fide R. P. credere, oues sibi commissas, agnos,

ſeu agniculos (vt aliqui legunt) ſibi commiſſos non eſſe ſuas, & ſuos, ſed Chriſti. Si hoc Catholicum dogma ſedulò a R. P. perpenſum fuerit; *FIET* 1. *Vt cum in Hebræorum idiomate* Paſcere idem ſit, ac Regere, ſeu gubernare, ſed regere, ſeu gubernare, tanquam paſtorem (vnde & 70. Interpretes illud Prophetæ de Betleem, *ex te exiet dux, qui regat populum meum Iſrael*, verterunt, *qui paſcunt &c.* futurum ſignificantes, vt Chriſtus non in virga ferrea, vt Gentes, ſed in pedo benigni paſtoris, cuius oues eſſent propriæ, populum ſuum regeret, quemadmodum obſeruat *Mald.* ad v.6.c.2. Matth.) R.P. regat multò magis oues, quæ non ſunt ſuæ, benignè, & clementer, non in virga ferrea, ſuum reponēs principatum non in timore, ſed dilectione, ita vt ſi interdum pòſt benignas, repetitaſque admonitiones ad aberrantem reuocandam ouem, vel ad alijs incutiendum timorem e morbidæ ouis amotione, paſtorali baculo ſit vſurus, id non ex priuato odio, vel vltione alicuius ſuæ, vel ſuorum iniuriæ &c. oriri certò cognoſcatur. *Cum duplex ſit Principatus* 1. Polit. Politicus, & Diſpoticus, *& hic ſit domini ad ſeruum, qui nō habet ius reſiſtendi, quia ſeruus eſt Domini totaliter ſecundum quod huiuſmodi eſt, ille* (vt inquit *Ioan. Monac. Card.* in fin. Extr. Com. de Vit. & Hon. Cleric.) *ſit proprius liberorum, qui habent ius in aliquo reſiſtendi; talis eſt Principatus Eccleſiæ: non enim eſt veriſimile, quod Principatus Eccleſiæ ſit diſpoticus; non enim ſumus ancillæ filij, ſed liberæ, qua libertate nos Chriſtus liberauit* Gal.4. in fin. Paternus eſt, non herilis, imò & ſimul maternus. Pontificis ipſi ſæpè ſe appellant Patres, quod & nomen *Papæ* (hoc nomen ſolis ſibi ipſis vindicarunt R. P. ab ann. 1076. in Concil. Rom. ſub *Greg. VII.*) indicat; & R.E. ſe *Matrem* ſæpe in ſacris Canonibus appellat; ac ſi ſe talem etiam appellaret R.P. conformaret ſe Paulo Galat.4. v.19. *Filioli mei* (en quam tenet amor!) *quos iterum parturio &c.* & 1. Theſs. v.7. *Facti ſumus paruuli in medio veſtrum, tanquam ſi nutrix foueat filios ſuos.* Et hinc illa *S. Bern.* ſer.23. in Cant. ad Prælatos: *Diſcite ſubditorum Matres vos eſſe debere, non dominos. Studete magis amari, quam metui; & ſi interdum ſeueritate opus eſt, paterna ſit, non tyrannica. Matres fouendo, Patres corripiendo vos exhibeatis. Manſueſcite, ponite feritatem. Suſpendite verbera, producite vbera; pectora lacte turgeſcant, non typho turgeant. Quid iugum veſtrum ſuper eos aggrauatis, quorum potiùs onera portare debetis?* Imitetur in ſuo regimine manſuetudinem Chriſti, cuius eſt Vicarius, quam proponit quoque Corinthijs Paulus 2. c. 10. init. ac Dei, cuius vices gerit, benignitatem; Nam ſi *Deus benignus eſt*, inquit *Auct. Imp.* hom.43. in c.23. Matth. ac legitur 26.q.7. cap.12. *vt quid Sacerdos eius auſterus?* Quibus ſubdit, *Vis apparere ſanctus? Circa vitam tuam eſto auſterus, circa alienam benignus.* Atqui plerique circa vitam ſuam benigni, imò benigniſſimi, circa alienam auſteri, & auſteriſſimi; ideoque non ſunt ſancti. Peculiariter autem vitabunt R. P. ſi meminerint, ſe eſſe Patres, ne Subditos ſibi peculiariter Clericos ſeu ſæculares, ſeu Regulares tallijs, exactionibus, penſionibus &c. grauent, licet ex manifeſta, ac rationabili cauſa moderatum ab eis auxi-

lium

lium postulari possit; hoc enim præceperunt *Innoc. III.* & Pat.Conc.Lat. an.1215. Episcopis omnibus de Cens.c.6. §.*Prohibemus*,addentes; *Cum enim dicat Apostolus* (2.Corinth.12. v.14. quæ auctoritas repetitur a Bened. XII. in Extr. Com. eod. tit.) *Non debent filij thesaurizare parentibus, sed parentes filijs, MVLTVM LONGE a paterna pietate videntur, si Præpositi subditis suis graues existant, quos in cunctis necessitatibus Pastoris debent more fouere*. Et prius 7.Syn.Generalis an.787.c.4. præmissis Pauli verbis Act.20.v.33. *Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupiui &c*, statuerunt, *ne vllo modo turpis lucri gratia in mentem veniat Episcopo excusanti excusationes in peccatis* (qualis foret, si hæc postea darentur Consanguineis, Affinibus, vel insumenda forent in vanis, & non verè necessarijs &c.) *Poscere aurum, vel argentum, aut aliam speciem ab Episcopis, vel Clericis, vel Monachis, qui sub ipso sunt*; quibus subiungũtur eadem Pauli verba 2.Corinth.12. vt legitur 16.q.1. c.64. vbi c.62.e c.26. Conc.Rom. Episcoporum 67. sub *Leone IV.* an. 853. illa quoque reponuntur. *Nulli Episcoporum liceat a subiecto Sacerdote, vel alio quolibet Clerico, & pijs locis dationes vltra statuta Patrum exigere, aut super posita in angarijs inferre. Sed cum optimus sit perspector, ita prospiciat, vt vniuersæ sibi oues commissæ a se maximè alantur, atque in necessitatibus adiuuentur, non illicitis exactionibus opprimantur; quia Dominus PASCERE, & DOCERE nos docuit, & OMNIBVS MINISTRARE, non TERRENIS LVCRIS, VEL AVARITIIS delectari:* Ostenderet se sanè *dominari in Cleris*, quod clarè prohibet S. Petrus 1. c.5. v.3. ille R.P. qui Ecclesiasticorum Beneficijs ea imponeret onera, vt pecunia pro illis soluta suas obligationes persoluere nequirent, vel vt sibi alimenta deinde suppeditarent, minùs decentia statum Episcopalem, vel Sacerdotalem agere compellerentur &c. Verùm iusto Dei iudicio permittitur, vt sic multi grauentur, quòd vltrò petant Episcopatus, aliaque beneficia &c. Et cum ipsi talibus consentiant oneribus, imò offerant sponte interdum eam pecuniæ summam; Cur postea conqueruntur de exactione, eaque seuera, quam ipsi talem nouerant futuram? Pariter iusto Dei iudicio grauantur interdum Religiosi Ordines a R.P. quod suis reditibus multi ex illis abutantur ad delicias, aut pompam (quam meritò reprehendit *Caiet.* in fin. ar.7. 2.2. q.188. tanquam contra intentionem eorum, qui eos donarunt) & nõ in communem religiosorum vtilitatem, sed priuatorum quorumdam eos administrantium, & quandoque extraneorum, commoda impendantur. Hinc quidem vicissim fieri potest; vt quando nos non exhibemus filialem reuerentiam, & obedientiam in ijs, ad quæ tenemur, R.P. ipsi nec Paternum amorem erga nos exhibeat; ac dum ille Patrem se nobis nõ exhibet, nec nos exhibeamus filios &c. 2. *Existimet certò suum principatum esse ministerium, & splendidam quidem, sed omnium onerosissimam seruitutem*; debet enim *pascere*. Si se palam vocaret *Dominum*, aut tãlem vellet se dici, iam e Christi Vicariatu deturbandus foret, vt hæreticus; nam apertè id repugnat Christi ipsius verbis, vt dictum est n.73.

§.6. Vnde pijssimus, vndique omnium suffragio doctissimus *Innoc. III* in ser.1.in Consecr.R.P. inquit, *Seruum me fateor,non dominum, iuxta quod Dominus inquit Apostolis* (Luc.22. v.25. 26.) Reges Gentium dominantur eorum,& qui potestatem habent inter eos benefici vocaretur: Vos autem non sic; sed qui maior est vestrum, erit omnium seruus, & qui præcessor tanquam ministrator. *Et ideo ministerium mihi vindico, dominium non vsurpo, illius primi, & præcipui prædecessoris exemplo,qui ait* (Pet.1.c.5.) non quasi dominantes in Clero, sed forma facti gregis ex animo; *Eius quoque qui dixit* (2.Corinth.12.) Ministri Christi sunt & ego; vt minùs sapiens dicam, plus ego. *Grandis honor, quia sum semper familiam constitutus; sed graue onus, quia totius sum seruus familiæ.* Sapientibus, & insipientibus debitor sum Rom. 1. *Vix multi dignè possunt vni seruire; ne dum quod vnus possit dignè omnibus famulari &c.* Cum ergo reuera R. P. sit seruus, & omnium, & singulorum; infirmitatibus, tum spiritualibus, tum corporalibus omnium, & singulorum compati debet,& vtrisque subsidium, quod potest, tribuere; vnde illa Pauli 2.Corinth.11.v.29. *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur,& ego non vror?* Et cum nulla splendidior gemma,imò præcipua sit in ornatu Summi Pontificis *Humilitas*, vt ait *S.Bern.*lib.2.de Consid. Interius se omnium existimet abiectissimum, ac exterius illa Humilitatis signa ostendat, quæ pusillanimitatem non præferant, vt iam dictum est n.52. latè. Si cuilibet, qui alijs præsit, illa a Deo indicta fuere Eccl.3. v.20. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, quoniam magna potentia Dei solius, & ab humilibus honoratur*; nec non Eccl.32. init. *Rectorem te posuerunt? noli extolli; esto in illis, quasi vnus ex ipsis: curam illorum habe &c.* An non magis R.P. qui præterea Christum exemplo, & voce *Humilitatem* sibi suasisse nouit? De R. P. præsertim nunquam audiatur illa Orig.tr.12. in Ioan. apud *Lud.* Sax. 2.p.c.21. querela, qui post ista, *Ecclesiarum Principes debent imitari Christum accessibilem, ac pueris manus imponētem, & discipulis pedes lauantem,vt & ipsi similiter faciant fratribus*, subdit; *Non autem tales sumus; vt etiam Principum mundi superbiā excedere videamur, vel non intelligentes, vel contemnentes mandatum Christi,& quærimus,sicut Reges,acies præcedētes, & terribiles nos, & accessu difficiles, & maximè pauperibus exhibemus, nullam affabilitatem habentes, vel habere ad nos permittentes.* Ista Origenes. 3. *Regimen tyrannicum longissimè prorsus a se remoueat:* Vnde aliorum Iurisdictiones, aut honores sibi vindicare non conabitur, suis cōtentus proprijs,memor maximè, *Christum Dominum officia potestatis* Ecclesiasticæ, ac Sæcularis *actibus proprijs, & dignitatibus distinxisse*, sicut cum *Gelasio* in tomo de Anath.Vinc. scripsit *Nicolaus Papa* ad Mich. Imp. C.*Quoniam* d.10. & C.*Cum ad verum* & C. *Duo sunt* d.96. atque *S.Greg.* non honorem suum *deputasse,in quo fratres suos honorem suum perdere cognoscebat*,ac subiūxisse d.99.c.5. *Meus honor est fratrum meorū solidus vigor; tunc ego verè honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur;*

gatur; ideoque cautus admodum erit, in subtrahendo, nedum iurisdictioni Sæculari, verum & Ordinariorum iurisdictioni multa, & multos, licet operam dare debeat, ne vllus sua abutatur potestate in perniciem populorum, & animarum: Non quasi despoticum, & absolutum declarabit se re ipsa habere dominatum in aliorum bona, famam, & corpora; efficietque, vt iniuriosum, & penitus calumniosum censeatur illud alicubi palam promulgatum, affixumque satyricum dictum, *Gratias tibi agimus Domine*, quia a tyrannide Papali liberasti nos. Esset sanè signum tyrannidis, innocentes, vel etiam reos inauditos condemnare, vel etiam tempus idoneum ad se purgandū eis non cōcedere; non causam damnationis proponere, sed solùm generatim denunciare, esse in eo, qui accusatus est homine, vel libro, quod puniri debeat; petentibus summissè, vt certiores fiant de crimine, quod ipsis ascribitur, prompti subire pœnam, si eo non se liberent, aut de minus Catholicè, aut temerariè &c. scriptis semet admoneant, vt possint illa corrigere, parati ad correctionem quamcumque, ac nouam impressionem, si non idoneæ iudicentur suæ defensiones, imò id precantibus, nec dignari responsionem præbere; etiamsi iniustè compertum sit propter calumnias aliquorum aliquos vexatos fuisse, non operam dare, vel iubere, vt vexatio cesset, & damna interim illis illata resarciantur; cogere complures ad illa agenda, ad quę non tenentur ex contractu, vel promissione, vel voto; in plurimis velle, vt sibi obedientia quædam cæca exhibeatur, nullo examine præmisso, an id, quod iubetur, licitum sit nec ne, excedatne potestatem Pontificiam &c. in gratiā aliquorum, seu Regularium, seu externorum, vel propter munera Cōsanguineis &c. data, vel propter aliqua in sui laudem, vel suorum, vel suę familię, vel patriæ edita præponere Regularibus Superiores, qui ab ipsis eligendi forent, ad quod ius haberent ex professione &c. Nolle, vt Doctores discutiāt, ad quænam Pontificia Potestas ex Iure Diuino porrigatur; prohibere statim lectionem librorum, qui vel leuiter minuunt iurisdictionem illam, de qua est etiam controuersia inter Catholicos, ac vehementer illos vexare, qui quoquomodo fauent Sæculari Potestati contra temporalem Ecclesiasticam; permittere, vt opiniones quædam euulgentur, quibus sibi concedatur dominium directum, vel indirectum in omnia planè temporalia bona quorumcumque, & in primis Christianorum Principum, ita vt quoque illos legitimè occidendi facultatem cuique etiam cæteroquì subdito, impertiri possit; pro libito in Sacris Canonibus etiam Conciliorum Generalium dispensare, reditusque Ecclesiæ distribuere; a nullo velle corrigi, vel admoneri; infensissimum esse ijs, qui suis non obsecundant placitis; nihil non sibi licere arbitrari, quod conducat ad Monarchicum instar Dei in terris regimen suum cunctis ostendendum, ac tuendum &c. Ne illa, quæ tyrannorum communiter censentur esse propria, in ipso conspiciantur penitus, summo sanè studio contendendum est R. P. illa enim officio Pastoris, quam maximè dissentanea sunt. *Nullum venenum, nullum gladium* plus formidauit

S.Bern.

S.Bern. R.P. quàm *libidinem dominandi* lib.3.de Consid. Certè quis vnquam sæuiet in oues, agnos,& agniculos? Meminerit,*CAIET*. (quem *Card.Pal.* c.27.lib.Vind.p.219.appellat *validissimum Pontificiæ Potestatis assertorem, in cuius sapientiam se inuolasse Romana purpura gloriatur*) 22.q.39.ar.2.ad 2.sic scribere: *Potest persona Papæ tyrannicè gubernare; & tantò faciliùs,quantò potentior est,& neminem timet in terris vltorem*; ideoque ad ea,quæ sunt magis consentanea Patri,Matri,Pastori, homini mansueto, Principi clementi, quam Iudici, per se magis propensum ostendat. Et ipse quidem R. P. in regendis populis R. E. subiectis,ita semet Patrem exhibere debet, vt cæteri Principes Catholici discant omnem planè tyrannidis speciem in suis regẽdis populis amouere. Hinc illa sapientissimè (si præceptum absit e communiori sententia) Basileenses Patres allata sæpius (sess.23. vbi monuerunt R.P.curare,vt cultus diuinus in Ecclesijs Vrbis cum ea, quæ decet, veneratione, & disciplina obseruetur, & populum Vrbis, quæ peculiaris est eius Parochia, doceat,instruat,& in via salutis dirigat &c. ista subiunxerũt; *Post hæc cum eisdem Fratribus* (Cardinalibus) *de temporalitate E. R. bene, salubriterque regenda accuratè cogitans,prouideat,vt Prouinciæ, Ciuitates,Oppida,Castra,Terræ ipsi Ecclesiæ subiectæ,iustè,ac pacificè gubernentur, tali quidem moderamine, vt inter Regimen Ecclesiasticorum, ac Sæcularium Principum sic distet,vt inter Patrem, & Dominum. Non quæstui, sed protectioni,ac tutelæ intendat, & paterna charitate cunctos fouens,non tam subditos, quam filios existimet: Et quoniam spiritualem,temporalemque ipsorum curam habet, inuigilet omnes partialitates, ac seditiones inde amouere &c. Ad regendas Prouincias, ac Ciuitates principales destinet Cardinales,vel Prælatos integræ,& incorruptæ famæ, quos non inhiare pecunijs,sed iustitiæ,ac paci subditorum intendere verisimile sit;quorum legatio biennio,aut de plus triennio elapso, expiret. Et quia dignum est,vt quilibet suæ Villicationis rationẽ reddat* (*Luc.16.*) *deputetur expleta legatione aliquis, vel aliqui insignes viri, qui suæ administrationis rationem, nec non querelas, ac petitiones prouincialium audiant, & iustitiam exhibeant, & quod ipsi facere commodè nequeunt Papæ deferant,qui omnino gesta eorum scire studeat; & si quid illicitè perpetrasse ipsos constiterit, nullatenus inultum dimittat,vt & successores sui, quæ non licent, suo exemplo facere formident: Et nè Officiales manus forsitan ad illicita apponant, competens salarium, vnde viuere honestè possint, eis constituatur. Sæpe etiam S.P. inquirat,quomodo tum Legati,Gubernatores,& Commißarij,quam R. E. Vicarij, ac Feudatarij subditos regant, & an nouis gabellis, & exactionibus grauent. Quicquid autem austeritatis,seu iniusti oneris super ceruices subditorum fieri cognouerit,nequaquam toleret: Pati enim impium est, vt hi, quos Papa per se paternè regeret, per alios tyrannicè tractentur.* Quid si Populi,qui R. subsunt E. nouis in dies gabellis, & exactionibus grauarentur,ita vt Ecclesiasticarum Ciuitatum,Oppidorum &c. Communitates ad inopiam fermè redactæ sint, & cogantur soluere census annuos pro quingentis circiter decies centenis millibus aureorum, quæ

Apo-

Apoſtolica debet Cámera, ampliſſimo hoc onere obſtricta maximè eò quod R. P. iuſſerint illud contrahi, vel ad ſuis Conſanguineis, Affinibuſque donandum, aut in eorũ vtilitatem impendendum, aut ad quædam agendæ ſuæ conſentanea cupiditatí, honori, famæ in terris &c. Nulla prorſus habita ratione augmenti æris alieni, & populorum inde amplioris ſemper grauaminis! Quid ſi qui ad Prouinciarum, Ciuitatum &c. regimen mittantur, redirent cum copia auri, & argenti! Quid ſi nihil planè poſſet emi, aut vendi, etiam vitæ neceſſarium ducẽdæ, quod gabellis non eſſent expoſitum, a quibuslibet pauperibus ſoluendis omnino; ac inde populi appeterent imperium potiùs Sæcularium Principum, quam Eccleſiaſticorum! Quid ſi non tantùm Romano Populo omnis fermè libertas adempta, ſed & propter monopolia maximè, & in Conſanguineorum, vel Affinium R.P. aliorumue Curialium gratiam, qui ex aliorum ſpolijs ſuas opes augere contenderent, Romanæ Vrbis incolæ ſummo mercari pretio cogerentur, quæ ſibi ad victum, veſtitumque opus forent! *Eſtne hoc Eccleſiaſticorum regimen a Sæcularium Principum regimine adeo diſtans, vt inter Patrem, & Dominum?* Nonne illud potiùs ad Tyrannicum accederet, ſeu deſpoticum?

4. *In Chriſti paſcendis ouibus haud commoda intendat ſua:* Etenim, inquit *S. Aug.* tr. 123. In Ioan. *Qui eo animo paſcunt oues Chriſti, vt ſuas velint eſſe, non Chriſti, ſe conuincuntur amare, non Chriſtum; vel gloriandi, vel dominandi, vel acquirendi cupiditate; non obediendi, & ſubueniẽdi, & Deo placendi charitate. Contra hos ergo vigilat toties inculcata iſta vox Chriſti, quos Apoſtolus (Phil. 2. v. 21.) gemit ſua quærere, non quæ Ieſu Chriſti: Nam quid eſt aliud,* ſi diligis me, paſce oues meas, *quàm ſi diceretur, non te paſcere cogita, ſed oues meas; ſicut meas paſce, non ſicut tuas; gloriam meam in eis quære, non tuam; dominium meum, non tuum; lucra mea, nõ tua; ne ſis in eorum ſocietate, qui pertinent ad tempora periculoſa (2. Timoth. 3.) ſe ipſos amantes, & cætera, quæ huic malorum initio connectuntur.* Imitabitur potiùs Paulum 2. Corinth. 12. v. 14. *Non quæro, quæ veſtra ſunt, ſed vos: non enim filij parentibus theſaurizant, ſed parentes filijs.* Hinc illa Bern. ad Eug. lib. 4. *Fuerunt ante Te, qui ſe totos ouibus paſcendis exponerent, Paſtoris opere, & nomine gloriantes, nil ſibi reputantes indignum, niſi quod ſaluti ouium obuiare putarent, non quærentes quæ ſua ſunt, ſed impendentes. Impendere curam, impendere ſubſtantiam, impendere & ſe ipſos: Vnde vnus illorum, Et ego, ait (2. Corinth. 12. v. 15.) ſuperimpendar pro animabus veſtris; & tanquam dicerent, non venimus miniſtrari, ſed miniſtrare (Matth. 20. v. 28.) ponebant, quoties oportuiſſet, ſine ſumptu Euangelium (1. Cor. 9. v. 18.) Vnus erat de ſubditis quæſtus, vna pompa, vnaquaque voluptas, ſi quomodo eos poſſent parare Domino plebem perfectam (Luc. 1.) Id omnimodis ſatagebant, etiam in multa contritione, cordis, & corporis, in labore, & ærumna, in frigore, & nuditate (2. Cor. 11. v. 27.) Vbi nunc quæſo conſuetudo hæc? Subijt diſſimilis valde; longè in aliud mutata ſunt ſtudia, & vtinam non in peius. Cura tamen, & anxietas, & æmulatio, & ſolicitudo, fateor, perſeuerant. Tranſlata hæc, non imminuta.*

minuta. Etiam S. Aug.tempore (ex Aug.in ser.Pas. refert id S.Th. in Cat.) *Extiterunt quidam serui infideles, diuiserunt gregem Christi, & furtis suis peculia sibi fecerunt, & audis eos dicere*, oues meæ sunt illæ; quid quæris ad oues meas? non te inueniam ad oues meas: *Si & nos dicamus meas, & illi dicant suas, perdidit Christus oues suas*. Si Diuinis Verbis Catholicam fidem habeant animarum Pastores, ac præ cæteris R. P. nescitur, quo modo ipsos non remoueat a pascendis semetipsis ex ouibus Christi illa comminatio Diuina apud Ezech. c. 34. *Væ Pastoribus Israel, qui pascebant semetipsos? Nonne greges a Pastoribus pascuntur? lac comedebatis, & lanis operiebamini, & quod crassum erat, occidebatis; gregem autem meum non pascebatis. Quod infirmum fuit, non consolidastis; & quod ægrotum erat, non sanastis; quod confractum erat, non alligastis; & quod abiectum est, non reduxistis; & quod perierat, non quæsistis; sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia. Et dispersæ sunt oues meæ, eò quòd non esset Pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. Errauerunt greges mei in cunctis montibus, & in vniuerso colle excelso, & super omnem faciem terræ dispersi sunt greges mei, & non erat, qui requireret, non erat, inquam, qui requireret. Propterea Pastores audite Verbum Domini: Viuo ego, dicit Dominus Deus; Quia pro eo quòd facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eò quòd non esset Pastor (neque enim quæsierunt pastores mei gregem meum) sed pascebant pastores semetipsis, & greges meos non pascebant; Propterea pastores audite verbum Domini: Hæc dicit Dominus Deus; Ecce ego ipse super pastores meos requiram gregem meum de manu eorum, & cessare faciam eos, vt vltra non pascant gregem, nec amplius pascant pastores semetipsos, & liberabo gregem meum de ore eorum, & non erit vltra eis in escam &c.* Nunquam fiat, vt Deus contra animarum Pastores, qui pascunt semetipsos, & nõ Dominicum gregem irritatus, Ecclesijs, ac Ecclesiasticis temporalium possessionem, e quibus semetipsos pascunt, non pascentes tamen oues sibi commissas triplici pastu n. 91. indicato, subtrahi permittat, relictis ad summum necessarijs &c. vel Christus tandem adueniat ab huiusmodi Pastorum regimine gregem suum liberaturus &c. 5. *Haud negligens sit in custodia Dominici gregis*; Vnde illa 25. quæst. 1. cap. 2. e *S. Leone* Papa ann. 448. Pontif. sui 8. epist. 4. ad Sicil. Episc. *Monente Dominicæ vocis imperio, quo Beatissimus Apostolus Petrus trina repetitione mysticæ sanctionis imbuitur, vt Christi oues, qui Christum diligit, pascat; reuerentia coarctamur, vt periculum desidiæ, quantum possumus, declinemus; ne professio Summi Apostoli, qua se amatorem Domini esse testatus est, vana inueniatur in nobis; quia negligenter pascens Dominicum Gregem toties commendatum, conuincitur summum non amare Pastorem*. Si aliqua enimuerò ex ouibus pereat, debet animarum Pastor probare, quod ipsius negligentia id non acciderit, instar argentarij, custodis carceris, depositarij, vt ait *Glos.* in c. penult. de Reg. Iur. in 5. Quæ etiam in c. 3. de off. Arch. Verb. *Negligentia* scribit; Prælatus non solum tene-

tur

tur de dolo, culpa lata, & leui ad inſtar tutoris, ſed etiam de negligentia, vt hic patet, cum etiam propter negligentiam remoueatur &c. ac deinde Verb. *Reatu* Arg. quod negligentia Prælati mortale peccatum eſt d.81. c.dictum, infra de Reg.Iur. c.penult. Nec debet R.P. putare, ſeueram nimis, ac rigidam eſſe opinionem, quod ipſe teneatur e culpa etiam leuiſſima circa cuſtodiam Dominici Gregis, ac pro hac a Chriſto ſit grauiter puniendus; quia eo ipſo, quòd ſuæ electioni conſenſit, munuſque Paſtoris vniuerſarum Chriſti ouium ſuſcepit, ad ſummam, quantum humana fragilitas patitur, ſemet obligauit virtualiter ſaltem in illarum cuſtodia diligentiam; hæc enim illi neceſſariò coniuncta eſt, ſicuti indiſſolubilitas matrimonio; ac præterquam eſt onus a Chriſto impoſitum, quod *ferendum* prorſus, & *pia tolerandum deuotionem* d.19. c.3. vltro fuit ſuſceptum; quod non adeò graue illi videbitur, ſi animaduertat pariter, hinc prælatum eſſe cunctis prorſus reliquis animarum Paſtoribus, ſummos honores, ſummæ venerationis ſigna ſibimet deferri, ampliſſima poſſeſſione ſemet immobilium, ac mobilium bonorum potiri, ac frui &c. Hæc eleuant onus grauiſſimum, quod ſuſtinet R.P. in diligentiæ nullius omiſſione circa Dominici Gregis cuſtodiam. Eſtne conſentaneum rationi, vt illa velit, exigatque, ac etiam vltrò ſibi illa videat deferri; huic verò ſemet ſubtrahere contendat? Quam ſæpè R.P. profeſſi ſunt in ſuis Conſtitutionibus, ſe onus, & *Apoſtolicæ ſeruitutis*, ſuſcepiſſe! *6. Paſcat oues Chriſti ea ratione, qua vult Chriſtus eas paſci*, non ea, quam vult ipſe, qui non eſt ouium Dominus, ſed tantummodo Cuſtos: Quæ autem ſit illa, iam num.91. e Patrum traditione ſignificatum eſt, ac e Chriſti ipſius doctrina, ac exemplo, e ſacris vtriuſque teſtamenti litteris apertiſſimè diſcitur; nec niſi ad ſummam affectatam illius ignorãtiam habere poſſunt R.P. Qui tamen exactè nouerunt, ſe eſſe Epiſcoporum Epiſcopos, oſculum pedis ſibi deberi, ſicuti & facultatem pinguia etiam beneficia elargiendi Eccleſiaſtica, Cardinales creandi, Epiſcopos eligendi, vel confirmandi vbique, ad ſe in grauioribus quibuſdam cauſis neceſſariò confugiendum a cunctis fidelibus &c. Si vniuerſum Dominicum Gregem R.P. paſcerent modo, quem ipſis Chriſtus præſcripſit, etiam particularium Paſtores gregum eumdem ferè omnes proſequerentur; adeoque fieret, vt in Catholicis populis peccata quędam publica Chriſti doctrinæ maximè aduerſantia remouerentur; & hinc plerique infideles ad illam attraherentur; *Qui iam pridem doctrinam ſuam damnaſſent, & noſtram approbaſſent* (ait *S.Chryſ.* Hom. 71. in Ioan.) *niſi vita noſtra retraherentur. Verbis philoſophari facilè; hoc enim multi apud eos fecerunt; ſed inquirunt operum probationem. Verùm, Maiores noſtros ſibi proponant, inquies: Non credunt, ſed viuentes intuentur:* Quin etiam doctrinam Chriſti, vt fabulam, habent, quemadmodum ſcribit *Iſid. Peluſ.* ep.141. lib.2. *Si dicere fas eſt (fas autem eſt vera loqui) periculum eſt, ne diuina prædicatio ab ijs ipſis, qui eam tueri dicuntur, euertatur; nam dum contraria ijs, quæ loquuntur, faciunt, multos adduxerunt, vt ſermones, quos ha-*

 bent,

bent, non secus, ac fabulas audiant. Et cum primus Euangelicæ doctrinæ Magister sit R. P. Si eam non profitetur opere in ijs ipsis, quæ ipsi peculiariter, ac ter indicta sunt a Christo de *Pascendis ouibus suis*; difficillimum planè est, vt plerique hominum existiment vera, quæ circa eamdem doctrinam alijs tradat. Quidni potiùs illum habeant tanquam fabularum narratorem,& Poetarum imitatorem, qui figmenta de suis maximè Dijs,& quibusdam heroibus, qui nunquam extiterunt, concinnè proponunt? Si via, per quam ad æterna diriguntur pascua Christi oues, est *Humilitatis, Charitatis, sinceritatis, rerum terrenarum contemptus &c.* Cur ipsi animarum Pastores ab eadem deflectunt? Suntne adeò insani, vt viæ ducenti ad perditionem se committant? An non illas suadent virtutes reliquis, vt non ægrè ferant Oues sibi lac, ac lanam detrahi, ac interdum mactari? Hæc certè ouium planè insipientum figmenta forent: At cum *insipientibus quoque debitor sit* R. P. c. 1, v. 14. Rom. ne illa excogitent ad excusandas excusationes in suis peccatis, dum suomet exemplo non salubriter eas pasceret; an non ei solicitè præcauendum?

Ioan. 21. v. 18. & 19.

XCIII. EO Charitatis affectu pascendas esse commissas Petro oues suas ei significat Christus, seu sic diligendas demonstrat, vt paratus sit pro eis mori. *Bonus* siquidem *Pastor animam suam dat pro ouibus suis* Ioan. 10. vers. 11. & se talem ibi pronunciat Christus; ac Matth. 20. v. 26. professus est, *non venisse ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis*. Hanc animi promptitudinem haud ostenderet ille R. P. qui labores animi, & corporis, qui necessariò adiuncti sunt officio Vniuersalis omnium Christi ouium Pastoris subterfugeret, suosque proprios alijs delegaret, vt ipse suis penitus indulgeret commodis; omnes interea honores, omnia emolumenta, omnem in maioribus causis sibi reseruans auctoritatem &c. quiue reditus Ecclesiasticos, temporaliaque bona haud in suarum ouium subsidium, sed in superflua, in vana, & quandoque scandalosa impenderet. An non hic potiùs inter *Mercenarios*; qui certè non sunt inter Pastores bonos Ioan. 10. v. 12. 13.? Mercenarij autem sunt, qui sua quærunt, nō quæ Iesu Christi Phil. 2. v. 21. *Quid est sua quærentes*; respondet *Aug.* tr. 46. ad c. 10. Ioan. *Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda sectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes. Hæc quando amantur a Præposito, & propter hæc seruitur Deo, quisquis talis est, mercenarius est.* Sic legitur quoque 8. q. 1. c. 19. vbi tamen 23. q. 4. c. 12. ex eodem *Aug.* ser. 49. de Verb. Dom. huiusmodi *Pastorem tolerandum esse* traditur, *licet non sit illi cura de ouibus.* Nisi hanc animi promptitudinem ad dandam

dam pro ouibus Christi animam suam in se experiatur electus ad Pontificatum, haud electioni consentiat; & si consenserit, illam a Deo exorare assiduis, feruentisque precibus nitatur; ecus haud dignus Petri successor erit.

XCIV. Quò R.P. e senio euadit corpore infirmior, eò animus fortior euadat ad pascendas Christi oues, saltem illustrium coram Deo, & hominibus actionum exemplis, vt possit cum Paulo 2. Corinth. v. 10. dicere, *Cum infirmor, tunc potens sum*, siue cum magis infirmor, tunc magis potens sum. Humani quidam affectus vtcumque tolerari possent in R.P. qui iuuenis (in Petri Cathedra sedit post *Agapitum II.* Io. 12. annosum dumtaxat decem, & octo ætatem agens ex *Bar.* ad an. 995. Sicuti & sæculo superiori *Leo X.* triginta septem) electus fuisset; qui tamen reprehendendi meritissimò forent in illo in senium vergẽte, quemadmodum & in electo, qui iam confirmata, & prouecta ætate foret. Nunquam comprobetur in R.P. illa Guerr. Abb. serm. 3. de Adu. *In plurimis semimortuis videre adhuc est concupiscentiam mundi. Frigescunt membra, & seruet auaritia; vita finitur, & ambitio protrahitur.* Et concupiscentiæ quidem extincto igne, vehementiorem redditam fuisse flammam auaritiæ in quibusdam, expertũ semet fuisse testatur *S. Augusti.c.*21. de Bon. Vid. cuius & elegantem ibi reddit rationem. At cum ambitio, & auaritia sint vitia, quæ in primis R.P. animas ad inferos detrudere possint, ac *mors senib⁹ sit in ianuis (quæ iuuenibus est in insidijs*, vt ait idem *Guerr.* Abb. ser. 3. de Adu. Dom.) an non potius præclara Humilitatis, ac Liberalitatis in pauperes, & egentes senior factus R. P. signa exhibuerit? Et hæc sanè exhibebit, si cum Dauide Rege Psal. 76. v. 7. meditetur nocte cum corde suo, & exercitetur, & scopat spiritum suum, *Numquid in æternum proijciet Deus?* seu in æternum non videbo Deum, sed cum dæmonibus æterna luam supplicia? *Hæc erat tota cogitatio Dauidis*, vt ait *S. Hier.* ad cuius sanctissimi Viri aures pariter semper personabat tuba ad extremum aduocans iudicium.

XCV. Tunc potissimùm sequi Christum, seu Christum imitari debet, vbi quis electus est R.P. Repetijt siquidem bis Christus Petro, statim ac illi pascendas tradidit oues suas, *Sequere me* v. 19. & v. 22. idest, *mores meos imitare, paratus etiam pro me, & in carcerem, & in mortem ire*, vt exponunt *Theod Heracl. Theophyl. & Rupert.* Etiamsi priùs Cardinalis, vel in alio Ecclesiastico gradu constitutus Christum fuerit secutus, tunc nouam, perfectioremque Christi siquelam aggrediatur, & alacriori semper animo eam prosequatur, in dies magis acerbè ferens, quòd præsentium circumstantiæ temporum nõ sinant ipsum in rerum, honorumque abdicatione imitari Christum, S. Petrum, aliosque complures illius successores, hunc satagens compensare defectum egregijs operibus Charitatis in Christi oues, ac heroicis Euangelicæ perfectionis actionibus. In memoriam identidem sibi reuocet, non tantummodo Anglicum illum Poetam (vt refert *Glos.* in Proem. Clem. verb. *Papa*) cecinisse de Papa, *Nec Deus es, nec homo, quasi neuter es inter*

vtrumque;fed & *Innoc.III.*fer.1.in Conf.R.P.afferere, illum *inter Deum, & hominem medium eße conftitutum, citra Deum, fed vltra hominem, minorem Deo, fed maiorem homine*; ideoque dicta, ac gefta quælibet R.P. debere, fi non diuina, certè plufquam humana, feu dicta tanquam oracula, gefta, tanquam heroica, effe; inter quæ vult *Innoc.* vt in eo *humilis fublimitas fit, & fublimis humilitas; officium enim feruitutis humiliare illum debet, quem faftigium fublimitatis exaltat; nam fuperbis Deus refiftit, humilibus autem dat gratiam* 1.Petr.5.v.5.

XCVI. Licet quamdiu in hac vita mortali degit R. P. fenfitiuo appetitu non poffit non refugere, feu exhorrere mortem; appetitu tamen rationali debet in illam ferri, nedum naturalem, fed & violentam, fi opus fuerit, pro Chrifto, & grege fuo. Optabit illam, ac vehementiffimè, R.P. qui vehementi amore profequitur Chriftum a terrenorum remotiffimus amore, fperatque ab eo amplam mercedem laborum, quos inftar Apoftolorum, Apoftolicorumque Pontificum fubijt, ac fubit pro ipfius Chrifti ouibus, nec non agnofcit, fe nihil coufultò pretermififfe, aut prætermittere, quòd ad munus fuam fpectabãt, vel fpectãt, atque fi in aliquo iam deliquit, pęnitentia illud eluere conatum fuiffe. Mortis memoria illi R. P. odiofa erit, qui animaduertit, fe, nec leuiter, negligentem fuiffe in munere Pontificio, ouefque Chrifti potiùs exemplis in viam æternæ damnationis, quam falutis direxiffe; prætuliffe Chrifti amori amorem, tum fui Corporis, tum Confanguineorum, tum Amicorum; Ecclefiafticas dignitates immeritis conceffiffe; reditus Ecclefiafticos non in pauperum neceffitates, fed in non neceffaria ad vanam fui gloriam pofteris relinquẽdam infumpfiffe, ac ita demnm vixiffe, ac fi non effet Deo redditurus rationem pro omnibus, qui funt fuæ curæ commiffi, feu non *fit requifiturus de ipfius manibus fanguinem ouium fuarum* D.N.I.C. *quæ ex ipfius negligentia perierunt, aut peribunt.* Hanc potiùs memoriam a fe auertere huiufmodi R.P. ftudebit, in alijs fibi iucundis mentem defigens, in pecunijs numerandis, in colloquijs cum Confanguineis, Affinibus, Aulicis, Adulatoribufque fuis, in amænis adeundis locis, in ludicris quibufdam confpiciendis &c. naturaléq. mortem a fe quam longiffimè remouere, exquifitiffimifque vitam medijs protrahere fummo conabitur ftudio. Electo Pontifici *Eug.IV.* ftatim hoc documentum dedit *S.Bern.*in fin. ep.238. *Iugi meditatione inter huius tranfeuntis gloriæ blandimenta memorare nouiffima tua; quia quibus fucceffifti in Sede, ipfos fine dubio fequeris ad mortem;* & fermè certò ad fempiternam mortem, fi quibufdam fucceſſerit in prauis moribus, qui *fecerunt delinquere populum*; fi enim hoc facit quicumque Sacerdos peccans Leuit.4.v.3. vt obferuat *Innoc.III.* in 1. & 2.fer. de *Confecr.* R. P. hoc mnltò magis facit fummus omnium Sacerdos; ideoque fi illud non expiet in hac vita confpicuis amaræ pœnitentiæ monumentis, æternis poft mortem expiabit cruciatibus: Delinquunt autem populi ex duplici genere peccatorum in R. P. *Commiffionis* fcilicet, & *Omiffionis*; atque hæc folent non minùs, quàm illa, effe frequentia. Vtinam

firmif-

firmissima semper sit adsit R.P. fides de æterna præmiorum,ac suppliciorum retributione. Modica præcipui istius Catholicæ fidei Axiomatis fides,leuisque inde consideratio,R.P. valdè in multis reprehensibiles reddit. Saltem cum annis R.P. est grauis, intensam illius fidem precibus a Deo impetret, & accuratissime illud perpendat, in arcam, in qua tumulandus sit, sæpissimè oculos conijciens, collocatam lecto proximam, *Caroli V.* Imperatoris imitator, qui illam semper secum circumtulisse fertur; Quam loco arcæ pretiosarum rerum opportunum quidem foret, vt R.P. vbi electioni assensum præstitit, statim in suo cubiculo iuberet reponi ad memoriam frequenter excitandam, tum breuissimam fuisse multorum R.P.vitam,tum obeuntem se perpetuò, vel sessurum cum Petro, alijsque illius plurimis successoribus sanctissimis in cælo, vel cum dæmonibus, alijsque improbis Pontificibus commoraturum in gehenna ignis acerbissimis flãmis præ cunctis hominibns torquendum: Hypocritam verò, vel minùs postea timentem Deum se declararet ille R.P. qui post exactos aliquos menses in Pontificatu sepulchralem hanc arcam a suo cubiculo remoueri præciperet, aut eamdem loco sui corporis ibi tumultuandi reponeret pecunias,gẽmas, aliaque multi pretij, obliterata mortis memoria; Quę sola quidem satis foret ad reddendos R. P. in suo munere ita solicitos, vt non rarò insomnes obirent noctes ad vigilandum super Dominicum Gregem;nec opus foret, vt Cardinales,vel alij precibus, vel monitionibus ipsum dormientẽ excitarent, eò quòd ipso dormiente insanis peccatorum,hæresum, schismatum &c. fluctibus Ecclesiæ nauis penè operiretur, & populi periclitarentur Catholici, instar discipulorum nauiculæ Christo *dormiente in puppi super ceruical* Matth.8. a v.24. Mar.4.a v.17. Luc.8. a v.23. Si meminerit R.P. maximè festiuo suæ Coronationis die, iuxta priscum salubre institutum,stuppam in suo conspectu, ac iteratis vicibus,combustam fuisse, sibique voce elata fuisse significatũ, *sic mundi gloriam trãsire*, æternæ se omni conatu comparandæ addicet,eaque frui quantociùs optabit, humanam cõtemnens penitus gloriam, humanosque honores, vt pote sciens *ex isto temporali vapore culminis Pontificij,& sublimitatis humanæ* præ cęteris,*secum nihil delaturũ, nisi operam in pascendis ouibus Christi impensam*. Nullus vnquam sit R. P. qui ætate potissimùm confectus cum illo diuite apud Luc.12.a v.16. cogitet intra se ampliora reddere palatia sua, vel suorum, ampliores his redditus congregare, ampliorem numerum Cardinalium efficere ex Consanguineis, Affinibus, Amicis, Domesticis &c. & dicat animæ suæ, *Habes multa bona* e reditibus Patrimonij B.Petri,e Dataria, alijsq. in Vrbe officijs; nihil tibi deest,quò minus felix esse possis, *comede, bibe, epulare, requiesce a Pastoralibus curis; indulge tibi vnicè in annis, qui tibi supersunt &c.* Nam facilè euenire potest,vt moriatur,cum minime cogitet (vt euenit huic Euangelico diuiti) & illa quæ habuit reposita, rapiant Consanguinei, & alij,cum non ampliùs fuerit spes sanitatis ipsi restituendæ, videatque quandoque in lecto decumbens e cubiculo a-

ſportari eiuſdem ornamenta, & vix ſibi lectum relinqui, atq. e tot Curialibus, Conſanguineis, Domeſticis vix vnum adeſſe Sacerdotem, qui ipſius animam in extrema vita Deo commendet, mæſtiſſimus planè; tum quòd commoda, quibus fruebatur largiſſimè, ſit dimiſſurus, tum quòd arbitretur incommoda tunc potiùs æterna ſibi eſſe acceſſura in inferis intolerabilia propter negligentiam in paſcēdo Dominico Grege. Mors, imò mortis memoria, P. R. eiuſmodi negligentibus non poteſt non videri *amara*; at dulciſſima illi R. P. qui inſtar Pauli nihil omiſerit, quod ſaluti Dominici Gregis prodeſſe nouerit; nam cum eodem morti proximus alacriter dicet 2. Timoth. 4. v. 6. 7. 8. *Ego iam delibor, & tempus reſolutionis meæ inſtat; bonum certamen certaui; curſum conſummaui, fidem ſeruaui. In reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex &c.*

Ioan. 21. verſ. 20. 21.

XCVII. STatim ac Petrus vniuerſæ fuit a Chriſto præpoſitus Eccleſiæ, de Ioanne, quem nouerat peculiariter a Chriſto diligi, præ cæteris ſollicitus eſſe cæpit. Non fuit ſollicitus de *Andrea* fratre ſuo, ſecum tamen in Apoſtolatu Collega, & a quo ductus fuerat primò ad Chriſtū, & cui (humanitus loquendo) primatum ſuum in Eccleſia debebat, quia tunc illum ſupremum Eccleſiæ Præſidem deſignauit, vt iam ad c. 1. Ioan. v. 42. obſeruatum eſt. Incongruum eſt, vt R.P. electus illicò cogitationem ſuam defigat in Conſanguineos ſuos, eos ſtatim ad ſe aduocet, ſi abſint, eos honoribus, reditibuſque confeſtim extollere ſtudeat; Apoſtolici verè oraculi *Clem. IV.* memor, quod refert *Claud. Clem.* c. 7. in illius Vita, *Pontificibus Romanis nullos eſſe liberos* (multoque minus Nepotes, aut fratres) *ſibi non licere, quod ſuum non eſſet, dare Propinquis; ſatiſque eſſe, ſi quas ante Pontificatum poſſediſſet fortunas, eis relinqueret*; cuius & epiſtolam Apoſtolico conſimiliter ſpiritu conſcriptam ad Petrum e fratre nepotē c. 8. deſcribit, quā priùs edidit *Petrus Michael* Hiſpanus Scriptor Hiſt. Hiſpan. eamq. ad impreſſionem accepit *Onuph. Panu.* in Vit. *Clem. IV.* ab *Antonio Auguſtino* Rotæ Auditore, ac deinde Lerideuſ. Epiſc. Quin etiam, ſi adſint in Vrbe, niſi admodum verè pij ſint, dimittat illos, experientia ductus frequentiſſima, R. P. plurimos horum amore impulſos ſemet Deo exoſos, & hominibus opprobrioſos reddidiſſe, & adeò ſæpè irretitos, vt quamuis publica etiam facinora perpetrarent, illis pepercerit contra Chriſti præceptum, monitumque *S. Hieron.* ep. 4. ad Ruſt. *Si ſcandalizat te oculus, pes, manus, proyce ea: Nulli parcas, vt SOLI parcas animæ*: Qui & lib. 5. adu. *Pelag.* animaduertit, *Heli, licet filios corripuerit, punitum fuiſſe, quia non corripere debuit; Sed ABIICERE.* Hoc illi congruum ſanè illicò ſollicitum eſſe in conſtituenda ex homini-

minibus morum integritate conspicuis familia sua, in Consiliarijs sibi asciscendis, in promouendis ad Ecclesiasticas dignitates, in beneficijs peculiaribus afficiendis, quos ipse nouerit, aut ab alijs fidelibus viris acceperit, esse vel in Vrbe, vel extra Vrbem, insignes pietate, ac doctrina, ac potissimè Ecclesiastica eruditione, illaque Theologia, qua fides Catholica inter hæreticos, pietas inter Catholicos propagatur; Horum autem complures in Curiam aduocare, & Curiæ Romanæ, & ipsis R. P. foret admodum vtile, ac summoperè honorificum. Homines certè maximè Deo gratos summo prosequatur amore; tales tamen haud eos existimet, qui solummodo casti sint, seu incontinentiæ sordibus carere censentur; nam ex decem Virginibus quinq. fuerunt *fatuæ* Matt. 25. v. 3. *Non habentes oleum in vasis suis* v. 8. hoc est Virgines quidem, sed misericordia, & charitate destitutæ iuxta *Crisost. Ambros. Theophyl. Euthym.* ideoque e cælestibus nuptijs exclusæ a Christo Domino, qui eas *se nescire* professus est v. 12. Magis per se Deo displicent sordes animi, quā corporis, hoc est superbiæ, auaritiæ, detractionis, odij pertinacis, Simulationis, Adulationis &c. Sint casti quidem, imò etiam Virgines. (si multi possunt haberi eiusmodi) instar *S. Ioannis*; sed vnà cum illo flagrantes amore in Deum, proximumque.

XCVIII. Haud desistat R. P. ab eorum amore, quos ante electionem prosequebatur, vt pote magis quoque a Deo, Christoque dilectos propter Euangelicas virtutes, quibus præditi erant, sed potiùs ampliorem præseferat re ipsa. Ab eorum desistat peculiari amore, quos nouerit iam spiritualibus imbutos vitijs, assentatores, in ostensa ipsius dilectione in inferiori gradu constituti sua tandem quæsijsse, licet tunc valdè eos se diligere indicasset; Etenim Petri Successor solùm illos præ cæteris diligere debet, quos Christus peculiariter diligit.

XCIX. Consilia Deo reseruata non curiosè inuestiget R. P. Quin etiam quæstiones nonnullas, quæ sunt in *diuitijs sapientiæ, & scientiæ Dei* Rom. 11. vers. 33. non sinat discuti; Excitant enim istæ inter viros doctos iurgia, contentiones, detractiones, odia; idiotarum verò animos, vel in prauis suis confirmant sensibus, vel a pijs retrahunt operibus, vel certè in ijs prosequendis infirmiores efficiunt &c. Deus in suæ thesauris sapientiæ earum solutionem reposuit.

C. Sæpè R. P. arbitretur sibi a Christo dici, *Quid ad te? Tu me sequere. QVID AD TE anxia sollicitudo de terrenis, de amplificando temporali statu R. E. de Immunitatibus quibusdam in Principum ditionibus acquirendis semper amplioribus? QVID AD TE nimia, scandalosaque in tuos Consanguineos, & Affines propensio, ac fermè assidua meditatio de illis ad copiosiores diuitias, sublimioresque honores euehendis? QVID AD TE Regalis magnificentia in domestica suppellectili, in vestitu domestico pompa, in victu lautitia? QVID AD TE studij labor, vel otium in Oratorijs, Poeticis, in vi Latinarum, Græcarum, vel Etruscarum vi, ac origine perpendenda? QVID AD TE frequentissimus de Politicis sermo, notitiaque diligenter conquisita illorum, quæ Sæculares Principes agant ad*

Ciuilem dumtaxat statum attinentia? QVID AD TE familiaritas cum adulatoribus, ac illis, qui humana tantùm prudentia exculti sunt? QVID AD TE magnificentia in Vrbe exornanda, in ædificandis Palatijs, in deriuandis fontibus; dum nihil fermè cogitas de reddenda Ciuitate, & Curia virtutibus Christianis, & moralibus ipsis, vniuerso orbi magis conspicua. QVID AD TE fœdus inire cum aliquo Principe Catholico aduersus alium pariter Catholicum, militem conscribere, exercitum comparare? QVID AD TE negociationibus nonnullis operam dare ad fortunas tuas, vel tuorum exaggerandas? QVID AD TE Romanum Populum, aliosque nouis semper exactionibut premere, ac herile in eos imperium exercere? TV ME SEQVERE. Si meus velis esse solùmmodò discipulus, debes esse paratus quotidie pro me non quoquo modo mori; sed etiam crucifigi Matth. 15. v.38. c.16. v.25. Luc. 9. v.23. An non multò magis, cum meus sit Vicarius? Certum tibi sit prorsus, Crucem tuam modò esse Pontificatum; non affert ille, prout a me institutus, dominatum, pompas, delicias, honores, diuitias, vt sæcularis Principatus; sed molestias, angores, solicitudines, curas, laboresque assiduos. Si hisce temel exemeris, & otio te tradideris, commodaque illi modò annexa in primis amplexus fueris; profectò non me sequeris. Si hæc caduca ambieris; si magis tuos, quam me dilexeris, non meas, vt illi in gradu illustriori collocentur, timens offensas, non populorum offensiones; si tu prophanis lucris, non spiritualibus animarum progressibus studueris; procul dubio non me sequeris. Tu meis insistere debes vestigijs opere, doctrina, exemplo. Id præstitit Petrus. Id præstiterunt nec pauci, eiusdem successores. Meam refers personam in terris; quasi alterum ergo Christum in moribus te exhibere teneris. Memineris sapiēter scriptum olim ab Auct. Imp. Hom. 35. in fin. ad c.29. Matth. Quicumque Domino humilitati studente, iactantiæ studet, non est imago Christi; Et qui Domino paupertatem amante, diuitiarum amator est in hoc sæculo, repellit a se Christi similitudinem: Non est verus discipulus, qui non imitatur magistrum, nec est vera imago, quæ similis non est authori. *Nemo amplius, quam Tu, tenetur me sequi exactius, & cumulatius, cum te constituerim in supremo perfectionis Euangelicæ gradu. Si me non secutus fueris in planè heroicis, quas in Euangelio exposui, complurium virtutum actionibus, in prouehendo nomine, ac honore meo in Prouincijs, qui me, vt Deum non agnoscunt, vel te vt meum Vicarium, ac in depellendis, in quos inciderunt, morbis a meis ouibus, ac præsertim primarijs quibusdam e Sæculari, & Regulari Ecclesiastico statu, quæ alias inficere possunt facillime, huius curæ partem delegando lectissimis Cardinalibus a te electis, selectisque pariter animarum Pastoribus vitæ, ac doctrinæ præstantia particulares committendo greges; si non sectatus fueris* (vt præcepit iam Paulus Timoth. 1. c.6. v.11. & 2. c.2. v.22.) iustitiam, fidem, spem, pietatem, charitatem, pacem, patientiam, mansuetudinem, iuuenilia desideria penitus fugiens &c. tanquam Lucifer de sublimi Cathedra Petri cades, corrues in terram, & ad infernum detraheris in profundū laci (Esa. c.14. a v.12.) vbi omnes, qui te viderint, irridebunt dicentes: *Iste est Vir, qui cum ante alios*

te alios

te alios omnes esse debuisset maximè humilis, liberalis ex bonis, quæ sua quoque non erant, in pauperes, & egenos, mansuetus, sincerus, patiens, iustus &c. fuit maximè superbus, auarus, sed non cum suis, immitis, simulator, impatiēs laborum, personarum acceptor &c. ac hisce vitijs infecit oues, quas saltem illarum virtutum exemplo pascere tenebatur; & cum eas custodire sedulò deberet, vt alienas, sed summopere sibi commendatas ab illarum Domino, permisit eas mactari a lupis; ac inde innumerabiles animæ nobiscum sociæ in hanc ignis gehennam detrusæ: Meritissimò igitur acerbiora tibi præ alijs omnibus decernuntur supplicia: Et ego in die iudicij extremo cum assessoribus meis Petro, plurimisque R.P. ac nonnullis etiam, qui extremis hisce sæculis Pontificatum pijssimè administrarunt, finalem in te sententiam feram in omnium conspectu populorum de acrioribus ante cæteros omnes pœnis de te sumendis. Vtinam R. P. nunquam sequantur Diabolum in Vaticanum Montem, qui per se sanctus est, non minùs ac Montes Hierosolymam circumdantes Psal. 86. v.1. ac inde ostensa regnorum mundi gloria Matth.4.v.8. allicitus ad humanæ gloriæ, terrenorumq. cupiditatem *cadens* ipsum *adoret* Diabolū; cum tamen ipsius cum primis sit *Dominum Deum nostrum*, cuius ipse etiam vicem gerit in terris, *adorare* v.10. seu *timere* Deut.6.v.13.& cap.10.v.20. ac *illi soli seruire*, quemadmodum vtrobique legitur.

Ex Apostolorum Actis.

Act.1.a v.13.

CI. PRima Petri Actio palam exercentis munus Vniuersalis Ecclesiæ Pastoris in terris, vbi Cælum Christus adiuit, fuit proponere eligendum loco Iudę, qui suum agnoscēs crimen, sed tamen non congrua illud expians pœnitentia Matt.27.v.3. laqueo semet suspenderat &c. Prima ferè actio publica R. P. electi debet esse, successores eligere defunctorum iam Episcoporum, maximè probos, & idoneos præficiendo Ecclesijs, & Cardinalium complere numerum, nisi iam consuetum moderari opportunius iudicet, lectissimos asciscendos ambo enim Apostolos referunt, vt n.12. declaratum est; Apostolatum autem esse ministerium, non dominatum, apertè hoc in loco significat Apostolorum Princeps Petrus illis verbis vers. 17. *Qui connumeratus erat in nobis, & sortitus est sortem ministerij huius*; quod & v.20. *Episcopatum* e Ps.108.v.8. appellat; iterumq. *ministeriū* v.25. dicit.

CII. Cum duodecim eligens Apostolos Christus, omnibus spectatis, hoc munus illis tradiderit, qui secundum præsentem statum ad illud erant maximè idonei, vt animaduertit etiam *Mald.* ad c.10.Matth.v.4. & Ioan.6. vers.70. & nihilominus Iudas postea Christi ipsius proditor

 fuit,

fuit, qui priùs quoque fur, & làtro euasit; nullus conqueri debet de R.P. mala, ac imprudenti electione, si aliquis e Cardinalibus, ac Episcopis, cui illas ipse contulit dignitates, improbus euadat, vitamque ducat valde scandalosam, Ecclesiæ reditus in vana, vel illicita impendat, Christum vendat, seu simoniacè Ordines, Ecclesiasticaque beneficia conferat. Non est Propheta R.P. futura præcognoscens libera, sicuti Christus, qui tamen perspectissimum habens Iudæ crimen, illum tamen tunc probum, & maximè ad Apostolicum munus aptum, in Apostolorum Collegio reposuit. *OBSERVANDVM tamen est* 1. *Non temerè argui posse de mala, & iuxta prauas animi sui affectiones electione Cardinalium, & Episcoporum, si quasi omnes, aut plerique indignos se tali dignitate ostenderent; non ijs fulgerent virtutibus, quas Christi, & Apostolorum doctrina, Sacri Canones, Pontificiæ Constitutiones, nouissimique Generalis Concilij Tridentini decreta requirunt; quin etiam valde probabili dari locum suspicioni, quod datus fuerit locus humano affectui, precibus, ambientium suggestionibus, pecuniæ, muneribus &c.* Vnicus fuit Iudas inter duodecim; Non fuerunt vndecim Iudæ, ac vnicus Petrus, vt iam significatum est n.15. Non esset sanè mirandum, sed hilariter potius tolerandum, si inter septuaginta Cardinales septem, aut etiam decem, inter mille Episcopos v. g. centum non laudabiliter se gererent, si cæteri omnes in probitate, doctrina, alijsque dotibus insignes forent; vnde & posset absolutè dici, R. P. lectissimos Cardinales sibi asciuisse, bonos maximè, atque idoneos Pastores Ecclesijs præfecisse. 2. *Ingens patratum a Iuda crimen venditionis Christi emanasse ab illius auaritia;* fur enim erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat Ioan.12.v.6. & emebat necessaria Christi, reliquorumque Apostolorum victui, ac ex hisce donatis iuxta Christi iussum egenis aliquid dare tenebatur c.13.v.29. Vnde *S. Leo* Papa 1.ser.9.de Pass.Dom. post ista, *Impius Iudas maluit minister esse Diaboli, quam Apostolus Christi, quem non timoris perturbatione deseruit, sed pecuniæ cupiditate distraxit,* subiunxit; *Videte dilectissimi, & prudenter inspicite, quæ germina, & quales fructus de auaritiæ stirpe nascantur, quam meritò Apostolus (1.Timot.6.) radicem omnium malorum esse definiuit, quia nullum peccatum sine cupiditate committitur, & omnis appetitus illicitus istius auiditatis est morbus. Amori pecuniæ vilis est omnis affectio, & anima lucri cupida etiam pro exiguo perire* (inquit *Mald.* ad 26.Matth.vers.15. triginta argenteos, pro quibus Iudas vendidit, tradiditque Christum Iudæis; triginta Francis Gallicis, idest decem nummis aureis solaribus, vt nunc, inquit, sunt, respondisse) *perire non metuit; nullumque est in illo corde iustitiæ vestigium, in quo sibi auaritia fecit habitaculum. Hoc perfidus Iudas inebriatus veneno, dum sitit lucrum, peruenit ad laqueum, & tam stultè impius fuit, vt triginta argenteis, & Dominum venderet, & Magistrum.* Si huiusmodi veneno inebriati fuerint Episcopi, Cardinales, ac R.P. nullum fermè non facinus perpetrabunt, & a quibusdam dumtaxat abstinebunt, ne detrimenta inde alia reportent temporalia; famæ suæ nullam habebunt rationē,

seu

seu præsentis, seu futuræ, multòque minùs populorum offensionis ex huiusmodi auiditate; & Sacramenta ministrabunt, vel suscipient *indignè*, non *se ipsos probantes* Apostolico, ac Diuino non obsequentes præcepto 1. Corinth. 11. v. 26. 27. Sicuti & Iudas in Christi venditione nihil ex his attendit pecuniæ vehementi splendore occæcatus: *Vnde sicut ij*, qui *per insaniam mente translati sunt* (verba sunt S. Ambr. & Basil. in Luc. 12. d. 47. c. 8.) *non iam res ipsas, sed passionis suæ phantasias vident; ita si horum mens fuerit semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argentum, semper reditus computabit, gratiùs aurum intuebitur, quam solem, optabit omnia ad auri naturam transmutari*, atq. (quod detestandum est summopere) vt aurum acquirat, quibusdam actionibus, ac operibus pietatis laruam inducet. Quamobrem & R. P. in electione Cardinalium, & Episcoporum, atq. Cardinales in electione R. P. obseruent diligentissimè, ne eligẽdi hoc auaritiæ veneno, sicut loquitur *S. Leo*, inebrientur, aut hac laborent insania; actum enim est de commodis spiritualibus Ecclesiæ vniuersalis, particulariumq. Ecclesiarum, si R. P. Cardinales, ac Episcopi auaritiæ morbo laborent; illorum siquidem studium in hoc erit positum, vt e suis ministerijs, ex officiorũ, beneficiorum, dignitatum distributione, ex ouium suarum lacte, lana, ac pelle, si fieri possit, aurum congregent, non in vtilitatem, aut decus etiam suum sępe, sed suorũ, aut aliorum, de quibus nunquã cogitarunt, qui vt plurimum irridebunt eos, quòd R. P. Cardinales, ac Episcopi laborauerint pro ipsis; Et ipsi laboribus eorum fruantur, opiparè epulentur, sumptuosè vestiantur, ludis, ac venationibus indulgeant &c. Digni enimuerò, qui a dæmonibus (ne dicatur, a se ipsis instar Iudæ) laqueo suspendantur, eorumque corpora ad inferos deportentur; quibus inter cęteras pœnas hæc infligatur, quod eorum viscera auro ignito repleantur perpetuò.

CIII. Non solum Petrus, cæterique Apostoli, sed & fideles cæteri omnes vnà cum B. V. Sanctisque alijs mulieribus orauerunt Deum, vt ostẽderet, quem eligeret ex illis duobus, quos pro electione statuerant. Indicenda esset Oratio ab vniuersis Episcopis in suis Diœcesibus, vt n. 16. dictum est iuxta *Greg. X.* Constitutionem in *6. C. Vbi periculum* §. fi. audito nuncio de morte R. P. vt idonea successoris fiat electio; & saltem in Vrbe indicenda Oratio publica, cùm electio Cardinalium imminet, quod n. 13. ac 16. etiam significatum est, vt Deus intellectui suggerat inter dignos notitiam digniorum, voluntatemque suauiter moueat ad hisce suffragandum. Et vtinam illi Cardinales quatuor, qui iuxta Trid. sess. 24. c. 1. *affirmare debent, se adhibita accurata diligentia inuenisse promouendos ad Ecclesias qualitatibus a iure, & a S. Synodo Tridentina requisitis præditos, ac certò existimare sub periculo satis æterna idoneos esse, qui Ecclesijs præficiantur*, orationem præmitterent; forsan enim & Cardinalis Relator, & alij tres Cardinales, qui vnà cum ipso Relatore relationem subscribere debent, identidem eiusmodi subscriptionem omitterent, cognoscentes de manibus suis Christum sanguinem requi-

fiturum illarum ouium, quæ perirent ex non idoneorum Pastorum regimine: Nec ante Deum vllatenus excusabuntur de negligentia in accuratè examinando Processu Inquisitionis facto iuxta Bul. *6.* Greg. XV. an.1591. Maij 15. cum nec quæuis diligentia, sed accurata, esse debeat; nec vt rem gratam faciant nominantibus, præsentantibus, vel eligētibus, licet essent ipsi R.P. possint sine peccato mortali eam omittere, vel affirmare esse idoneos, qui tales haud re ipsa sunt, vel de quibus dubitant, an tales sint, seu habeant qualitates a Trid. præsertim requisitas. Saluberrimum quidem foret, vt idemtidem R. P. de hoc moneret, & Cardinalem, cui proponendi ad Ecclesias munus incumbit, atque tres Priores Ordinum Cardinales, qui subscribere debent relationi in Consistorio faciendæ; nec deprehensam in illis negligentiam, aut diligentiam minus accuratam relinquat omnino inultam.

CIV. Quamuis *Ioseph*, e sacro textu dicatur, cognominatus fuisse *Iustus*, quod elogium non tribuitur Matthiæ; *sors* tamen e cælo *cecidit super Matthiam, & annumeratus est cum vndecim Apostolis.* Cum sibi ab ijs, qui ius habent e Canone, vel Consuetudine, vel Priuilegio nominandi, vel præsentandi, vel eligendi ad Ecclesias, vel ad Cardinalatum nominandi, proponi videt R. P. plures ad Confirmationem, vel Electionem, inter quos pro arbitrio suo vnum confirmet, vel eligat, haud ex ijs seligat illos, qui cum ampliori laude propositi fuerint, sed quos aptiores ijs dignitatibus certò cognouerit; illæ siquidem laudes possunt interdum esse maiores vltra meritum, quæsitæ, a Principum Oratoribus, alijsue e priuatis propensionibus vltro tributæ, & consultò additæ, vt excludantur alij digniores &c. Multi sanè ab hominibus possunt haberi iustiores, qui ante Deum minùs iusti sunt, & e contra: Quamuis possit aliquis arbitrari, quod Deus non elegerit *Iosephum*, licet non minùs iustum, quam *Matthiam*, eò quod possideret agrum, quem postea *vendidit* Act.4. in fin. vbi & dicitur *eius pretium attulisse, & posuisse ante pedes Apostolorum*; Deus autem duodecim Apostolos pauperes esse statuerat 1. Corinth. c.1. v.27.28.

Act. 2. a v. 14.

CV. Molestè tulit blasphemiam S. Petrus, vt quod Spiritus Sancti opus erat, tribueretur ebrietati. Cuiuslibet blasphemiæ in Deum, B. V. Sanctosque crimen ingens profectò est, & vt longissimè remoueatur a fidelibus, summopere enitendum est a R.P. ac innouandæ quidem pœnæ contra blasphemantes statutæ a *Leone X.* in Bul. Refor. Cur. in sess. *9.* Conc. Later. an.1514. Maij 3. promulgata; Quas innouauit *Pius V.* in Bul.4. §.10. an.1566. Apr.1. quibus nonnulla addidit *S. Carolus Borromæus* in p. 1. §. de *Blasphemis* Concil. Mediol. 1. habiti an. 1565. Mense Ottobri; sed simul in-

uigi-

uigilandum per Ordinarios, vt illæ mandentur executioni, Piorum etiam Principum implorata ope ad hoc crimen euellendum a Christianis, qui improbiores sunt Turcis, & alijs, qui idola colunt, quorum nulli audiuntur adeò impiè loqui de Deo, aut cõtra Deum, sicuti Christiani. At inter blasphemias illa prorsus est grauissima, quæ Spiritus sancti opera dæmoni tribuit, de qua Christus Matth. 12. v. 21. Marc. 3. v. 28. Luc. 11. v. 17. iuxta interpretationem *Athan.* in Hom. ibid. *Pacian.* ep. 1. Anast. q. 68. in script. *Basil.* interrog. 273. in Reg. Breu. *Ambros.* lib. 2. de Pœnit. c. 4. *Hieron.* in Com. asseuerans illam difficillimè remitti. Eiusmodi blasphemiæ vitium dicitur hæreticorum esse proprium, qui prorsus similes Pharisæis Christum persequẽtibus, Ecclesiam Christi Corpus persequentes, vera miracula haud in Catholica Ecclesia esse pertinaciter affirmant, magiæ illa tribuentes, vel naturali causæ, vel perturbatæ phantasiæ ab aliquo humore, potissimùm melancolico. Fatendum quidem est, plurima, quæ vulgò dicuntur miracula, longè a miraculi natura abesse, vt pote vim naturalium omnium causarum non exuperantia, & miranda quidem multa posse dæmoni tribui, cuius naturalium rerum notitia, quam quibusdam impertire potest in multis, verè singularis est, summaque simul calliditas, & sagacitas; ac sæpe etiam eadem fingi a callidissimis quibusdam hominibus ex ambitione, vel auaritia, ad conciliãdam scilicet quibusdam auctoritatem, & ad pecunias tandem extrahendas a fidelium maximè simplicium pietate; & cum id notissimum sit quandoque hæreticis, fit vt ipsi vniuersim miracula (quod impium planè est, ne dum temerarium) asserãt esse figmenta Catholicorum. Expediret quidem, vt nonnisi probata verè miracula proponerentur in Ecclesijs, ac nominatim a Concionatoribus, alijsque sermones ad populum habentibus, ac multæ tabellæ a quibusdam locis amouerentur, quæ oppidò ad risum quandoque excitant eas videntes, & compluribus perspectum est, id, quod tanquam peculiare beneficium supernaturale tribuitur illi Sancto, aut B. V. e naturali prorsus causa dimanasse. Perrara sunt vera in Catholicis Prouincijs miracula, vt pote non necessaria confirmandæ inter Catholicos fidei; frequentiora, sicut in priscis sæculis, in Prouincijs infidelium ad eorum conuersionem valde opportuna, & Christianam fidem, ac Euãgelicam doctrinam, quæ illis denunciatur, confirmantia, si illi prædicatorum mores conformentur. Quibusnam miraculis confirmarũt doctrinas suas Lutherus, Caluinus, alijque tot sectarum superioribus sæculis auctores? Nonnulla apud Catholicos fuisse post innatas quoq. illorum hæreses, quæ falsitatis eas omnino euincunt, nemo nisi proteruus, aut stultus negare potest.

CVI. Princeps Apostolorum primus quoque Concionem habuit. Primarium Apostolicum munus profectò est prædicare Euangelium. Hoc indixit Christus Apostolis ante, & post resurrectionem suam, & ipso etiam die, quo ad cælum abijt, vt animaduerti potest e Marc. c. fin. v. 15. & 19. qui subiungit illico, *Illi autem profecti prædicauerunt vbique &c.*

&c. & aliquæ oppidò conciones tum Petri, tum Pauli nominatim in hisce Apostolorum Actis recēsentur, cum tamen non legatur, nec ambos, nec reliquos Apostolos excipiendis Confessionibus operam dedisse vllam, cum tamen verisimillimum sit hoc exercuisse ministerium, cum Christianos in aliquos defectus, nec leues, & aliquot etiam crimina, quæ recensentur etiam non semel ab Apostolo, lapsos fuisse compertissimum sit; licet ad id alijs Sacerdotibus, vel Episcopis potuerint quoque suam delegare auctoritatem, vtpote non in certo loco fixam habentes sedem. Quam graues, assiduæque fuerint Ecclesiasticæ, & ob temporum malitiam etiam temporales, *Gregorij Magni*, & *Leonis I.* occupationes, nemo ignorabit, qui horum Pontificum inter cæteros gesta, vel Ecclesiasticos annales euoluerit; & tamen sæpissimè ad Romanum populum conciones, seu sermones habuisse ex eorum libris, e quibus complures in Breuiario Romano repositæ lectiones, manifestè patet; vt omittantur Commētarij plures *S. Gregorij* in suarum scripturæ, & *S. Leonis* Decretales Epistolæ 103. Atque vt sileatur de priscis R.P. an non *Innoc. III.* postquam mirificè amplificatum fuerat S. Petri patrimonium, tot sermones consimiliter habuit, vt integer tomus fuerit editus, ab eo olim transmissus ad *Ardulsum Abbatem Ordinis Cisterciensis*; in cuius Præfatione fatetur, *tot causarum impediri incursibus, tot negociorum nexibus irretiri, vt contemplari non sinatur, sed nec respirare permittatur*. Existimauit autem hic moribus, & doctrina præstantissimus R.P. se teneri *cibum verbi dare ouibus Christi*, vt ipse de se inquit in ser. 2. in Consecr. Sum. Pontif. adeoque alios Episcopos quoque; vnde & fertur ab *Vghel.* tom. 4. fol. 742. iussisse, vt Episcopus Brixiensis, homo cæterà valdè idoneus ad illius Ecclesiæ regimen, eidem renunciaret, si constaret illud linguæ impedimentum accessisse, vt amplius sermocinari ad populum non ei liceret; Existimauit siquidem cum priscis Patribus doctrinæ Pauli inhærentibus id esse muneri Episcopali essentiale; de quare n 8. vbi & allatum est c. 15. *de Off. Ord.* ex eodem *Innoc.* cum Concil. Lat. Patr. illiusq. innouatio cum additionibus nonnullis Trid. Concil. sess. 5. c. 2. & sess. 24. c. 4. Quibus subiungenda hæc. 1. *Summam esse prædicationis in Ecclesia necessitatem*; Quapropter tale initium est illius c. 15. *Inter cætera, quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei permaximè sibi noscitur esse necessarium; quia sicut corpus materiale, sic anima spirituali cibo nutritur, eò quòd non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*; ac illius frequentiam commendauit vehementer Trid. sess. 24. c. 4. Expediretque valde animarum saluti, ac progressui in via spirituali Pontificium iussum, vt vltra Aduentum, & Quadragesimam diebus festis omnibus, vel in Cathedrali, vel Regulari, vel alia Clericorum Ecclesia, si Ciuitas aliquot millia contineret animarum, semper foret aliquis Concionator; quin etiam pro populi multitudine, vt Neapoli, Mediolani, Venetijs, Bononiæ, Florentiæ, ac similibus plures forent, & quotidie aliquis, vel aliqui; & ad hos alendos, dum alimenta nequirent suppeditari ab Ec-

clesia Cathedrali, vel alijs Ecclesijs, eleemosinę a certis hominibus conquirerentur, quæ nunquam deessent: quin etiam amplissimæ vltrò offerrentur. 2. *Cum assumendi ad prædicationis officium* debeant esse iuxta c. 15. *de Off. Ord.* allatum *potentes in opere, & sermone, & qui plebes verbo ædificent, & exemplo:* hi enim solum sunt *idonei ad prædicationis officium s. lubriter exequendum,* vt aiunt quoque cum Concil. Later. Patribus Conc. Trid. Patres sess. 5. c. 2. qui & iubent Parochos, vel alios, si legitimè fuerint impediti, *saltem Dominicis, & festis diebus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascere salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate sermonis vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quæ sectari oporteat, vt pœnam æternam euadere, & cælestem gloriam consequi valeant;* & c. 4. sess. 24. *Sacras Scripturas, Diuinamque legem adnunciare,* nec non c. 7. *explicare populo vulgari lingua vim, & vsum Sacramentorũ, ac inter Missarum solemnia, atque diuinorum celebrationem sacra eloquia, & salutis monita eadem vernacula lingua singulis diebus festis, vel solemnibus explanare, eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire;* hæc autem plerique Parochi non præstent, nec per se, vtpote inepti, vel laborem subterfugientes, neque per alios, quòd eos alere nolint, vel etiam non rarò possint propter tenuitatem redituum, aut pensionum grauitatem; & hoc pastorale officium videantur, vtpote laboriosum, Regularibus reliquisse Parochi potissimè plurimarum Ciuitatum; prǣterquam extra Ciuitates tot animæ spirituali cibo destituuntur, ac sunt pleriq. legis Diuinæ inscij, & vix Deum norunt: Sedulò curandum esset, vt Regulares Concionatores, qui in hoc *officio* præcipuè *prædicationis, & propositionibus verbi Dei sunt* declarati *Clem.* 2. de sepult. *Cooperatores idonei Episcoporum, & Parochorum,* hæc in suis concionibus, & sermonibus ad populum præscripta a Trid. doceant, insistantque in vitiorum turpitudine, virtutumque pulchritudine declaranda, ac in suadendo populis obseruantiam mandatorum Decalogi, omissis quibusdam exaggerationibus quorumdam operum piorum, quibus tandem sit aliquod propositum temporale commodum. Equidem populos etiam Ciuitatum videre est ignaros illorum, quæ necessaria sunt ad salutem, nedum Christianam perfectionem, nescientes seiungere vitia a virtutibus, bonum malum, malum bonum censentes, ac plerosque vitam ducentes, ac si non essent futura perpetuò supplicia, ac præmia: Quæ duo si Concionatores satagerent in auditorum defigere mente, ac memoriam ad id reuocare *Nouissimorum,* breui Christiani populi semet Christianos re ipsa ostenderent; quo nomine haud digni sunt plerique Christianam pessundantes legem, ac frequentissimè moralia Ethnicis quoque nota violantes præcepta. Et sanè cum *Leo X.* sess. 11. Concil. Later. an. 1516. Dec. 19. (extatque Bulla 21. in Bull.) iure optimo asserat init. *Inter magna* ad R.P. *pertinere, vt munus prædicationis, quod in Ecclesia Dei PRAECIPVVM; AC PERNECESSARIVM, magnique fructus, atque vtilitatis*

litatis, dummodò RECTE, ET EX SINCERA CHARITATE erga Deum, & proximum, & exemplis Sanctorum Patrum, qui hæc profitentes cum fidei fundatione, & propagatione plurimū Ecclesiæ contulerunt, quippe quod Redemptor noster primus fecit, & docuit, & eius præcepto, & imitatione duodenus ille Apostolorum numerus, quasi totidem cæli Dei veri gloriam enarrantes per orbem terrarum, vniuersum genus humanum, quod sub peccati iugo vetusta seruitute tenebatur, sensim ab eorum tenebris educentes, & ad perpetuæ salutis lucem excitantes, verbum ipsum in omnem terram & in fines orbis terræ, tum ipsi priùs, tum deinde sui successores longè, latèque propagarunt, altissimèque fundarunt; vt qui nunc tantum subeūt onus, meminisse debeant, creberrimèq. secum reuoluere, præter auctoris ipsius, ac fundatoris I.C. pientissimi Redemptoris, Petri etiam, & Pauli, cæterorumque Apostolorum, & Domini discipulorum se vices, quoad hoc officium, subire, ac sustinere; & postea significet §.1. Prædicatores *nonnisi vtilia concurrenti eorum sermonibus populo ad vitiorum extirpationem, virtutum laudem, animarum denique salutem fidelium, meditanda, & perficienda debere assumere, & tamen nonnullos officij immemores sui in suis sermonibus non ad vtilitatem audientium, sed ad suam potiùs ostētationem laborātes, vanis quorumdā auribus blandiri, qui ad hoc iam deuenisse apparent, vt verificetur dictū Apostoli ad Timotheum ita scribentis,* Erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum auertent, *ad fabulas autem conuertentur*; ac deinde §. iubeat, *vt nullus tam Clericus sæcularis, quam cuiuscumque etiam Mendicantium Ordinis Regularis, aut quiuis alius ad huiusmodi officium exercendum admittatur, nisi prius per Superiorem suum respectiuè diligenter examinatus (in qua re conscientia sui Superioris oneratur) ac morum honestate, doctrina, probitate, prudētia, & vitæ exēplaritate ad illud aptus, & idoneus reperiatur: & hic, quocumq. postea prædicaturus accesserit, de huiusmodi examine, & idoneitate sua per literas authenticas, seu alias sui examinatoris, approbatorisque Episcopis, & alijs locorum Ordinarijs fidem legitimè faciat*; atque Trid. Patr. sess. 5. c. 4. præcipiat pariter, vt Regulares etiam in Ecclesij suorum Ordinum prædicare non possint, *nisi a suis Superioribus de vita, moribus, & scientia examinati, & approbati fuerint*: Pateat verò experientia, hoc sæculo plurimos Prædicatores non *ædificare populos opere*, eorumque vitam potiùs, ac mores fidelium animabus perniciem afferre, ac plerosque non ad vtilitatem audientium, sed ad suam potius *ostentationem* laborare; danda esset a R.P. ne id malum serpat ampliùs, euadatque læthale, opera, & valde sedula. *PRIMO præcipiendo sub* seueris pœnis; tum Episcopis, tum Regularibus Prælatis, vt nullos, etiam cæteroqui aptissimos e scientia, & alijs dotibus, permitterent concionari, seu prædicare, vel sermones, lectionesue sacras ad populum habere, nisi vita, ac moribus præstarent, ac in Monasterijs, priuatisque locis, ac publicis sint alijs exemplo; Etenim *habet, vt obedienter audiatur* (ait *S. Aug.* c. 27. lib. 4. de Doct. Christ.) *quantacumque granditate dictio-*

nis

nis malus vita docentis &c. Abundant qui malæ vitæ suæ defensionem ex ipsis suis præpositis, & doctoribus quærunt, respondentes corde suo, aut etiam ad hoc erumpunt ore suo dicentes, quod mihi præcipis, cur ipse non facis? Ita fit, vt eum non obedienter audiant, qui se ipse non audit, & Dei verbum, quod eis prædicatur, Simul cum ipso prædicatore contemnatur: Subdit, *hunc debere eligere bonam vitam, vt etiam bonam non negligat famam, sed prouidere bona coram Deo, & hominibus* (2. Corinth. 8.) *quantum potest illum timendo, his consulendo:* & subiungit c. 29. illos potiùs *dicere aliena, qui cum dicant bene*, viuunt *male*; imò nec ipsos *dicere bona, quæ dicunt. Quomodo enim dicunt verbis, quod negant factis? non enim frustra de talibus ait Apostolus* (ad Tit. 1.) confitentur se nosse Deum, factis autem negant: *Modo ergo quodam ipsi dicunt, & rursus alio modo ipsi non dicunt, quoniam vtrumque verum est, quod ait Veritas; de talibus enim loquens*, quæ dicunt, *inquit* (Matth. 23.) facite; quæ autem faciũt, nolite facere; *h c est, quod ex ore illorum auditis, facite, quod in opere videtis, facere nolite*, Dicunt enim, *inquit*, & non faciunt: *Ergo quamuis non faciunt, dicunt tamen*. Sed alio loco tales arguens, Hipocritæ, inquit (Matth. 12.) quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali! *Ac per hoc, & ea quæ dicunt*, quando *bona dicunt, non ipsi dicunt, voluntate scilicet, atque opere negando, quod dicunt*, Verumque est, *blasphemari nomen Dei inter Gentes*, & inter Catholicos quoque complures, propter eos, *qui*, vt inquit *Paulus* Rom. 1. c. 2. a v. 21. *alios docent, & se ipsos non docent; qui prædicant non furandum, & furantur; qui dicunt non mæchãdum, & mæchantur; qui abominantur idola, & sacrilegium faciunt; qui in lege gloriantur, & per præuaricationem legis Deum inhonorant*. Huiusmodi ergo Concionatoribus, etiam Regularibus, etiam in Monasterio sui Ordinis prædicantibus expediret, vt daretur facultas interdicendi prædicationem, si Regulares Prælati antea moniti nõ eos ab ea prorsus remouerent, Episcopis, Locorumque Ordinarijs, qualis concessa est eis a Trid. sess. 5. c. 4. non semel allato circa Prædicatores quoslibet *errores, aut scandala disseminantes in populum*; Sic enim & magis cauti forent Prælati Regulares in approbatione Prædicatorum, idoneitatis ex *morum honestate, probitate, vitæ exemplaritate*, siue *vita, & moribus*, vt Concil. Later. Patres cum *Leone X.* & Tridentini iusserunt. *Secundo* Pariter præcipiendo, vt a munere Prædicationis remoueantur prorsus illi, qui ad *ostentationem* conciones, vel sermones habent; vana quædam prosequuntur, argutiasque, vel ineptas, vel concioni non idoneas; toti sunt in amplificationibus Rhetoricis, in rotunda verborum constructione, in suæ vi memoriæ declaranda, in mulcendis denique auditorũ auribus; fructum verò animarum intendere profectò non conspiciuntur, sed solùm inanem gloriam ab imperitis compluribus, qui nesciũt, aliam orationem decere Euangelicum, aliam prophanum Oratorem, aliam in sacris Ædibus, aliam in Rhetorum Scholis, aut Accademijs habendam &c. est enim ipsorum Rhetoricæ Præceptorum cum *Quintil.* lib. 11. c. 1. effatum, *Orationem accommodandam* temporibus, lo-

 cis,

cis, personis &c. & ipsummet Oratorum Principem lib. 1. de Orat. scriptũ reliquisse cõstet, *Quid est tam furiosum, quã verborum, vel optimorũ, atq. ornatissimorum sonitus inanis?* An non vt plurimum talis est Concionatorum, qui licet in Concionis exitu aliquid vtile animabus proferant, nihil vtilitatis reportant inde auditores, quia præterquam illud idem verbis proponunt ornatissimis prioribus simillimis, nullam habent ei fidem, vtpote arbitrantibus eloquiũ illud e corde, seu animo nõ effluere &c. Et tamen hoc sæculo illa quærela S. Hierony. in Eccl. quam maximè iustissima est; *Videas in Ecclesia imperitissimos* (oratoriæ facultatis Christianæ, seu Euangelicæ) *quosque florere* (nam his in præcipuis Ciuitatibus, & præcipuæ Ædes sacræ conceduntur, imò ad eas inuitantur cum copiosissimis etiam stipendijs &c. ab Episcopis, alijsque Magnatibus Ecclesiasticis multo in honore habentur, apud Regulares ipsos singularibus fruuntur prærogatiuis, nedum in victu ipso, ac vestitu, cæteris omnibus longè præferuntur &c.) *& quia nutrierunt frontis audaciam, & volubilitatem linguæ* (insignem impudentiam in tali genere dicendi, & aliorum contemptum, vel etiam irrisionem, qui illud non sectantur Euangelio penitus dissentaneum, acerrimam memoriã, venustum aspectum, aptam pronunciationem &c.) *dum non recogitant, quid loquantur* (nam verba Dei sunt *quasi ignis, & quasi malleus conterens terram* Ier. 23. v. 29. adeoque verba Dei præcones debent amore Dei, & proximorum auditorum animas inflammare, & absumere spinas, vepres, ac stirpes vitiorum, ac conterere corda peccatorum ad pœnitentiam, non plausus tantùm, & risus nunquam excitare &c.) *prudentes se, & eruditos arbitrantur*; cum tamen sint prorsus imprudentissimi, carentes planè *prudentia spiritus, quæ vita est, & pax*, opposita omnino ipsorum *prudentiæ, quæ mors est, & inimica Deo* Rom. 8. v. 67. qui talem concionandi rationem odit acerrimè, vt sæpè per Prophetas declarauit, & Christus præceperit *prædicari Euangelium hominibus, & eos docere seruare quæcumque Apostolis mandauit*, ac suomet, ac Apostolorum exemplo tradiderit, quem finem sibi præscribere, ac media adhibere debeant ij, qui *vices ipsius, & Apostolorum sustinent* in prædicationis officio, vt *Leo X.* habet. Hinc animarum piscatores, qui gloriolam, plausus, largas eleemosynas, lautasq. mensas suarum profectò concionum reportare fructum tandem contendunt? Dicendi potiùs *Pseudoapostoli, operarij subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi* 2. Corinth. 11. v. 13. At hi licet eruditi sint prophana prorsus eruditione, ac versati in quibusdam libris, qui vel nec attingendi essent a sacro Oratore, vel qui suggerunt tantummodo argutias quasdam, quæ sepe sunt *Stultæ, falsæ, communes, leues, ineptæ*, ac tandem, si examinentur, similes Sodomiticis pomis &c. destitutique sacra eruditione, non versati in sacra Scriptura, Sanctorumque Patrum libris, ac ex his texere conciones detrectant, eas potiùs texentes e recentiorum libris, voluntque potiùs vestigijs insistere nonnullorum, quorum sermo haud Euangelico concionatori est consentaneus, quam *S. Basilij*, & *S. Chrysostomi* (qui meritissimò

tiſſimò prædicatorum idæa proponitur) *S. Auguſtini*, ac ſimilium Patrum, ſeu Græcorum, ſeu Latinorum, qui ſummis laudibus efferuntur in ſacra apud populum eloquentia ;] *FIT*, vt ſtultè prorſus ſe *prudentes, & eruditos arbitrentur*. *S I* frequens lectio ſacrorum librorum apud eos, qui concionandi officio funguntur, foret, ac meditarentur ibi a Deo verè dictata, ac peculiariter *Pauli* Epiſtolas, in quibus identidem declarat, qualis fuerit ipſius ſermo ad Chriſtianos ; non dubitandum, quin Apoſtolicum ſanè ſpiritum aſſumerent, & e ſincera charitate erga Deum , & proximum hoc munus obirent ; indeque verborum Dei virtutem experirentur populi, quorum qualitatem explicat *S. Hieron.* lib.4. in Ierem. *Meus ſermo nunciat futura ſupplicia, vt deterreat homines à peccando, & paleis peccatorũ comminatur incendium, vt corda dura, & inſtar ſilicis indomabilia ſermonis ſui malleo conterantur , auferens cor lapideñ, vt ponat pro eo cor carneum, molle videlicet, eo quod poſſit Dei ſuſcipere , & ſeruare mandata*. *S I* enimuerò præterea ſacri Oratores eſſent Deo familiares in Oratione , haud orationis floſculos iuuenilibus animis, ac ſenſibus gratos populo proponerent ; ſed doctum, eloquens, ac ſerium prorſus dicendi genus, ſe Diuino conformantes iuſſo, proſequerentur ; & tamen illud tanquam præcipuum commendat in Euangelico Doctore *S. Aug.* lib.4. de Doct. Chriſt. c.15. *Agat, quantum poteſt, cum iſta dicit, vt intelligenter, vt libenter, vt obedienter audiatur ; & hæc ſi poſſe ſi potuerit, & in quantum potuerit, PIETATE MAGIS ORATIONVM , quam Oratorum facultate non dubitet , vt ORANDO pro ſe, ac pro illis, quos eſt allocuturus, ſit Orator, antequam dictor ; ipſa hora iam vt dicat accedens, priuſquam exerat proferentem linguam, ad Deum leuet animam ſitientem , vt eructet quod biberit , vel quod impleuerit fundat :* Adeoque non eſſet communis modò apud pios, prudentes, ac honoris Dei cupidos illa Ieremiæ 17. v.15. quærela , *Vbi eſt Verbum Domini ?* Loco eius vt plurimum, & quaſi vbique, in Italia maximè, repoſitum eſt Verbum hominum, ſeu humanum ex impuris prophanæ Rhetoricę fontibus dimanans: Nec cũ *Leone X.* illa *Pauli* 2.Tim.4.v.3. quod homines ſanam, ſeu Euangelicã, *doctrinam non ſuſtinẽtes coaceruent ſibi magiſtros, qui ipſos a veritate auertant, & ad fabulas conuertant* : ſunt autem fabulæ in ſacro Oratore, quæ non ſunt Verbum Dei efficax ad ſuadendas auditoribus Euangelicas veritates, ac virtutes &c. Defleuit quondam *S. Hieron.* Præfat. in Epiſt. ad Gal. illorum in Eccleſia ſtrepitum, qui fiebant populo, *quaſi tuba, & cythara ſuaue ſonans* : Acerbius defleret modò, ſi in pleriſque Eccleſiјs, ac Italiæ nominatim, in qua eſt Apoſtolica Sedes, Petri Cathedra , ac illius ſucceſſor , Religionis ſupremus Antiſtes , audiri intelligeret ſolum *tubas* , *& cytharas ſuaue ſonantes* : Nulluſne ex proceribus Eccleſiæ hanc, in quam incidit Eccleſia calamitatem , animaduertit , eamque propulſare ſtudet ? Quin etiam complures vanos hoſce Oratores , qui prophani certè , non ſacri, fouent ? Prudentiſſimè quidem animaduertens *P. Claud. Aquau.* Præpoſitus V. Generalis nobiliſſimæ S.I. in litt. ad Super. Soc. ann.1581. Ian.28. iſtis,

Ministerium Concionatoris tanti in Ecclesia Dei faciendum esse, quanti ipsa reformatio morum, & peccatorum, atque vitiorum in populo Christiano extirpatio, subiunxit; *Itaque semper maximum Dei beneficium duxi, cum eos diuini verbi seminatores mittit, qui loquuntur ad cor; Et contra MAXIMVM omninò FLAGELLVM, cum eos venire permittit, qui fiunt populo* (affert S.Hieron. vt supra) *quasi tuba, & cythara suaue sonans; qui profectò adulterant potiùs verbum Dei, neque ea annuntiant, quæ aut ad pœnitentiam prouocare, aut Christum in cordibus audientium formare queunt.* Cum autem priùs init. n. 17. dixisset, *Moneo toto cordis affectu, vt in concionando antiquus ille, germanusque Societatis modus, & seruetur diligenter, & sicubi degenerauerit, sedulò instauretur; ne peregrini quidam modi, atque a nostro fine, institutoque alieni introducantur; dum incipiunt iuniores imperitæ plebis aures mulcere &c.* num. 18. sic orditur; *Et quoniam non possum verè de ea re sine magno animi dolore cogitare, nec ignoro, quid a me Ecclesia Christi suo iure exigat; si quæ sunt in Societate vires ad eam iuuandam, cupio vehementer R. R. Vestræ id intelligant, & opere exequantur; Qui in concionandi munere ad Societatis institutum, vt videlicet in spiritu, & fructuosè faciant, se se componere, aut negligant, aut nesciant, eos scilicet ad id munus talentum nactos non esse, quamuis in vulgus fortaße laudentur, ac suspiciantur; quamuis etiam eos ingens auditorum numerus sectetur. Quare eos in aliquo Societatis ministerio, vel legendi, vel alio quouis occupandos eße &c.* Cum igitur *MAXIMO OMNINO ECCLESIA* vexetur iam flagello, cum Deus plerosque venire permiserit, qui populorum aures mulcent, nec ad cor loquuntur, neq. annuntiant ea, quæ aut ad pœnitentiam prouocare, & Christum in cordibus audientium formare queunt, & hoc sæculo maximè; istud auertere nonne potissimum spectat ad Ecclesiæ totius Sponsum, ac Præsidem? Scripsit iam *S.Greg.* l.8. c.4. in Reg. *Summi Pontifices non solum subditorum facta discutiunt, sed etiam doctrinam Prælatorum. Istos explorant si benè agant; illos autem, an rectè doceant.* Cum ergo Concionatores maximè Regulares *Coadiutores sint Prælatorum in officio Prædicationis* (quod paucissimi ex ipsis enimuerò exercent) & illorum doctrina non sit *recta*, siue conformis muneri, quod sustinent, sed potiùs prophano Oratori, & quandoque histrioni, & sint verè adulterantes verbum Dei; An non hi a R.P. repellendi prorsus ab Ecclesijs, etiam tanquã inepti ad Apostolicũ hoc munus? Id sit loco predicationis, quã ipse non exercet. Quinam verò admouere cæperint Ecclesiæ huiusmodi flagellum, haud explicare est necesse. Certè prisci Patres Societ. Iesu non fuerunt. Modò quidem vulgaris distinctio est in ratione concionandi, vt alia sit Capucinorum, Reformatorum, ac similium, qui vestitu ipso ad pœnitentiam prouocant; alia aliorum, & quorumdam præcipuè; e quibus etiãsi nonnulli non mulceant auditorũ aures, sed ad lacrymas, ad pœnitentiam, ad morum emendationem Verbo Dei, & SS. Patrum dictis excitent, ac præsertim si mores quoque dictioni sint consentanei, dicuntur concionari more Capucinorum, Reformatorum &c.

&c. ac etiam esse re ipsa Capucini, Reformati &c. quamuis valde discrepanti ab illis Regulari habitu induti sint. Mentiretur profectò, qui plerosque Concionatores vices Christi in hoc munere sustinentes, eius socios, vel imitatores diceret; nam hoc nomine digni, vt reapse existimentur; instar Christi curantis infirmitatem mulieris, quæ decē, & octo annis opera dæmonis infirmitatem cōtraxerat, *manibus*, hoc est, *exemplo*, *non verbis tantum homines curare debent*, vt obseruat *Mald.* ad v.13.Luc.13. cæpitque *priùs facere*, ac *deinde docere* init. Act. *Non plausum, vel frequentiam auditorum quærere debent* instar Christi, qui noluit reuerti Caparnaum, vbi libēter audiebatur, sed ire in proximos vicos, & Ciuitates, quòd ibi incolarum necessitas suam requireret præsentiam, vt idem Mald. ad c.1. Marci v.37. *captui auditorum semet accommodare, non quorumdam sciolorum, sed populorum intelligentiæ*, instar Christi cum Samaritana loquentis; ac præponere cibum, & potum, multòque magis alia conuersioni peccatorum, vt idem Christus ibi, sicuti animaduertit etiam Mald. ad v.27. & 34. Ioan. qui & ad fin. cap.3. Luc. ait Concionatores instar Ioannis Bapt. *Non debere pati se supra sua merita honorari, aut laudibus efferri, sed nimiā de se opinionē premere, laudemque, & honorem a se in Christum declinare*. Quæ non efficiunt Cytharedi, vanique Concionatores.

CVII. Singularem peritiam Sacræ Scripturæ, tum in hac prima concione, tum in subsequentibus ostendit S. Petrus, quam illi quidem impertijt tum Christus Luc. 24. v.45. tum Diuinus spiritus, quo *repletus cum reliquis Apostolis fuit hoc die Pentecostes, cæpitque loqui vnà cum illis varijs linguis, prout spiritus dabat eloqui*, vt habetur init. huius cap. Cum huiusmodi donum non habeat R. P. & Scripturarum intelligentia videatur omninò requiri in quolibet Episcopo, cum debeat esse *Doctor* 1. Timoth.3.v.2. *& potens exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt arguere*, Tit.c.1.v.9. ac debeat *loqui, quæ decent sanam doctrinam* c.2. init. vnde & officium, quod Episcopis imponitur, est prædicare; *materia autem prædicationis*, vt sapienter ait Caiet. in fin. ar.3. q.185.2.2. *non est ius Canonicum, sed Euangelium, dicente Domino*, Prædicate Euangelium; *sub quo Sacra Scriptura comprehenditur, quæ est verè, & propriè scientia Theologiæ*; ac 7. Syn. Gener. iubeat in Episcopo ordinando *inquiri diligenter* a Metropolitano d.38.c.6. an sciat *sanctum Euangelium, diuini Apostoli librum, & omnem diuinam scripturam, & nouerit docere populum sibi commissum*; *substantia enim summa sacerdotij nostri* (subdunt Patres illius Conc.) *sunt eloquia diuina, idest vera diuinarum scripturarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius* c.1. de Cæl. Hier. An non magis in Episcoporum Episcopo illa requiritur, qui & debet confirmare in fide omnes fideles, ac præ cæteris Episcopos, qui sunt sui *fratres*, & ad quem fidei quæstiones solent referri, quin etiam referendæ sunt omnino ex *Innoc. III.* ad Arelat. Arch. C. *Maiores* de Bapt.? In hac verò intelligentia præcelluisse antiquos Pontifices patet ex eorum Epistolis, ac Decretalibus, quæ in tomis Concilio-

rum extant. Non solùm verò attenditur in electione R.P. (vt de Episcopis sileatur) an talis adsit sacræ Scripturæ notitia, vt ex ea possit in vera fide confirmare fideles, & eos, qui contradicunt, arguere; verum nec electus R. P. in eam acquirendam solet incumbere alijs detentus occupationibus, & vtinã non quandoq. aliarum artium, siue scientiarũ studio. Conquestus est centum ab hinc annis *Melchior Canus Theologus* ab ipsomet *Card.Pal.*c. 28.lib.Vind.pag.232.*Dictus euoluti sæculi pereruditus, doctrina pariter, atque ingenio præstans, fama magnus, re maior*, in aureo *de locis Theologicis* volumine c.9.lib.9. Se vidisse *in Italia* (in qua est Religionis, ac Fidei Catholicæ, vt inquit *Felic.* in Not. 58. in Introd. eiusdem *Pal.* Hist. principatus) *multos, qui scriptura sacra neglecta ad Philosophorum doctrinas, tanquam ad Syrenum scopulos, adhærebant, postque GALEROS ETIAM, ET INFVLAS, non Prophetas, non Apostolos, non Euangelistas, sed Cicerones, Platones, Aristoteles personabant*; adeoque apud illos *neglectus iacebat cælestis sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus*, vt aiunt Patres Trid.Conc. sess.5. c.1. de Ref. *summa liberalitate hominibus tradidit*. Iustior querela foret, si hic neglectus iaceret apud R.P. & personarent Philosophos, Oratores, Poetas, Grammaticos Latinæ, ac Hetruscæ Idiomatis &c. An non primaria lectio R.P. versari deberet in lectione Quatuor Euangeliorum, quæ narrant facta, & dicta Christi Domini, cuius est Vicarius, & quem imitari præ cæteris tenetur, & reliquorum sacrorum codicum, quorum scriptoribus ne vlla prorsus in re laberentur, peculiari directione, ac illapsu aderat Deus, cuius ipse in terris vicem gerit, ac iuxta Dei, & Christi præcepta oues sibi commissas regere tenetur? Non prætereunda esset vlla dies, quin duas fermè horas insumeret R.P. in sacrorum Voluminе lectione adhibito interprete docto, & pio in locis quibusdã obscuris. Patet ex *Innoc.III.* (vt sileatur de *Leone I.* & *Greg. I.* vtroque *Magno* &c.) in serm.suis, in libris quinque *de Mysterijs Missæ*, libris tribus de *Contemptu Mundi*, & præcipuè ex *Commentarijs in septem Psalmos Pœnitentiales*, quam assiduè versaret vtriusque testamenti libros; Cuius illa essent a R.P. perpendenda initio Proemij Comm. in 7. Psal. Pœnit. verba. *Ne inter occupationes multiplices, & solicitudines vehementes, quas non solum ex cura regiminis, verùm etiam ex malitia temporis patior vltra vires* (præterquam enim Saraceni Hispaniam inuaserant, Albigensium hæresis enata multas infecerat Prouincias, ac primores etiam quosdam, *Oto V.* occupauerat partem patrimonij S. Petri, auxilium erat ferendum Christianis contra Saracenos pugnantibus in Syria &c.) *quasi totus absorbear a profundo; LIBENTER ALIQVAS HORVLAS MIHI FVROR, quibus ad reuocandum, & reducendum spiritum ad se ipsum, ne a se ipso diuidatur, & alienetur omnino, & in lege domini aliquid meditetur, quod ad hoc ipso proficiat inspirante, cuius spiritus, vbi vult, spirat; ne semper sic sim traditus alijs, vt nunquam restituar ipse mihi &c.* Possent sanè R. P. si vellent furari aliquot horulas Vniuersalibus occupationibus, easque impendere in euoluendis Diuinis

Volu-

Voluminibus, ac etiam in ijs exponendis, vt *Innoc.* in duodecimo sæculo præstitit: At non nisi a pijssimis, ac doctissimis in sacra pagina electis R. P. id expectari potest.

CVIII. *Qui receperunt sermonem* hunc Petri primum, *baptizati sunt*, & appositæ sunt in die *illa animæ circiter tria millia* v. 41. Vtinam multorum spatio annorum multi Pontifices opera sua tot infidelium, vel hæreticorum animas Christianæ, & Catholicæ Ecclesiæ aggregent, vel tot Catholicos peccatores Christo concilient; & si non opera, saltem exemplo illustrium, & pietatis in Deum, & charitatis in proximum actionibus; nam hoc est *velut perpetuum quoddam prædicandi genus*, vt sapienter aiunt Patres Trid. Conc. sess. 25. c. 1. imò *primus Christi ouium pastus* ex *Innoc. III.* ser. 2. in Cons. Sum. Pont. quam prædicationem, quē pastum nemo penitus subterfugere potest R. P. Cur non similis saltem sit Noe, *qui etsi tacebat voce, opera loquebatur* (ait *S. Aug.* ser. 69. de tempore) *silebat lingua, fabricatione loquebatur &c.*

Act. 3. a vers. 1.

CIX. CORam populo, & in templis non rarò orandus est a R.P. Deus, instar *Petri, & Ioannis in templum ad horam orationis nonam ascendentium*. Quod maximè præstandum in publicis Ecclesiæ necessitatibus, vt imminente bello, vel pugna cum infidelibus, pestilentia ferè vniuersali, hæresiarcha multos inficiente populos &c. vel cum aliqua etiam calamitas B. Petri patrimonij subditos, & maximè Romanum populum vexaret. Nec grauatè ferat pedibus iter conficere, pro Grege suo Deo, & Christo supplicaturus, cum aliqui R.P. etiam excalceati viam, nec breuem, confecerint quandoque. Ad Pontificia munera inepti sunt delicatuli quidam homines, qui potiùs ad fœminas reuocandi. Nulla, nisi prorsus constet esse noxia valde, spectantia ad Pastorale munus omittat R. P. nec facilem in hoc det aurem Consanguineis, vel Aulicis, vel etiā Medicis, qui ab alijs impulsi multa dissuadere queunt, tanquam valetudini ipsius non mediocriter officientia, quæ non rarò experientia docere ipsum potuit amplificata fuisse. Non equidem tentandus est Deus, dum manifestum, vel ferè manifestum immineret periculum lethalis, vel grauis morbi, multòque minùs mortis: At simul quoque non adeò abiectum, ac fœmineum prorsus animum præferre debet R.P. vt ob timorem etiam probabilem suæ non omninò integræ sanitatis abstineat a functionibus maximè primarijs Officij Pastoralis. Si summopere in suam propensus erat sanitatem, haud suscipienda illi erat Dominici totius Gregis cura, quam nouerat præter animi solicitudinem habere annexas corporis molestias, defatigationes, laboresque plurimos; qui tamen nunquam erunt, quot S. Petrus, S. Paulus præ cæteris,

vt constat ex illius Epistolis sæpissimè, sustinuerunt in Euangelij prædicatione, ac Ecclesiarum regimine. Profectò si liceret eò quòd quidquam noxium foret sanitati, quæ ad suum spectant munus, omittere; quidni grauia quælibet omittenda, ac præsertim minùs sensitiuo appetitui consentanea, vtpote incolumitati noxia? Ille R. P. enimuerò semet paratum ostenderet pro grege a Christo sibi demandato dare animam suam, qui contra iam a se decretum, Curialibusque multis notum, renueret concedere ad Templum fusurus ad Deum preces, vt quamdam a Christiano populo auerteret calamitatem, vel pro illo singulare aliquod beneficium impetraret, vel vt gratias Deo ageret pro eo iam obtento &c. quòd ventus spirare cœpisset ipsius capiti paululum infestus, vel excitatæ nubes eo die pluuiam præsagientes &c. vel detrectaret Principum Oratores audire iuxta consuetum morem, quòd leuissimo prorsus vel capitis, vel alterius membri dolore afficeretur; vel omitteret publicis, vsitatisque in Pontificio Sacello Missis, Officijsque Diuinis interesse, quod suæ sanitati magis consultum iudicaret, animum extra Vrbem etiam relaxare &c. Speret sibi vires R.P. suppeditandas a Deo, & Christo, quorum certè vices tunc gerit, cum Pontificia obit munera; atque si interdum propter hæc, potissimè si non temerè suscepta, infirmitatem contrahat etiam læthalem, gaudio exiliat, quòd quasi loco martyrij, quod tot R. P. alacriter subierant, hæc mors futura sit sibi, & quòd breui suorum mercedem laborum sit recepturus, ac Dei, Christique sui conspectu fruiturus perpetuo, cunctis tandem liber animi curis, corporisque molestijs, sine vlla prorsus corporis lassitudine, aut sanitatis detrimento, omni iucunditatum genere refertus, pro successore Pontifice, vniuersaque militante Ecclesia, cui ipsi tunc vt Dux præsidet, Deum, Christumque vehementissimè rogaturus.

CX. Egregiè prorsus lib. 2. de Consid. *S. Bern.* ad *Eug.* post ista, *Quidni loceris in eminenti, vnde prospectes vniuersa, qui speculator super omnia constitueris? Quando libet gloriari, vbi otiari non licet? Nec locus est otio, vbi sedula viget solicitudo omnium Ecclesiarum*; subiungit: *Nam quid tibi aliud dimisit sanctus Apostolus? Act. 3. Quod habeo, inquit, hoc tibi do. Quod illud? Vnum scio, non est aurum, neque argentum, cum ipse dicat, Argentum, & Aurum non est mihi.* Petrus quidem non habens aurum, & argentum consolidauit bases, & plantas claudi ex vtero matris suæ v. 2. 8. ita vt statim exilierit, & ambulauerit v. 9. Hinc *S. Amb.* in Ps. 118. v. 37. *Portio mea Dominus*, inquit, *Cui portio est Deus, totius naturæ possessor est effectus, videlicet totus quidam cum Domino.* Declarat id exemplo S. Petri; qui *quia relictis omnibus secutus est Dominum, ipse quoque naturæ dominus esse meruit; nam claudo petenti eleemosynam dixit, Quod habeo, tibi do, In nomine Iesu surge. Ecce Petrus sub Christi nomine quasi vnus Chrristus, & ideo omnium Dominus factus est, qui naturæ damna reparabat; Quomodo ergo poterat naturæ damna sentire?* Nec minus acutè, quam ingenuè (sic se legisse apud auctores graues refert

Cor-

Cornelius a Lapide insignis hoc sæculo e Soc. Iesu sacrarum interpres litterarum) *S.Thomas Aquinas*, cum ad *Innoc. IV.* venisset, coram quo fortè magna vis auri signati numerabatur, & ei Pontifex dixisset; *Videsne Thoma, Ecclesiam non ampliùs sicut olim, cùm primùm inciperet, dicere posse, argentum, & aurum non habeo*, modestè respondisse; *Fatendum hoc est Pater sancte; sed etiam Ecclesia modò non potest, sicut primitiua, ad claudum dicere: Surge, & ambula sanus esto*. Esse tamen Ecclesiæ licitam pecuniæ, & prædiorum possessionem, definierunt contra Vviclef ar.11. e 41. damnatis, qui eiusmodi erat; *Contra Scripturam Sacram est, quod viri Ecclesiastici habeant possessiones*, Patres Concil. Constant. sess. 8. qui & damnauerunt 32. *Ditare Clerum, est contra Regulam Christi:* At licet hæc non sint contra Scripturam sacram, nec contra Regulam Christi; sunt tamen præter vtramque; Etenim non necessariò, ac ex iure diuino competit Ecclesijs, aut Ecclesiasticis habere possessiones, ditari amplis stabilibus bonis, aut etiam pecuniæ, aut cuiusue rei terrenæ esse dominos, præter necessariorum, & congruorum cuiuslibet victui, vestituique 1. Timoth.c.6. v.8. ad hæc enim habent ius ex iure diuino, ac naturali Ecclesiarum ministri, quique spiritualia ministrant populis, vt apertè habetur 1.Corinth.9.a v.4. vbi indicat consilij esse, si hæc non quærant, sed velint potiùs laborare manibus, vt victum, vestitumq. sibi suppeditent, vt inter alios egit ipse Paulus 1.Corinth.4. vers.12. *qui nocte, & die operabatur, ne quemquam grauaret* 2. Thessal.3.v.8.imò non solum *ad ea, quæ sibi opus erant, sed & his, qui secum erant, manibus suis ministrauit* Act.20.v.14.*scenofactoriam artem*, hoc est tentoriorum, seu tabernaculorum peculiariter *exercens* Act.18. v.3. Equidem non minùs essentialiter perfecta fuit Ecclesia sub S. Petro, multisque illius successoribus carens stabilibus bonis, & habens necessaria Ecclesiarum ministerio, Ecclesiasticorumque ministrorum alimentis, quam cum cæpit sub Constantino potissimiè diuitijs etiam abundare, ac posteriores Pontifices cęperunt manibus tractare aurum, & argentum, illudque in arcis repositum habere, vel illud impendere. Maioribus certè miraculis Ecclesia prioribus floruit sæculis, quam deinceps; & ab vndecimo saltem sæculo post Comitissæ Mathildis obitum an.1115. paucissimi possunt numerari R.P. veris illustres miraculis: Quod indicat quidem, hanc temporalium possessionem non obstare tandem, quò minùs hac miraculorum gloria quoque fulserint R. P. Sanctissimi, qui Ecclesiasticos reditus, quamuis amplissimos, in opera pia, iuxta Dei, & Christi voluntatem, in quorum obsequium illos fideles populi, ac Principes contulere, impenderunt. Cum tamen auaritia sit penitus humanæ insita naturæ, nec *Cupiditati sit vnquam satietas, ac finis* d.47.cap.8. ac tunc augeatur etiam anxietas, & solicitudo, cum maximè quis abundat bonis, vt obseruant *S.Basil.*Hom.in Luc.12. v.17. *S.Chrysost.* in Ps.143. & *S.Greg.* lib.15. Moral. c.2. e verbis Euangelici huius diuitis apud Luc. *FACTVM EST*, vt plurimos sanè R. P. *curæ temporalis vinum inebriauerit, mentisque oculos turbauerit*, vt ait

idem *S.Greg.* in c. 1.Cant. addens,*eam apostatare etiam sapientes facere*; adeoque ad inuisibilia cognoscenda, aut ex toto, aut pene insensibiles reddiderit; siue auertens a perpendendis officij Pastoralis obligationibus, aut ex toto, aut e maxima parte ab Ecclesiastica solicitudine, cuius tantum hæredes S.Petrus R.P. reliquit,eos remouerit; & vtinam sicuti *Rex Aegyptiorum augeri iubebat numerum laterum,& cætera onera Iudæorum*,vt obseruat *S.Ambros.* in v.11. Ps.45. *ne cultui sacro vacarent*, ita Diabolus (sic aliqui inquiunt) curauerit, vt Ecclesiastici, ac præ cæteris R.P. vberrimos assequerentur reditus: *TVM ne ipsi cultui vacarent diuino*,non intenti commodis Dominici Gregis spiritualibus, sed potius suis, vel suorum,vel augmento in dies temporalis patrimonij S.Petri (tale dicitur, quòd illa bona dicata sint ab eorum largitoribus S.Petro, vt R.P. vbi alimenta inde sibi sumpserint, eorum fructus insumant ea ratione, qua S. Petrus ea insumeret, cum eorum non sit Dominus,sed dispensator) & sic animarum cura negligeretur omnino, aut oscitanter obiretur: *TVM vt non solum de altari viuerent* 1. Cor. 9. v.13.14.*& haberent alimenta*,& quibus tegerentur 1.Timoth.6. v.8. verùm etiam, vt inde *superbirent, luxuriarentur*, de his Ecclesiæ bonis *ampla palatia fabricarent* (inquit *S.Bern.* in Declam. Ecce nos &c.) *mutantes quadrata rotundis,loculos congregarent,in vanitate, ac superfluitate dispergerent, extollerent* de bonis Ecclesiæ *consanguineos suos, aut neptes* (ne filias dixerim, verba sunt *S. Bern.* loquentis vniuersim de Clericis) *nuptui traderent; haberent delicias, irritamenta gulæ, aut incentiua libidinis*; & sic cum diuite apud Luc.16. qui induebatur purpura, & bysso, qui solùm tamen ex charitate tenebatur Lazarum alere, *sepeliantur in inferno,& crucientur* v.22.25.R.P. hæc agentes acerbius præ cæteris: adeoque comprobētur illa,quæ ibi Timotheo subiungit Apostolus,*qui volunt diuites fieri* (ac etiam ditiores)*incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & PERDITIONEM*. Sit hic quorumdam sensus, qui contendere videntur tandem, vt R.P. alijsque animarum Pastoribus tantùm concederentur necessaria victui, ac vestitui cōgruo vnicuique. Sanior tamen profectò, ne dum opportunior,est illorum sensus, qui valde rationi conuentaneum esse censent, vt præter hæc concedantur animarum Pastoribus nominatim alia bona; Cum enim teneantur Episcopi pascere oues temporali etiam subsidio, vt n. 91. significatum est ex antiquiorum quoque Patrum quorumdam doctrina, idque supponāt Canones Apostolici 41. (reponitur hic 12.q.1.c.*Præcipimus*) & 58. nec non e S.Th.22. q.185. ar.3. ad 5. status Episcopalis *ex perfectione,quam habet*,alios gubernet,non solùm ministrando spiritualia, sed & temporalia (sic enim & Christus turbas se sequentes non verbo tantum docebat,sed corporalibus quoq. alimentis reficiebat)non possent Episcopi,nisi haberent multa præter necessaria ad sustentationem suam, sic pascere oues sibi commissas; At cum vniuersus Grex Dominicus sit pariter hac ratione pascendus a R. P. iustissimum est, vt

amplas

amplas facultates ad id habeat. Quia tamen plurimi abutuntur hisce bonis in pascendis se ipsis lautissimè, suis splendidè Consanguineis, & Affinibus, vel alijs amicis &c. prodigè, vanis &c. cum iniquum foret bona, quæ modò legitimè possident R.P. illis auferre, viri Religiosissimi, ac amantissimi honoris veri, & ante omnia, salutis æternæ R.P. existimant, saluberrimum fore, vt præter certam summam, in hoc decretum conspirarent vniuersim Prælati, ac Principes supremi, & præ cæteris inter hos quoque Primores, vt de temporalibus non liceret R.P. disponere, nisi de consilio, siue assensu vnanimi, vel saltem maioris partis Cardinalium: Quod tamen Metaphysicum, vt fertur, videtur desiderium; nam Prælati paucissimi consentirent, facilè existimantibus alijs, quod simile statutum contra ipsos conderetur, ita vt inconsultis Canonicis Cathedralibus non possent ipsi reditus Episcopales expendere, & facillimè exurgerent Doctores etiam Theologi, qui assererent, & probare niterentur, eiusmodi decretum condi non posse, vtpote coarctans potestatem amplissimam a Christo concessam R. P. indeque schisma &c. Quamobrem a pijssimis hominibus deplorandum est, ad *hunc statum fuisse deuentum*, quemadmodum ait *Franc. Vict.* e Dominicana familia Theologus verè insignis, ac Theologiæ fundator in Hispania loquens de abusu Pontificiarum dispensationum, *Vbi nec mala nostra, nec remedia pati possumus*, subdens, *Da mihi Clementes, Linos, Syluestros, & omnia permittam arbitrio eorum; sed vt nihil dicatur grauius in recentiores Pontifices, certè multis partibus sunt priscis illis inferiores*. Fatendum oppidò, in auro, argento, & alijs bonis, quæ a multis sæculis possident R.P. non successisse Petro, sed Constantino, alijs Regibus, ac Principibus, qui ea A.E. elargiti sunt; sed posse R.P. vt quidam prælliterunt, præ Petro in hoc maius meritum coram Deo adipisci, quòd penitus remoti ab eorum cupiditate, quæ actu obtinent, in opera excellentissimæ charitatis illa insumpserint; imò etiam hinc omnes R. P. posse iure meritò vsurpare voces Petri, *Argentum, & aurum non est mihi*, si affectu in illa non ferantur, & sint parati ea effectu etiam dimittere, si vna pascere non possint oues Christi cibis spiritualibus; hi enim pastus præferendi proculdubio temporali pastui: De qua re etiam n.12.46.48. *At cauendum quidem; TVM a Cardinalibus in R.P. electione*, ne attendatur potissimè, quod electus potiùs sit *politicus*, quam solidè spiritualis, *ampliori polleat scientia de temporalibus*, quam de spiritualibus; nam licet *illa circa curam temporalium sit opportuna, ISTA tamen circa spiritualium administrationem est potissimùm necessaria*, vt ait *Innoc. III.* C. Nisi de Renunc. *TVM* ab electo R.P. 1. *Ne spiritualium curam, quæ est primaria, omittat propter temporalia*; Vnde idem *Innoc.* in Proem. Sermonum suorum ait, *ne pro solicitudine temporalium, quæ temporis exigente malitia valde me grauant* (non vltrò, sed coactus curam temporalium susceepit, & tanquam onus habuit *Innoc.* & graue) *curam spiritualium omnino negligerem, quæ mihi propter Apostolicæ SERVITVTIS officium MAGIS incumbit &c.* maximè cum, vt ait *Grat.* d.39.

hæc temporalium curà eò tendat, *vt Ecclesiæ seruiẽtur indemnes, & cuique necessaria pro suo modo ministrentur*; quæ etiam maxima e parte saltem potest alijs committi: Multoque minùs, ne finat in se *suffocari verbum Dei* iubentis, se oues Christi pascere pastu spirituali, *a solicitudine, & fallacia diuitiarum* Matth. 13. v. 22. Diuitiæ siquidem præsertim natæ sunt perfectionem charitatis, quæ summa debet esse in R. P. impedire; dum enim *bonum desiderium ad cor intrare non sinunt, quasi auditum flatus vitalis vetant*, vt ait *S. Greg.* Hom. 15. in Euang. & hinc fiet, vt in terrenis rebus fortis sit, in cælestibus, debilis, vt d. 47. cap. 3. ex eodem *S. Greg.* lib. 25. Moral. siue pro temporalibus bonis E. R. solicitè inuigilet, pro spiritualibus Christianæ Reipublicæ commodis quasi dormiat. 2. *Ne Maiestatem, Dignitatemque Pontificiam reponat in terrenis rebus*, sumptuosis palatijs, eorum apparatu magnifico, aulicorum corona, vasis argenteis, ac aureis, ornatu vrbis, facultate eligendi Cardinales, Episcopósque, distribuendi tot beneficia &c. sed in actionibus heroicis Euãgelicarum virtutum, ita vt omnes desiderent propter has eum videre, sicuti dicitur Reg. 3. c. 10. v. 23. *Vniuersa terra desideraſſe vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius*, & cap. 4. in fine legitur, *& veniebant de cunctis populis ad audiendam sapientiam Salamonis, & ab vniuersis Regibus terræ, qui audiebant sapientiam eius*; inter quos fuit *Regina Saba*; neque enim eos alliciebat diuitiarum fama, licet ijs superaret omnes reges terræ c. 10. v. 23. & ipsemet Christus Matth. 12. affirmet, *Reginam Saba a finibus terræ venisse, vt audiret sapientiam Salomonis* v. 42. Quamobrem tribuant sibi ipsis potissimè R. P. quod non in eo habeantur honore a Principibus, in quo habiti sunt prisci; ac sibi accommodent meritò responsionem *S. Ambr.* ep. 6. ad *Ireneum* cõquerentem, quòd minùs Episcopi tunc æstimarentur, quàm priùs. *Quomodo enim potest obseruari a populo* (a Principibus) *qui nihil habet secretum a populo* (a Principibus) *dispar a multitudine? Quid enim in te miretur, si sua in te recognoscat; si nihil in te aspiciat, quòd vltra te inueniat; si quæ in se erubescit, in te, quem reuerendum arbitratur, offendat?* ac deinde illum cum sic alloquatur, *superegrediamur itaque plebeias opiniones, & strata quædam gregalis conuersationis, ac detritæ viæ orbitas declinemus; quæramus nobis viam inuiam operibus imperitorum, quam nullus deterat maculosus*; quidni hæc hortatio sibi adhibenda a R. P. Qui sanè memor esse debet sibi præ cæteris a fidelibus cunctis, *nihil in se* (*S. Ambr.* ait *in Sacerdotibus*, ergo multò magis in Summo planè Sacerdote) *plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum studio, atque vsu, atque moribus multitudinis*; adde, *etiam multitudinis Episcoporum*; Cum enim R. P. vt ait *Bern.* lib. 2. de Consid. *Sit Sacerdos magnus, Summus Pontifex, Princeps Episcoporum, Hæres Apostolorum*, ac in primis S. Petri, & Pauli, sublimioribus debet esse virtutibus præ omnibus Episcopis præditus, & planè Apostolicis, maximè cum ipse appelletur quoque *Dominus Apostolicus*, & Romana Sedes *Apostolica Sedes* ab omnibus nuncupetur; adeoque illius actiones debent esse actionibus Petri, & Pauli, qui

certè homines fuerunt, vt ipse, non simul Deus, vt Christus, perquam similes; Nam iuxta Philosophum quoque 3. Polit. c. 3. non videtur *iustum, vt cuius virtus non sit maior aliorum omnium virtute, in alios omnes dominatum*, seu iurisdictionem, *habeat*. Si talis non erat, dum electus est R.P. errantibus Cardinalibus, vtpote deceptis ab hypocrita homine sagacissimo (quod ipsorum cæteroqui crimen eleuare potest &c.) vel negligentibus inquisitionem virtutum eligendi, aut etiam consultò in longè minùs dignum conspirantibus e priuatis passionibus; in illo gradu iam constitutus, enitatur studiosissimè cunctis in virtutibus precellere Ecclesiasticis, ne dum laicis; ostendatque præsertim, se licet *possideat argentum, & aurum, aliaque bona complura, nihil tamen habere, esse egentem, multos autem*, imò innumeros, *locupletãtem, vt Dei ministrũ* (nam huiusmodi esse hunc vult Apostolus 2. Corinth. 6. v. 4. & 10.) quia inter Dei ministros primum.

CXI. Si quæ interdum decernit, aut agit R. P. quæ deinde ab vniuersa probentur Ecclesia, tanquam diuina prorsus oracula, aut quasi diuina gesta, haud ea propriæ virtuti, seu scientiæ, vel prudentiæ ascribat; verùm illa Deo, Christoque, instar Petri, qui miraculi claudi ambulantis coram omnibus pronulgauit fuisse auctorem solum *Iesum*, prorsus ascribat, e quorum cælesti afflatu, vtpote illorum Vicarius in terris, talia decreuerit, aut egerit.

CXII. Extenuat S. Petrus Iudæorum crimen, qui Christum crucifixerant, atque etiam laudat, vt filios Prophetarum, & ex quorum semine Messias erat proditurus &c. vt eos faciliùs ad Christi fidem alliceret. Non asperis per se corripiendi verbis peccatores, neque crimina illorum exaggeranda, sed potiùs infirmitati humanæ, vel ignorantiæ, non malitiæ, si fieri commodè potest, ascribenda a R.P. a quo solum *duri* quidam *durè sunt redarguendi* e S. Bern. lib. 4. de Consid. Affabilem præsertim si ostendat ijs, qui a Christi recedentes ouili ad illud regredi volunt; attenuet interdum, nunquam verò vltra rationis præscriptum amplificet, ipsum crimen hæreticorum; quod in multis quidem inuincibili ignorantiæ tribui potest; in multis *ignorantiæ crassæ, & supinæ*, quæ non reddit peccatum graue, vt *affectata*; in plurimis eorum profectò superbiæ, auaritiæ, luxuriæ &c. quod tamen crimen aliquantulum eleuari potest e causis extrinsecis, quas nos Catholici dedimus, recensitas a Legatis Cardinalibus ad Trid. Concil. tribus in *Hortat.* seu *Admonit. ad Patres Trid. Concil.* ante sess. 1. ab *Alphonso Castrensi*, qui eidem interfuit Concilio lib. 1. adu. Hæreses c. 12. ac latissimè lib. 3. de Iust. Hęretic. punit. a c. 2. vsq. ad finem; ab *Ambrosio Catharino Minorensi Episcopo* in lib. 4. *de Consid. & Iud. &c.* Notum est ex Hist. *Card. Pall.* lib. 2. c. 3. n. 5. *Adrianum VI*, quem ipsemet *Bellarm.* lib. de Script. Eccl. appellat *Virum optimum, ac doctissimum*, in Consistorio primo 1. Sept. 1522. die, scilicet suam incoronationem subsequenti, *Reformationem Romæ Tribunalium, ac morum proposuisse, tanquam vnicum contra hæreses antidotum, ad eamque Cardinales hortatum fuisse*; nec non e c. 7. eiusdem

Hist.

Hist.n.6. voluisse, vt *suus in Germaniam missus Nuncius fateretur coram Principibus Imperij Norimbergæ congregatis, hæresibus Lutheranis occasionem dedisse nonnullos Pontifices &c.* atque ijsdem referret, *se omnino statuisse, Curiam reformare, vt inde oriretur sanitas, vnde morbus emanaverat:* Et cum satis adhuc non reformati fuerint Romanæ Curiæ mores, hinc paululum hæreticorum crimen extenuare potest ipse R.P. qui cætera eniti debet, ne vllam prorsus excusationem afferre possint de sua superbia, auaritia, libidine, ac vitijs alijs, quæ *causæ hæresum intrinsecæ* dicuntur, eò quod videant apud nos, ac nominatim in Vrbe, Curiaque Romana, vigere pariter Superbiam, Cupiditatem, aliaque vitia etiam apud primores; quibus si R. P. inficerentur, an non magis excusabiles hæretici forent in eadem lapsi, & a Deo minùs punibiles? Ipse igitur, tanquam humanissimus omnium Pater, ac Pastor, conetur tollere difficultatem verè ingentem, quam complures experiuntur in agnoscendo ipsum, vt Christi Vicarium, vtpote quod existimetur ab ipsis *Superbus, ac Auarus in primis, Intentus ad sua commoda, ac pecuniam vndique corrogandam*, cum hi mores sint penitus Christi moribus dissentanei; atque in Romana Curia, & Vrbe eadem, aliaque vitia non minùs regnent, quam in sæcularibus Curijs, ac Prouincijs etiam, quæ a R.E. alienæ sunt. Vulgatum est, sæpiùs ex ore Magnatum inter hæreticos id prodijsse, *Reformetur Romana Curia, & nominatim in pecuniæ appetentia; Circa dogmata facilis erit consensus; nam tandem veritati dandæ manus; & apertè cognoscimus, hasce dissensiones inter Ecclesiam Romanam, & nos, nec illi, nec nobis esse salutares.* Quæ excusatio, quamuis non sit omnino admittenda; æquum tamen est, vt efficiat, quòd R. P. præter quorumdam sensus minùs seueros semet exhibeant contra complures hæreticos; atque peculiariter ad eos omnes, qui diuino afflatu, non vitia R.P. nec Romanæ Curiæ attendentes, sed Euangelicam doctrinam, prout traditam ab Apostolis, Sanctisq. Patribus in Catholica vigentem Ecclesia, ad Christi ouile redire cupiunt, instar Euangelici Patris Luc. 15. *Accurrat, cadatque super colla eorum, eosque osculetur* v.20. & post sui confessionem peccati inter filios suos non minùs, quam alios semper Catholicos reponat; imò cæteris paribus in hosce magis semet beneuolum declaret, gaudio exiliens, quod *hi filij sui* (in baptismo) *erant mortui, & reuixerunt, perierant, & inuenti sunt* vers. 24. sed nominatim hanc singularem beneuolentiam præferat in illos, qui dogmata de Romani Pontificis Primatu inter Catholicos omninò certa amplectuntur, cum illorum ignorantia faciliùs admitti possit, ac excusari: Si enim e Iudaica plebe *aliqui videntes signa Christi, habebant solum fidem aliquam humanam cum formidine, vel tantum dubitationem, vel suspicionem; alij verò neque hanc, aut ex praua voluntate, vel ex inconsideratione, vel ex timore Principum, qui Christum insectabantur; quæ ignorantia tamen, licet eos omninò non purgaret, cum haberent ad credendum motiua valde vrgentia, atque sufficientia, minuit tamen illorum criminis grauitatem, & ex parte excusat*; ac Iudæorum Principes, ac Pharisæi,

risæi, qui Christum persecuti sunt, non cognouerint Christum esse Dei naturalem filium (quidquid sit, an Messiam, nam neque id cognouisse sentiunt *Abul.* & *Caiet.*) vt e communiori sententia scribit *Suar.* tom. 2. in 3. p. d. 31. s. 4. *quia, licet signa Christi intuentes, & Propheticarum verba animaduertentes, seclusis odij, iræ, & inuidiæ passionibus, non poterant non firmissimo quandoque humano assensu credere Christum eße Dei filium naturalem, facilè tamen his perturbationibus affecti illum deponebant, & aliqui non audebant id palam* (in quo peccabant grauiter contra ipsam fidem *gloriam hominum magis, quam Dei diligentes* Ioan. 12. v. 43. 44.) *e timore profiteri: Quo circa* (subdit *Suar.*) *tempore passionis Pharisæos, & Principes, qui Christum crucifixerunt, verisimilius est, tunc non credidisse, illum fuisse verum Messiam:* Quod tamen non obstat, quo minùs Iudæi, & Iudæorum Principes, ac Pharisæi non grauissimè peccauerint in non firmiter credendo Christum esse verum Deum, & illum publicè agnoscendo vt talem, cum credibilitatis motiua ad firmissimam fidem fermè cogerent: *ET nihilominùs*, quia prauæ illorum animi affectiones obstiterunt huic diuinæ fidei, S. Petrus apertè hic v. 14. vbi dixit; *Vos sanctum, & iustum negastis, & petistis virum homicidam donari vobis, auctorem verò vitæ interfecistis* v. 17. subiungit, *Et nunc fratres* (in quam humaniter eos alloquitur) *scio, quia PER IGNORANTIAM FECISTIS, sicut & Principes vestri.* Nec poterat aliter loqui, cum ipsemet Christus Luc. 23. v. 34. cruci affixus primum hoc protulerit verbum, *Pater, dimitte illis, non enim sciunt, quid faciunt:* Vnde & Paulus 1. Corinth. 2. v. 13. *Si cognouißent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent:* Sic & ipsemet, qui *secus pedes Gamalielis eruditus fuit iuxta veritatem paternæ legis* Act. 20. v. 3. ait 1. Timoth. 1. vers. 13. *priùs blasphemus fui, & persecutor, & contumeliosus, sed misericordiam Dei cōsecutus sum, quia IGNORANS feci in incredulitate: SI*; inquam a culpa e parte liberantur Iudæi petentes crucifigi Christum, ac eorum Principes in idem conspirantes, ac ijdem, qui Christum crucifixerunt, itaut *ignorantiæ* tam immane scelus, ac Deicidium, & Christus ipse, & Apostoli Petrus, & Paulus ascripserint; An non æquiùs est, vt R. P. ignorantiæ tribuat illorum crimen, qui ipsum non agnoscunt, vt Vicarium Christi, & omnium Ecclesiarum Præsidem, cum certè non habeāt eadem motiua ad id credendum, quæ Iudæi habebant de Christi diuinitate, imò habeant nonnulla, licet per se inania, ad id negandum (de qua re etiam n. 19.) adeoque summam bonitatem, ac humanitatem in eos demonstret, qui remotis animi perturbationibus motiua sedulò perdendentes suadentia esse vera planè, quæ de Primatu R. P. sentiunt vnanimiter Catholici, hisce firmiter semet adhærere profitentur? At Deum quoque supplex oret R. P. instar Christi; *TVM vt dimittat eis peccatum*, qui ipsum, non vt Christi Vicarium, venerantur, *non enim sciunt, quid faciunt*; supplexque petat, vt auxilium supernaturale ijs elargiatur, quo veram cognoscant Ecclesiam, cuius ipse est supremus Præses a Christo constitutus; sic enim & dicitur Christus sua oratione

pro

pro Crucifixoribus suis obtinuisse, & veniam pœnitentibus, vt fuit inter alios Matth.27.v.54.Marc.15.v.39.Luc.23.v.48. *Centurio*, & qui *reuertebantur percutientes pectora sua*, & auxilium sufficiens omnibus, vt pœnitere possint: *TVM, vt nunquam fiat*, vt in pœnam peccatorum, quæ contra legem naturalem, ac diuinam perpetrarunt, *excæcet Deus oculos eorum, vt non videant oculis, & induret cor eorum, vt non intelligant corde, & conuertantur, & sanet eos Deus* Isa.9.v.9.10.Matt.13.v.14. Ioan 12.v.39.40. Rom.11.v.8.Act.28. ver.26.27. subtrahendo eis gratiam efficacem, sine qua nemo actu conuertitur ad Deum, vel etiam non subtrahendo occasiones, cum quibus Deus nouit ipsos in hoc peccato perseueraturos non agnoscendi R.P. vt supremum Christi ouium Pastorem &c. Equidem si minuitur crimen Iudæorum, & illorum etiã, qui Christum in crucem sustulerunt, a Christo, & ab Apostolis Petro, & Paulo *ex ignorantia*; Cur exaggerandum crimen hæreticorum, qui quædam dogmata Catholicæ fidei, ac nominatim de Primatu R.P. non credunt? Eleuandum est potiùs aliqua ex parte propter *ignorantiam*; quæ profectò quoque in compluribus potest esse inculpabilis, cum nulla habuerint motiua Catholicam fidem suadentia, sed potiùs dissuadentia, ab ijs, quos sinceros, doctosque homines habebant; nonnulli verò non adhuc talia habuerint, quæ excludant suarum probabilitatem sectarum &c. Quin etiam, dũ id expediens hæreticorum quorumdam saluti censuerit, si nonnulla laudabiliter ab eis, vel ab eorum maioribus dicta, scripta, edita, ac gesta fuerint, eà in medium proferat R. P. vt sic eorum beneuolentiam sibi concilians, ad laudabiliora quoque & meritoria coram Deo in Catholica Ecclesia agenda suauiter attrahat. Hoc sanè iustum est; vt nunquam ipse falsa, & non satis explorata circa hæreticorũ doctrinam, ac vitam referat, vel ab alijs referri, maximè in libris, sinat; sic enim & illi magis irritantur, & alieniores a nobis Catholicis redduntur, quibus & similia rependere queunt, atque in opinionem semper iniquiorem adduci de R. P. ipsomet, tanquam falsario, calumniatore &c. vel fautore falsariorum, calumniatorum &c. Mordacia, ac iniuriosa quædam Catholicorum scripta insanabiles multorum morbos hæreticorum reddiderunt, nedum nihil vtilitatis attulerunt. Illorum etiam mordacibus, ac iniuriosis in nos Catholicos scriptis modesta responsio a nobis adhibenda est; nam hæc virtus in nobis potissimum fulgere debet iuxta Apostolum Phil.4. v.5. *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus*. Vbi quædam seueritatis signa in hæreticos a Superioribus R. P. ostensa Romæ sub *Clem. VIII.* defierunt, complures e Protestantibus primarijs Romanæ Ecclesiæ, ac fidei semet aggregarunt. Cum fides sit donum omnino supernaturale, precibus impetrandum potiùs; gladius enim temporalis nunquam humanis cordibus eam inferet; licet hunc adhibere interdum vtile sit, imò & necessarium, ac potissimè cum inde tranquillitas reipublicæ perturbatur Christianæ &c. At gladius R. P. proprius est spiritualis contra hæreticos nominatim, cum debeat esse *potens exhortari in doctrina sana, &*

na, & eos,qui contradicunt arguere ad Tit. cap.1. v.10. vnde *Bern.* non dumtaxat lib.2.de Consid.ad *Eug. Accingere gladio tuo, gladio spiritus, quod est verbum Dei*; atque init.lib.3. ait, dum Christus iussit Apostolos Luc.2·.v.36. emere gladium,ipsos emisse duos,*ignitum*,scilicet *eloquium,& spiritum vehementem,arma potentia Deo*; nec non lib.4. hunc ad *feriendum creditum* esse R. P. tantummodò apertè tradit, vt iam n.72. ostensum est: Verùm & ser.66. in Cant. *Cum populus in quosdam hæreticos irruens nouos hæreticis suæ ipsorum perfidiæ martyres dedisset*, post ista,*approbamus zelum,sed factum non suadeamus,quia fides suadenda est,non imponenda*. illico subdit,*quamquam meliùs procul dubio gladio coercerentur, illius videlicet, qui non sine causa gladium portat, quàm in suum errorem multos traijcere permittantur; Dei enim Minister ille est, vindex in iram ei, qui malè agit* Rom.13. v.4. Vt verò verbum Dei in ore R.P. efficaciter penetret corda hæreticorum, ac potissimè negantium R.E.Primatum in cæteras particulares Ecclesias; Sit illius equidem sermo *mitis, & placidus,nunquam contumeliosus, disceptet sine ira, moneat sine asperitate, hortetur sine offensione, sit beneuolentiæ plenus, & gratiæ*, quemadmodum tradit *S.Ambr.* leges cuilibet sermoni præscribens cap 22.lib.1. de off. blandus potiùs semper,quam austerus,non exaggerans, sed extenuans eorum delicta instar sermonis Christi in Cruce, ac Petri, qui sic excusans Iudæorum crimen ex ijs duo millia ad Christum conuertit Act.4. v.4. Verùm vnà prauos omnes sensus de Romanorum Pontificum moribus, e quibus maxima e parte oriuntur praua de illo dogmata, auertere nitatur; sic enim illi faciliùs attrahentur ad Catholica dogmata,ac in ijsdem confirmabuntur. Si Euangelicis virtutibus fulserit R. P. haud multum illi desudandum erit in vsu gladij sui,seu verbi Dei: Vnde *S.Nazianzenus* loquens de *S.Basilio* iam Episcopo ait; *In paucis quidem sermone indigens,operibus verò multum praualens; & vt coleretur, nequaquam arte seruili, sed beneuolentia acquirebat; potestate minimè vtebatur, sed quia PARCERE sciebat, homines in suam perducebat sententiam; & quod maximum erat, omnes sciebant illius se superari intellectu, ac impossibile esse,vt EIVS IMITARENTVR VIRTVTES, vni cuique eorum salutem esse censebant,si cum illo,& sub illo ordinarentur; vnicum quoque periculum ab eo refelli; siquidem repulsionem eius a Deo alienationem esse censebant; sicque vltro subdebantur,& subigebantur, ac tanquam tonitrui sonus dissoluebantur,quum alius alium excusatione præueniret, inimicitiasque in beneuolentiam, nec non in virtutis conuerteret retributionem &c.* Sed & idem de *S.Athanasio* scribit, *Ita se comparans,vt neque sermone propter mores abunde ad institutionem sufficientes magnopere opus haberet &c.* Faxit Deus, vt tales semper sint Episcoporum Episcopi; tunc enim non multum illis laborandum erit in distringendo verbi diuini gladio, eoque hæreticorum feriendo corda,vt tandem se constanter censeant esse vniuersalem omnium Pastorem.

Act.4.a verſ.8.

CXIII. EXcelſo, inuictoque animo S. Petrus alloquitur Principes populi, & Sacerdotum, omneſque Hieroſolymitanos Sacerdotes ſimul congregatos aduerſum ſe, & Ioannem. Magnanimum, ac imperterritum ſemet oſtendat R.P. ſuadendo omnibus Principibus tum Eccleſiaſticis, tum Sæcularibus, quæ ad Diuinam ſpectant legem, eoſque corripiendo, ſi a recta ſalutis via deflexerint, & quandoque, ſi opus fuerit, ſpiritualibus pœnis eorum crimina mulctando: Nec vllorum minis, aut poſtulatis, vel precibus ſinat te vnquam flecti ad concedendum, vel vltrò permittendum quidquam, quod nouerit Deo diſplicere, aut ſpiritualibus Eccleſiæ commodis officere, ſeu illi obſtare rationem, diuinumque obſequium; nec propter contradictiones a potentibus quibuslibet excitatas animo deſpondeat in omittendo, quod ad Dei verè gloriam, & Dominici Gregis ſalutem prudenter aggreſſus eſt. Pro certo habeat Chriſtum ſibi adſuturum, eiuſque ope omnes tandem ſe ſeparaturum difficultates, ac Principes ipſos verè Catholicos ſibi morem geſſuros, vt dictum eſt n.18. latè. Vnde illa Bern. in fin. lib.4. de Conſid. vbi Eug. appellauit, *vltorem ſcelerum, malorum metum, virgam potentium, malleum tyrannorum, Regum Patrem, legum moderatorem, Deum Pharaonis*, ſubiungit; *Intellige, quæ dico. Dabit tibi Dominus intellectum. Vbi malitiæ iuncta potentia eſt, aliquid tibi ſupra hominem præſumendum eſt. Vultus tuus ſuper facientes mala. Timeat ſpiritum iræ tuæ, qui hominem non veretur, gladium non formidat. Timeat orationem, qui admonitionem contempſit. Cui iraſceris tu, Deum ſibi iratum, non hominem putet: Qui te non audierit, auditurum Deum, & contra ſe paueat.* Verùm opus eſt, vt ſemper in his agnoſcatur R.P. eſſe a ſuis alienum commodis, & *pecuniam* cenſeatur habere R.P. *tanquam paleam*, vt habuit *Eug.* hic e lib. 2. & ſit *immunis ab auaritiæ vitio*, vt idem e lib.3. Ex Epiſcopis ipſis Orientalibus, quam conſtantes ſemet contra Imperatores ipſos ſemet exhibuerunt *Athanaſius, Nazianzenus, Baſilius*; Ex Occidentalibus *Lucifer Calarithanus, Hilarius, Ambroſius?* Ac hi in Epiſcopatu non ſua quærebant, nec niſi in laboribus Epiſcopatus honorem repoſitum eſſe cenſebant; vnde minitantibus Imperatoribus, etiam Chriſtianis, eorumque miniſtris, bonorum publicationes, exilia, tormenta, mortem, niſi in quibuſdam ſibi aſſentirent, cum *Baſilio* reſpondebant. *Bona eius, qui nihil poſſidet, publicari nequeunt, niſi fortè pannis his indigeas tritis, & laceris, & libris paucis, in quibus tota eſt mea vita: Exilium verò nil ad me ſpectat, qui nullo loco ſum circumſcriptus, ſed nec quam nunc inhabito domus mea eſt, licet omnis mea ſit, in quam incido, ſeu potiùs Dei omnis, cuius ego hoſpes ſum, & incola: Tormenta autem, quid auferre poſſint, cum nullum*

mihi

mihi corpus residuum sit, præterquã si primam dixeris plagam; huius enim tu solus dominus existis: Mors verò benefactor erit; celeriter enim me ad Deum mittet, cui viuo, & cuius negotia administro, & cui iam plurimum occubui, & ad quem longè festino. Subdit S. Nazianz. *Postquam Præfectus* Valentis Imperatoris, *ita eum loqui audiuit, illumque tam imperterritum, & constantem deprehendit, a se dimisit, non iam minabundus, sed cum REVERENTIA quadam, ac secessione; ipse verò, quàm citò potuit, ad Regem festinauit, inquiens, Victi sumus, Rex, in Ecclesiæ huius negocio; Vir enim ille MINIS EST SVPERIOR, verbis robustior, persuasionibus fortior; alium quemdam ignobiliorem tentare oportet; hunc autem vel palam cogere, aut nequaquam expectare, vt minis subigatur: Hæc cum Rex audiisset, ac in se conuersus hominis laudibus esset victus (quandoquidem & HOSTIS VIRI VIRTVTEM ADMIRARI SOLET) præfectum a violentia cohibuit &c.* Talis constantia quidni magis etiam R.P. consentanea, si quid minùs æqua petant Principes, aut quilibet alij, minas ei proponentes, nisi annuat, quę nunquam adeò acres erunt, ac *Basilio* propositæ? In summo omnium honore constitutus infimum prorsus animum præferret, qui timens aliquod in reditibus Ecclesiasticis detrimentum, vel simile quid in temporalibus incommodum, omitteret, quæ ad munus suum Pastorale spectant, aut minùs honestis concederet postulationibus &c. Id certè non agunt illi R.P. qui agnoscunt *hæreditatem* sibi relictam ab Apostolis, & Apostolorum Principe, *esse in Christi Cruce; in laboribus plurimis*, vt ait *S. Bern.* lib. 2. & tunc se dumtaxat præcipuos *Dei ministros exhibere*, cum fuerint præ alijs, *in multa patientia, in tribulationibus, in laboribus, in vigilijs, in ieiunijs, in charitate non ficta*, & alijs, quæ enumerat Apostolus 2. Corinth. 6. a v. 4. ad 11. Quid non a quouis exorabunt R.P. si populi, ac Principes Christiani agnouerint, eos agnoscere *se esse ministros Christi, & plusquam cæteros*, hoc est, *in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter* c. 11. v. 23. seu esse paratissimos hæc, & alia, quæ a v. 24. ad 29. enumerat Apostolus, subire, si animarum id exigat beneficium! An non pij Principes, ac populi conspirabunt potiùs cum R.P. qui *hoc præclaro gloriabuntur ministerio, omni gloriosiori principatu*, vt inquit *Bern.* ad omne id, quod R.P. censuerint opportunum ad cunctorum directionem fidelium in æternæ salutis viam? An si qui obstiterint, *non iratum sentient Deum*, qualem experti sunt Principes Iudæorum, eorumq. Sacerdotes aures Petri verbis occludentes? Cuius tamen constantiam cum hi admirati fuerint v. 13. etiam illi R.P. constantiam, licet in ipsum non æqui, admirabuntur.

CXIV. Illis, qui non æqua petunt ab ipsis, R.P. responsionem Petri afferat v. 9. *Si iustum est in conspectu Dei vos potiùs audire, quam Deum, iudicate.* Ego Dei sum Vicarius in terris; illius ergo iussis obtemperare meum est præcipuè, licet ratio naturalis ipsamet doceat, vnumquemque hominem teneri potiùs obsequi Deo, quam cuilibet alteri homini. Qui aliter sapit, desipit. Essem ego præ cæteris quoque

deſpiens magis, ſi vt vobis morem geram, legem Diuinam violem; cuius obſeruantiam in alijs omnibus curare teneor; vel agam, vel decernam quidquam, e quo in populos offenſiones dimanent, cum hoc ſit primo loco præceptum 2. Corinth. 6. v. 3. *Dei miniſtris*, inter quos certè ego ſum primus, *ne dent vllam offenſionem, vt non vituperetur eorum miniſterium*; Quin etiam tenear multò ampliùs, quam cæteri, *ab omni ſpecie mala abſtinere* 1. Theſſal. 5. v. 22. Vos ipſi ergo nunc, ſemotis animi perturbationibus, iudices ſitis, an Vobis obſecundandum ſit. Qui hæc, & ſimilia audient, non amplius petitiones vrgebunt, niſi mentis inopes ſint; & potiùs eos tædebit, veniamque deprecabuntur, quòd talia petierint &c. Expedit quidem habere Principes, ac Magnates beneuolos Eccleſiæ; *Verùm illorum haud conclilianda eſt beneuolentia, quædam concedendo, vel diſſimulando in animarum vrgentia damnum, in graue populorum onus, in ingens Eccleſiaſticorum grauamen, ita vt hi commodè ſua obire munera nequeant, in Catholicæ fidei detrimentum, vel dedecus, in præcipuorum quorumdam Canonum diſſipationem &c.* Illos quidem ſibi beneuolos meritò reddet. *SI 1. Omnium Patrem, & non acceptatorem Nationum, Prouinciarum &c. ſe oſtenderit. SI 2. Priuilegia quædam illis conceſſa, præcipuè remuneratoria propter ſumma in Chriſtianam Rempublicam, Catholicam Eccleſiam, Romanumque Pontificem beneficia, ac præ cæteris oneroſa, vel iam concordata tollere, aut minuere non nitatur. SI 3. In neceſſitatibus ſuis, ac potiſſimè dum bella gerunt cum infidelibus, ac periculum imminet, ne eorum Prouinciæ, ac Ciuitates ab illis occupentur, opem illis ferat e reditibus patrimonij S. Petri, ac ijs, quæ in manu ſunt ipſius R. P. eos non elargiendo ſuis, aut inſumendo in alijs, aut vanis, aut ſuperfluis, aut non neceſſarijs, ſicuti in occaſione bellorum cum Chriſti Crucis hoſtibus. SI 4. quaſdam opiniones, quæ liberam quomodolibet R. P. (nam qui etiam indirectam concedunt, in arbitrium R. P. eam tandem reſoluunt) concedunt poteſtatem circa depoſitionem ſupremorum etiam Principum, illorumque etiam occiſionem; ac iuriſdictionem temporalem vbique illi elargiuntur, vetet doceri, multòque magis imprimi. SI 5. Non ſedulam in hoc ponat operam, vt ipſorum ſecreta per Nuncios ſuos, aliquoſque Regulares inueſtiget conſilia, ac ſuam temporalem iuriſdictionem ſuorũ opera Miniſtrorum in ipſorum ditionibus amplificet. SI 6. Honorem debitum ipſorum Oratoribus, ac Miniſtris deferat, ac deferri iubeat, nec Sæculares Poteſtates ſe contemnere, aut parui æſtimare ſignificet. SI 7. In ijs, quæ ipſis videtur liberaliter concedere, ſuum maximè emolumentum in temporalibus non intendat. SI 8. Ita conceſſas, vel legitimè præſcriptas Eccleſiaſticorum immunitates tueatur, vt tamen publicã tranquillitatem nolit inde perturbari, nec violari ſupremam, quam aliqui a Deo, ſiue immediatè, ſeu mediatè obtinuiſſent in temporalibus iuriſdictionem &c. SI 9. Ipſos paternè corripiat de delictis publicis, quæ conſtet ipſi planè, ac excuſationem admittat, ſi probabilis ſit; nec ab ipſis exigat rationem gubernandi perfectiſſimam iuxta Euangelica conſilia; ſatis enim eſt, ſi neceſſaria ad æternam ſalutem ab ipſis, eorumque Miniſtris ſeruentur. SI 10. Non ſe declaret inſen-*

insensum ijs, qui, dum controuersæ inter Catholicos sententiæ sunt de potestate Ecclesiastica, ac Sæculari Opiniones, Sæculari fauent, siue consilijs, siue libris &c. Nec immeritò irritarentur Principes, si hosce, maximè si sui essent ministri, R.P. aut alij e Romana Curia ipso sciente appellarent impios, suspectos de hæresi, vel etiam hæreticos, scismaticos &c. hæ siquidem iniuriæ in Principes, qui eos, aut alunt, aut eorum opera vtuntur, redundarent. SI 11. Dissensionem inter ipsos Principes semina initio euellere, aut ortas tollere nitatur studiosissimè, nec vnquam ea ipse spargat, vel hæc foueant verè, licet palam potiùs videatur operam ponere in reddendis concordibus Principum animis; idque VEL vt Principibus bellicis negocijs vehementer detentis, ipse iurisdictionem suam in eorum Prouincijs, ac Ciuitatibus dilatare possit, id illis non animaduertentibus, seu etiam permittentibus, vt aliqua a R.P. assequerentur, aut timentibus illi quidquam tunc ingratum facere: VEL ne Principes depositis armis simul conueniant ad moderationem aliquam regimini Pontificio, in temporalibus præsertim, adhibendam; quæ procul dubio adhiberetur (supposito, quod ea profectò indigeret; de qua re iustum sit ipsorum iudicium) si Supremi Principes constanter eam vellent, nec vllus ex ipsis priuata vtilitate aliqua allectus dissentiret. SI 12. Euangelicis fulgeat virtutibus, solummodò in Ecclesia Catholicæ spiritualia intentus commoda, hæc suis, vel suorum, vel etiam R.E. temporalibus præferens; Neque enim Catholici Principes, qui sunt inter primarios R.P. filios, huiusmodi Patrem summo non poterunt amore, ac instar filiorum, obseruantia quoque & obedientia prosequi, nec audebunt vnquam ab eo petere quidquam, cuius vel sola petitio ipsius futura sit auribus iniucunda.

CXV. Si aliquando eueniret, vt nonnullus sæcularis Principes ad obtinenda minùs æqua, aut iniusta, aut non planè decentia vexaret R.P. aut R.E. aut B.Petri patrimonium inuadere, ac diripere minaretur, aut etiam contenderet, vniuersam Ecclesiam prece, & obsecratione humili iubeat R.P. vti: Sic omnes Hierosolymæ credentes, vbi ijs denunciatæ fuerunt a Petro, & Ioanne contra ipsos Iudæorum minæ, *leuauerunt vocem ad Deum*, & orauerunt a v. 24. Occurret Deus votis. Spiritualia huiusmodi arma validiora sunt profectò corporeis, vt iam quoque indicatum n.72. In his Victoriæ spes ab Ecclesiasticis præsertim reponenda.

CXVI. Cum ad nudos Apostolorum, ac in primis Petri eorum Principis, *pedes* v.35. cuncti fideles *eorum, quæ vendebant, pretia ponerent*, quamuis cæteroqui & Iudaica gens auarissima foret, nec Apostoli, nec Petrus ipse, vnquam in suis sermonibus ad id eos fuisset hortatus, sed tantummodo Christum & cruci affixum, & a mortuis resurgentem illis prænunciassent; Certi sint quoque R.P. ac alij, qui in animarum incumbunt salutem, si sincerũ erga eas zelum ostendant, quoduis emolumentum posthabentes temporale, non solùm illis non defutura omnino necessaria ad victum, vestitumque congruum, verùm ea etiam adiutura, e quibus alios alere possint, quamuis hæc non petant: de quo

etiam

etiam num.6. *Obseruandum tamen est*; fideles illos ad impulsos etiam fuisse, quod viderent; *tum* Apostolos ex ijs nonnisi plane necessaria sibi vindicare; *tum* quod illa *diuidebantur omnibus, prout cuique opus erat.* v.35. & Act.2.v.45. vnde *nec quisquam erat egens inter illos* v.34. Quem morem cum prosecuti fuissent prisci R. P. ac Episcopi, factum est, vt Ecclesiæ Romanæ, alijsque Ecclesijs amplissimos reditus, amplissimaq. stabilia bona Principes, populi, alijq. fuerint elargiti, existimantes omnino, quod eorum successores ab hoc Apostolico non recederent instituto; Vnde verendum est vehementer, ne animæ illorum, qui ad hunc finem ditarunt Ecclesias, & Ecclesiasticos, Deum orent, vt ijs permittat Ecclesiasticos priuari, vel omni, vel aliqua e parte ad eorum punitionem, qui donantium, ac legantium menti non satisfaciunt; siue vt *quod non habet Christus, tollat fiscus, & quod subtrahitur egeno, rapiat prædo; hoc enim est veteris prouerbij* (inquit *Ioan. Gers.* in sermone habito coram Patribus *Conc. Rem.* illos monens, vt fieret prouisio, ne pauperibus sua bona ex Ecclesiasticis reditibus auferrentur) *quod abdita vulpium fiant rapinæ luporum, vt qui prædatus fuerit, prædetur & ipse.*

Act. 5. a vers. 1. ad 11.

CXVII. ZElus peculiaris Petri contra illos fuit, qui nonnullam partem pretij, quod Deo debebatur, subtraxerunt. Zelus peculiaris R. P. sit contra eos, qui Ecclesiastici dicati bonis, quæ *Dei bona sunt* Trid. sess.25. c.1. peculiari nomine, eorum partem pauperibus, operibusque pijs debitam sibi vindicant; illam cum reliqua impendentes in epularum lautitiam, in vestium splendorem, in iusto amplius famulitium; in magnificentiorem supra statum supellectilem, in equilia, in ludum, in venationes, & in scelera quandoque. Si in aliquos e primarijs præsertim Ecclesiasticis hac in re peccantes seueritatem Sacris Canonibus consentaneam adhiberet R. P. identidem; *magnus timor fieret in vniuersa Ecclesia, & in omnes, qui audirent hæc* v.11. vt accidit audita morte subita Ananiæ, & Saphiræ eius vxore, vbi ambos Petrus obiurgauit v.3.4.9. Sic cessaret illa S. Bern. querela ser.6. in Psal. 90. qui post hæc. *Ipsa Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum negotium transiere, nec in his salus animarum, sed luxus quæritur diuitiarum. Propter hoc tondentur, propter hoc frequentant Ecclesias, missas celebrant, psalmos decantant*, subiungit illico; *Pro Episcopatibus, & Archidiaconatibus, Abbatijs, alijsque dignitatibus, impudenter hodie decertatur, vt Ecclesiarum reditus in superfluitatis, & vanitatis vsu dissipentur*; nec non ep.42. *Clamant nudi, clamant famelici, conqueruntur, & dicunt, Dicite Pontifices in fræno quid facit aurum? Nunquid aurum a fræno repellit frigus, siue esuriem? Nobis frigore, & fame laborantibus quid conferunt tot mutatoria,*

vel

vel extensa in perticis, vel plicata in manticis? Nostrum est, quod effunditis; nobis crudeliter subtrahitur, quod inaniter expenditis: Et nos Dei plasmatio, & nos sanguine Christi redempti sumus. Nos ergo fratres vestri: Videte, quale sit, de fraterna portione pascere oculos vestros. Vita nostra cedit vobis in superfluas copias. Nostris necessitatibus detrahitur, quicquid accedit vanitatibus vestris. Duo denique mala de vna prodeunt radice cupiditatis, dum & vos vanitando peritis, & nos spoliando perimitis. Iumenta gradiuntur onusta gemmis, & nostra non curatis crura nuda caligulis? Annuli, catenulæ, tintinnabula, & clauatæ quædam corrigiæ, multaque talia, tum speciosa coloribus, quam ponderibus speciosa mulorum dependent ceruicibus; fratrum autem lateribus ne semicinctia miserantes apponitis? Huc accedit, quod hæc omnia, nec negociationis studio, nec proprio manuum exercitio vobis elaborastis, sed nec iure hæreditario possidetis, nisi fortè & vos in corde vestro dixeritis (Ps. 82.) Hæreditate possideamus sanctuarium Dei: Et hæc pauperes modò quidem coram Deo tantùm, cui corda loquuntur; Nec enim audent apertè causari aduersum vos, quibus interim pro sua vita necesse habent potiùs supplicare. Cæterùm in futuro stabunt in magna constantia aduersus eos, qui se angustiauerunt, stante quippe pro eis patre Orphanorum, & iudice Viduarum; Ipsius enim tunc vox erit (Matth. 25.) quamdiu non fecistis vni de his minimis meis, nec mihi fecistis: Nec non ser. 33. in Cant. *Ministri Christi sunt, & seruiunt Antichristo. Honorati incedunt de bonis Domini, qui Domini honorem non deferunt. Inde eis, quem quotidie vides, meritricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus; inde aurum in frænis, sellis, & calcaribus, & plus calcaria quam altaria fulgent. Inde splendidæ mensæ, & cibis, & scyphis; inde commessationes, & ebrietates; inde cythara, & lyra, & tibia; inde redundantia torcularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud; inde dolia pigmentaria; inde referta marsupia: Pro huiusmodi v lunt esse, & sunt Ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi &c.* Pariter in Declam. Ecce nos &c. *Væ, væ tibi Clerice, mors in olla. Mors in ollis carnium, mors in huiusmodi delicijs est; non modò, quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maximè, quia populi constat esse peccata, quæ comedis. Sumptus Ecclesiasticos gratis te habere reputas? Cantando (vt aiunt) tibi prouenire videntur; sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare; peccata enim populi comedis, ac si propria tibi minùs sufficere viderentur &c.* In hanc eamdem sententiam idem in serm. ad Past. in Syn. & in vita *S. Mal.* Eadem querela est *Philip. Abb.* c. 48. de Iust. Cler. negans tales verè de Clero esse; *Gers.* 2. p. tr. de Temp. in Cibo, & Potu, & vestibus Prælatorum; *Guliel. Paris.* lib. de Virtut. c. 11. & de Morib. c. 7. *Blesens.* ep. 102. & 20. ser. 12. *Hildeb.* ep. 47. *Petri Damiani* lib. 1. ep. 10. lib. 2. ep. 1. opusc. 31. c. 6. *Aluar. Pelag.* lib. 2. de Planctu Eccl. ar. 28. lit. B. *Laur. Iust.* c. 4. De Instit. & Reg. Prælat. Sed & laicorum quoque eadem fuit, ac est; inter quos olim Reg *Edgarus* agens cum Patribus Synodi an. 970. (vt refert *Rayn.* lib. 2. sect. 3. c. 4. de Mal. e Bon. Eccl.) hisce expostulauit. *Sic patrimonia Regum,*

gum, eleemosynæ pauperum, imò, quod magis est, illius pretiosi sanguinis pretium profligatur. Ad hoc igitur exhauserunt thesauros suos Patres nostri, ad hoc fiscus regius distractis reditibus multis detumuit, vt delicijs Clericorum meretrices ornentur, luxuriosa conuiuia præparentur, canes, & aues, ac talia ludicra comparentur? Hoc milites clamant, plebs submurmurat, mimi cantant, & saltant; & Vos negligitis. Vos parcitis. Vos dissimulatis. Vbi gladius Leui, & zelus Simonis? Similem prorsus expostulationem sibi arbitretur prorsus modò fieri a Principibus, populis, & alijs, ac illis maximè, qui cæterà in talibus bonis, quæ tributa sunt Ecclesijs, vel Ecclesiasticis, succedere poterant, vel debebant. Feruebit sanè zelus R.P. contra huiusmodi redituum Ecclesiasticorum dilapidatores, si ipse *Dei*, cuius est Vicarius, eiusmodi *bona* iuxta ipsius voluntatem distribuerit; secus enim nec eos corripere audebit, vt significatur c.1.sess.14.Trid. Profectò a tot Clericis, inter quos sunt etiam primarij Præsules, in vana, & interdum illicita, reditus Ecclesiasticos impendentibus, quasi compelluntur laici ad similia; qui inde se etiam excusant, quod sua sic insumant, non aliena, sicut Clerici. Hinc illa *S.Bern.* ad Past.in Syn.Rhem.ann.1148. *Quis obsecro, laicorum, auidiùs Clericis quærit temporalia, & ineptiùs vtitur acquisitis? Cum tantum fastum videant laici in supellectili Clericorum, nonne per eos POTIVS IMITANTVR AD MVNDVM DILIGENDVM, quam negligendum? Medice cura te ipsum. Si mūdum prædicas contemnendum, contemne tu priùs, & ad ipsum efficaciùs alios inuitabis. Da voci tuæ vocem virtutis, CONSONET VITA VERBIS; & statim erit in ore tuo viuus, & efficax sermo Dei, & penetrabilior omni gladio ancipiti (Hebr.4.) Non sic profectò est: Sed sicut populus, sic & Sacerdos; sicut laicus, sic & Clericus. Vterque cupit, vterque diligit mundum, & ea quæ in mundo sunt. Laicus tamen cum labore; sed Clerici SINE LABORE VOLVNT POSSIDERE TOTVM MVNDVM. Communicare volunt cupiditati, & superfluitati hominum, sed non labori. Peccare volunt, sed non flagellari cum hominibus. Vnde timendum est, quod flagellentur cum dæmonibus. Quomodo sæculares non expenderent substantiam suam, viuendo luxuriosè, etiam in præsentia Sacerdotum; Quomodo non intenderent vanitatibus, & lenocinijs huius sæculi; Quomodo non essent insolentes, & elati, cum TANTVM FASTVM, tantam insolentiam videant Clericorum? De patrimonio Crucis Christi non facitis Codices in Ecclesijs, sed pascitis pellices in thalamis vestris; impinguatis canes, adornatis equos, phalerantes pectora, & capita deaurando: Et vere in capitibus omnium platearum dispersi sunt lapides sanctuarij (Thren.4.) Plateæ latæ sunt, & lata est via, quæ ducit ad mortem. Lapides sanctuarij, idest, Sacerdotes, sunt in capitibus, idest, in introitu viarum latarum; DOCENT ENIM POPVLOS PER PRAVA EXEMPLA INGREDI VIAS LATAS, quæ ducunt ad mortem, & demergunt in profundum inferni. Dolor capitis in membra redundat. Caput populi sunt Sacerdotes. Omne caput languidum, & omne corpus mærens. Languent Prælati in cupiditatibus suis.* Quæ dicta sunt tunc a

S.Bern.

S.Bern. de Ecclesiæ Pastoribus in vndecimo sæculo faxit Deus, vt non comprobata fuerint in subsequentibus, nec maximè comprobentur in hoc decimosexto, eò quòd in dies aucta fuerit, & augeatur expensio redituum Ecclesiasticorum in valde Ecclesiasticum statum dedecentia, imò & illi ignominiosa non rarò, & ob amplificata semper bona Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum inde amplificata quoque praua eorum exempla, quibus *docentur populi ingredi vias latas*, ac præsertim diuites haud substantias suas impendere in misericordiæ operibus (quod voluit Apostolus ab Episcopis præcipi diuitibus 1.Timoth. c.*6*. n.17. 18. 19.) sed in epulis, vestibus pretiosis, canibus, ludis, equis &c. Ac vtinam non interdum sit æmulatio inter Ecclesiasticos, & Sæculares, non in *bono* Gal.4.v.18. vel in *charismatibus melioribus* 1.Corinth.12. sed in Istis, quisnam alius alium superet; nec in hoc complures Ecclesiastici glorientur, quòd palmam sæcularibus etiam Magnatibus in hisce præripiant; nec exteri etiam homines, qui quandoque sunt etiam hæretici, inuitentur ad inuisenda ipsorum palatia, pretiosam suppellectilem, amænissimos hortos, curruum, equorumque copiam &c. Ecclesiasticam dignitatem, & auctoritatem in hisce terrenis reponentibus plurimis, non verò præcipuè, & vt par esset, in Euangelicis virtutibus: Quod certè cachinandi occasionem præberet hæreticis, & Ecclesiastico statui infensis, pijs verò Catholicis lacrymandi; quòd vberes reditus Ecclesiasticis concessi, vt inde vberiores charitatis in proximum actiones exercere possint, sint ex ijsdem compluribus materia vberiorum profectò terris criminũ, ac deinde in inferis cruciatuum, ac vna vberiorum proximi scandalorum, vtpote docentibus laicos *seruire mammonæ*, hoc est, diuitijs, adeoque *non seruire Deo* Matth.*6*.v.24. Luc.1*6*.v.13. cogitationemque suam addere *ad maiora facienda horrea sua, ad requiescendum, comedendum, bibendum, epulandum* instar Euangelici diuitis Luc. 12.v.18.1*9*.& non *ad faciendos sibi sacculos, qui non veterascunt* v.33. hoc est, non ad egentes e suis reditibus, ac diuitijs alendos; quod enim illis datur, vt ait *Beda*, in tuto ponitur, quia thesaurus crescit, qui in illis conditur; siue ad *faciendos sibi amicos de mammona iniquitatis, qui ipsos recipiant in æterna tabernacula* Luc.14. v.*9*. propter enim eleemosynas e fallacibus, fugacibusque diuitijs factas pauperibus recipientur diuites in cælorum regnum: Quando ipsimet Ecclesiastici e reditibus, qui non plenè sui sunt, pauperculas suas domos magnificentissima reddunt palatia, suas quasi mendicas familias splendidissimis locupletant fortunis, otio se tradunt, exquisitos potus, cibos, suauissimasque epulas conquirunt, multoq. pretio comparant, vel maximam illorum partem recondunt in arcis relinquendam consanguineis; cum interea tot pauperes fame, siti, nuditate premantur; tot honestæ familiæ mendicare erubescentes non habeant vestes, quibus congruè operiantur, nec cibos, quibus congruè sustententur; tot Virgines sui corporis quæstum facere cogantur &c. Indeque hæretici (de qua re etiam num.12.) in suo magis confirmentur sensu, licet iniquo, quod non malè egerint,

boua Ecclesiasticis auferendo, dum ea ipsi in operā pia impendant; magisque impleant id, quod intenderunt, qui illa Ecclesiasticis donarunt &c. Deplorandum sanè id magis foret, si quod tradidit ingenuè *S.Bern.* in R. quoque P. conspiceretur, cum illi non solum sint, vt cæteri Sacerdotes, ac Episcopi *lapides Sāctuarij*, sed præcipui, ac primi, cum *prima* post Christum Ecclesiæ *petra* sit Petrus, & quilibet illius successor; atque R.P. verè sint *Capita populi*, imò & *Capita totius Ecclesiæ*, ita vt ipsi quoque communiter existiment, ex ipsis tanquam ex *capitibus defluere in omnia Ecclesiæ membra potestatem*, vt habet *Pius II.* in fi. Bul. Retract. an. 1463. Apr. 26. & quam habent quoque in Concilijs Generalibus Episcopi iurisdictionem, ab ipsis omninò oriri. Quare si omnium Episcoporum est incitare cæteros ad *negligendum mundum*; & ita mores suos, domosque suas componere, *vt vanitatum præferant contemptum*; id enim præceperunt SS. Patrum doctrinæ inhærentes Trid. Concil. Patres sess. 25. c. 1. Episcopis, & Cardinalibus; *pauperum, aliarumque miserabilium personarum paternam curam gerere*, vt ijsdem in memoriam reuocarunt sess. 23. cap. 1. præmonentes eos, ex præcepto etiam diuino, teneri *pascere oues suas bonorum omnium exemplo pascere*; Quidni hæc eadem in primis spectent ad R.P.? Qui si ex reditibus Ecclesiæ *consanguineos, familiaresque suos augere non studuerint, nec illorum causa res Ecclesiasticas distraxerint*; *aut dissipauerint* (quod vitari Canonibus quoque Apostolicis traditur eod. cap. 1. sess. 25. Trid.) ac ex illis, vt patres, curam gesserint pauperum, aliarumque miserabilium personarum, quæ tum in Vrbe, tum in locis R.E. subiectis, tum alibi, cum ipse sit Pater omnium, nunquam desunt, in his etiam potiùs insumentes Ecclesiasticas facultates, quam in quibusdam non necessarijs, ne dum Palatiorum, Villarum, Hortorum &c. Sed & Ecclesiarum ipsarum ornamentis (in quibus potest non rarò inanis proponi gloria) vt habetur 12. q. 2. c. 70. & 71. e *S. Ambr.* c. 28. lib. 2. de off. & *S. Hier.* ep. 2. ad Nepot. cęteri fermè omnes Ecclesiasticis ipsorum vestigijs insistent, & qui id non præstiterint, meritissimò ab ipsis punientur, illorū etiam priuatione; ac merito poterit exigere idemtidem ab ijs, qui pinguia obtinent beneficia, si maximè illis animarum cura sit annexa, dummodo immodicis pensionibus non sint obnoxia, rationem accepti, ac expensi. At si in hoc *CAPVT* doleret, eius dolor in *MEMBRA* redundaret; aut si *LANGVERET*, omne corpus Ecclesiæ *MAERERET*, vt significat non tantum *S. Bern.* sed *experientia rerum magistra efficax manifestat* c. 6. de Elect. in 6.

CXVIII. Quando communis SS. Patrum sententia sit, Ananiæ, ac Saphiræ crimen, propter quod corporali morte saltem (nam de æterna aliqui dubitant) a Deo fuere mulctati, sacrilegium extitisse, propter violatum paupertatis votum, quod nonnulli existimant cum alijs duobus Castitatis, & Obedientiæ ab illis emisisum fuisse; & hinc controuersistæ præsertim e SS. Patribus ipsis *Basil. Aug. Hier.* deducant, Monasticæ vitæ genus viguisse Apostolorum tempore, quos etiam tria

Reli-

Religiosorum vota nuncupasse tradant e *S.Aug.*cap.4.lib.17.de Ciuit. ep.89.& in Psal.103. *Epiph.*Hær.18. *Chrys.*Hom.17.in Matth.*Basil.* in Constit.Monast.c.19. quos secutus est etiam S.Th.22.q.288.ar.4.ad 3. & q.188.a.7. in Corp. Haud R. P. de seueritate reprehendi iure poterit, si eam adhibeat contra eos, qui Deo promissa non soluunt; Inter quos *PRIMO* recenseri queunt sacris initiati Ordinibus Incontinentiæ vitio palam dediti; quos peculiari c.29.de Conuers. ad Cler. vrget vehementissimè *S.Bern.* Hos inter cętera, ait, *non modò non placare Deum, ingredientes, seu se ingerentes in Sanctuarum Dei, sed magis irritare, dum videntur in cordibus suis dicere, Nō requiret, ac irritare plane, & insensum reddere sibi*: quod quidem flagitium, *quo templum sanctum Domini polluunt, iudicium multiplex accepturi*, tribuit, *quòd passim Curritur ad Sacros Ordines, & reuerenda ipsis quoque spiritibus Angelicis ministeria apprehenduntur sine reuerentia, & consideratione*; vnde in fin.c.subiungit; *Vtinam magis turrim inchoaturi sedentes computarent, ni forte sumptus non habeant ad perficiendum: Vtinam, qui continere non valent, perfectionem temerariè profiteri, aut cœlibatui dare nomina vererentur; Sumptuosa quippe turris est, & verbum grande, quod non omnes capere possunt: Esset autem melius sine dubio nubere, quam vri, & saluari in humili gradu fidelis populi, quam in Cleri sublimitate, & deterius viuere, & districtius iudicari; MVLTI enim, non quidem omnes, sed tamen MVLTI, certum est, nec latere queunt præ multitudine, nec præ impudentia queunt; MVLTI vtique libertatem, in qua versati sunt, in occasionem carnis dedisse videntur, abstinentes remedio nuptiali, & in omne deinceps flagitium effluētes*. Huius criminis duæ aliæ n. 89. allatæ sunt causæ, quarum vna ad Episcopos spectans *citò imponentes manus* sacris initiari volentibus non minor forsan alijs duabus est: Qua autem ratione hęc valde scandalosa sacrilegij culpa imminui possit, ibi declaratum est. *SECVNDO recenseri queunt Regulares*; Quorum plurimi in tria peccant vota; idque triplici potissimum e causa; *QVARVM 1. Se tenet ex parte parentum, propinquorum &c.* vt & n.89.indicatum est, quorum blanditijs, minis, dolis plurimi Religiosos Ordines ingrediuntur, cæterà ab hoc ingressu alieni, vel etiam penitus inepti ad Religiosum statum; & hinc ignominiosa multorum vita in ignominiam quoq. familiarum redundant; Quæ etiam in temporalibus ipsis non rarò puniuntur, quòd aliquos filios, vel aliquas filias parentes &c. coegerint se Deo dicare, vt ditiores euaderent selecti filij, vel vberiores dotes præberentur selectis filiabus. Atq. vtinam sess.24.c.17.diligentiùs seruaretur, vt antequam *puella vlla professionem emittat, Episcopus, vel eo absente, vel impedito* (oportet, vt legitimum adsit impedimentum; est enim res summi ponderis; neque enim propter leue aliquod id omitti debet ab Episcopo) *eius Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus* (ne quis facilè illud prætermittat) *deputatus Virginis voluntatem diligenter* (non perfunctoriè, ac veluti transeunter) *exploret, an coacta* (maximè minis, vel timore etiam reuerentiali) *an seducta sit* (dolis quibusdam, fraudibus, promissionibus

 &c.)

&c.) *An sciat quid agat* (nam ignorare non debet, Ad quid obligent & vota, & peculiares Constitutiones Religionis, & Consuetudines Monasterij &c.) *& si voluntas eius pia* (neque enim temporalem aliquem finem sibi prefigere debet, sed spiritualem seruiendi Deo exactiùs &c.) *ac libera cognita fuerit* (maior enim libertas ad professionem requiritur, quam ad contrahendum matrimonium, vtpote quòd humana natura per se aliena sit ab hoc spirituali, non verò a carnali matrimonio &c.) *habeatque conditiones requisitas iuxta Monasterij illius, & Ordinis Regulam* (quicumque enim Ordo Regularis, peculiares exigit qualitates in admittendis, imò & Monasterium Virginum præsertim, peculiares, præter communes Ordinis, potest exigere, adeoque has notas habere debet examinator) *Nec non Monasterium fuerit idoneum* (nam contingere potest, vt aliquod Monasterium non sit salubre complexioni talis puellæ, careat cubiculo congruo &c.) Cuius cap. obseruantia frequenter esset a R.P. indicenda Episcopis: Qui si in hac re negligentes fuerint, ac voluerint morem gerere parentibus, consanguineis &c. proculdubio rei erunt criminum, quæ puellæ sæpissimè patrant, dum non liberè omnino professionem emisere; quarum etiam non paucæ excusant se quædam contra Regulam, & Constitutiones Monasterij committentes, eò quòd verè coram Deo coactæ solùm votis ore, non verò corde, semet obstrinxerint; vnde non nisi ratione scandali palam periti earum Cõfessarij docent eas, nisi ratificare velint professionem, ad tales obseruantias teneri. 2. *Se tenet ex parte admittentium ad Nouitiatum, ac Professionem, atque suffragantium quomodolibet maximè admissioni per tria religionis substantialia vota*; non sedulò indagatis qualitatibus admittendorum iuxta Ordinis cuiuslibet leges, aut notitia illarum dumtaxat acquisita a Religiosis Consanguineis, amicisque admittendorum, aut illa penitus omissa, quod sint sui cõsanguinei, amici &c. nullatenus Religionis bonum, sed nec ipsorum quoque spiritualia coram Deo commoda attendentes, sed tantummodo sua, vel aliorum Religiosorum desideria, quod hi penes se sint, preces externorum, vt parentum, fratrum &c. qui se onere illos alendi eximere cupiunt &c. Et vniuersim quidem inobseruantiam Regularium Ordinum causæ *Sex* censeri queunt. & *Prima* quidem e *Card. Bellar.* e S.I. non minùs morum sanctitate, quam doctrinæ fama eminentissimo, dum c.6. de *Gem.Col.* sic scribit. *Quid mirum, si multi vestem religiosam induunt, & mores religiosos non induunt, cum non spiritus Domini, sed carnalis sensus eos ad Ordinem Religiosum duxerit? Et vnde contentiones pro Præfecturis, alijsque muneribus in quocumque Ordine præcipuis, & inimicitiæ, & rixæ in Domo Dei, quæ est Domus pacis, nisi quia PLVRIMI non missi sunt ab eo, qui dixit, Tollite iugum meum super vos, & discite a me, quia mitis sum, & humilis corde? Quare si ij, qui præsunt Religiosis Ordinibus, volunt Ordinem suum reformare, & ex valle ad montem ducere, oportet eos, diligentissimè vigilare in exploranda vocatione eorum, qui habitum petũt, nec tantùm verbis explorare interrogando, sed etiam factis exercendo Nouitios*

uitios suos longo tempore in mortificatione passionum. Atque prius *Sixtus V.* qui fuit vir doctissimus, & Verbi Dei prædicator eximius, & a *Pio V.* sui Ordinis Min. Conuent. Vicarius Generalis constitutus, voluit vt constaret, admittendos ad Religiosos Ordines, *non humana aliqua ratione, sed tantùm deuotionis, seu pietatis seruore Vitam Religiosam sponte, & animo elegisse*, vt patet e §.4. Constit. 71. editæ 1587. Nou. 26. quæ verba ad hanc rem affert etiam *Sacra Romana Rota coram D.P.P. Arguilles* in Caus. Burg. Nullit. Profess. 16 Apr. 1649. Atque hoc *Suar.* tom. 3. de Relig. lib. 5. c. 10. in fin. ita necessarium existimauit ad *Sixti* mentem, vt sit professio nulla, etiamsi suppleatur postea hæc diligentia, oporteatque iterum rem totam inchoare; qui sanè potuit afferre eumdem *Sixtum* alia Constit. 1588. Octob. 11. decernentem dilucidè, fuisse irritam professionem, si admittentibus non constitisset, *Admittendos* tantùm deuotionis, seu pietatis seruore Vitam illam Religiosam sponte, & animo elegisse, quamuis ignorantes Constitut. primo editam, vt legitur §. 12. Et quamuis quoad illas informationes necessariò ad valorem Professionis requisitas a *Sixto* (qui cum fuerit Religiosus, & præcipuos sui Ordinis gradus fuerit cōsecutus, meliùs, quam alij, scire potuit, quidnam bono Religionum magis opportunum foret) Constitutionibus illis derogauerit *Clem. VIII.* in Constit. 83. promulgata 2. Apr. 1602. §. 4. attamen contra Superiores quoscumque, qui ad habitum, & Professionem admittentes earumdem Constitutionum formam non seruauerint, pœnas in ipsis inflictas, saluas esse voluit, & statuit, quæ sunt e §. 6. Constit. 1. priuatio vocis actiuæ, & passiuæ, omnium graduum officiorum, dignitatum &c. & inhabilitas ad illa in posterum &c. Quin etiam idem *Clem. VIII.* in Inst. *super recept. & educ. Nouit. Relig.* edita an. 1601. Maij 2. & ampliata an. 1603. Mart. 19. §. 23. ait, *Demum Superiores diligenter exquirant, quo spiritu, qua mente, ac voluntate id Regularis vitæ genus, quem finem sibi proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectionis vitæ, & vt liberiùs Deo famulari possint, an potiùs leuitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur &c.* Et verè hic est primus fons Religiosorum omnium in virtutibus deficentiæ, ac vitiorum seminis in ijsdem: Quapropter prudentissimè *B. Franc. Borgia* Præpositus profectò sanctissimus Soc. I. tertius Generalis in litt. de Med. Conseru. Spirit. Soc. ann. 1569. Aprili mense a 29. circiter annis post approbatam S. I. ab Apostolica Sede n. 2. sic monuit. *Cum in campum nostrum zizania multis, ac varijs modis per fraudem induci queant, eo tamen ex capite maximè formidarim, si minimè nobis curæ esset spiritum nostrarum Constitutionum retinere in admittendis ad Societatem nostram hominibus: Nam si alia intentione procedatur, quam quæ a nostris Constitutionibus requiritur, CERTISSIMAE RVINAE porta aperietur. Sanè si nulla habita ratione vocationis, & spiritus, quo quisque impulsus accedit, LITERAS modò spectemus, & ALIA EXTERIORA TALENTA, veniet tempus, quo se Societas multis quidem hominibus abundantem, sed spiritu, & virtute destitutam*

mærens

mærens intuebitur; vnde existet ambitio, & sese efferet solutis habenis superbia, nec a quo contineatur, & supprimatur, habebit. Quippe si animum conuerterint ad OPES, ET COGNATIONES, quas habent, intelligent illi, se quidem propinquis, & opibus affluentes, sed solidarum virtutum, ac spiritualium donorum copijs egenos, & vacuos. Itaq. hoc primum esto consilium, & IN CAPITE LIBRI SCRIBATVR, ne tandem aliquando experientia doceat, atque vtinam NONDVM docuisset, quod mens demonstratione concludit. Hæc Religioni cuilibet accommodari queunt, si non spiritus peculiarium cujuslibet Constitutionum retineatur in admittendis ad eam hominibus. *SECVNDA* indicatur apertè ab illustri ex eadem S.I. sacræ Scripturæ interprete *Francisco Ribera* in fin. Com. 2. Os. v. 49. cui adhæsit postea *Corn. a Lap.* in Isa. c. 9. v. 3. Multiplicasti gentem, sed non multiplicasti lætitiam; quæ verba vsurpat quoque *S. Bern.* cap. 29. allato de Conuers. ad Cleric. inquiens, *Dilatata siquidem videtur Ecclesia, ipse etiam Cleri sacratissimus Ordo, fratrum numerus multiplicatus est: Verùm etsi multiplicasti gentem Domine, non magnificasti lætitiam, dum nil minus apparet decessisse menti, quam numeri accessisse.* Vbi autem *Rib.* hæc habuit; *Multum ad incolumitatem omnium Religionum pertinet, præsertimq. earum, quæ non suam modò, sed omnium etiam salutem propositam habent, vt PAVCI in eas admittantur, ijq. huiusmodi, vt certis argumentis eos constet vocari a Deo ad illam Religionem, CERTIS, inquam, & DIVTVRNIS; non enim facilè omni spiritui, & vocationi credendum est, sed probandi sunt spiritus, an ex Deo sint; nam sæpe ex eo non esse, qui maximè videntur, exitus indicauit,* ista addidit: *Indicauit etiam longi temporis vsus, nullam esse CERTIOREM, ac PRAESENTIOREM Religionibus pestem, quam MVLTITVDINEM: nam quæ dicuntur pestes, sunt ambitiones, auaritiæ, voluptates, contentiones, & æmulationes* (addit *Cornel.* Otia) *ex multitudine oriuntur. At si quis putat in magna hominum multitudine mortificationem, & humilitatem, & pacem, concordiamque animarum* (addit *P. Corn.* disciplinam, zelum, & spiritum) *conseruari posset, id putat, quod neque in hunc diem vnquam factum est, vel fiet.* Quid est (*inquit Salomon.* Eccl. 1.) Quod fuit? Ipsum quod futurum est. Quod est, quod factum est? Ipsum quod faciendum est. Addit *P. Corn.* In tanta turba necesse est, irrepant MVLTI sensuales, torpidi, melancholici, ceruicosi, turbatores, cupidi, & alijs titulis inhabiles. Pergit *Rib. Pauci, qui perfecti essent, aut qui ex animo ad perfectionem properarent, omni tempore inuenti sunt; multi, qui diu, nulli; Senex est iam mundus; non mutabit mores, vt opinor. Quod pretiosum est, rarum semper fuit,* & stultorum infinitus est numerus Eccl. 1. Hæc *Corn.* eadem. Addit *Rib. Consideremus Matrem omnium Religionum Ecclesiam. Cum pauci erant,* erat omnium credentium Act. 4. cor vnum, & anima vna, communia erant omnia, neque quisquam aliquid suum esse dicebat. Qui possessiones habebant, vendebant, & pecuniam ponebant ad pedes Apostolorum. *Auctus est numerus, & imminuta sanctitas, vt verè dicat* Isa. c. 9. Multiplicasti gentem, non ma-

gnificasti lætitiam. *Peruenit Apostolorum numerus ad duodenarium; Vnus fur, & proditor inuentus fuit. Additi sunt 72. discipuli; Vnus ex eis nouæ heresis auctor extitisse a multis putatur Nicolaus. Putamus aliquam Religionem, vel sãctiorem esse Catholica Ecclesia, vel maiori Dei prouidentia gubernari. Quod igitur passa est mater, filiæ non patientur! Sed in Ecclesia bonos, & malos esse oportet, quæ similis est* Matth.13. sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti; *in ijs autem, qui lumen Ecclesiarum, & exemplar sanctitatis, & quasi stellæ lucentes in cælo esse debent, NVLLOS esse oportebat (saltem post tempus probationis præstitutum, vt mali foras mittantur) qui non essent iam perfecti, aut perfectionis sinceri, verique sectatores. Quorsum enim probationis tempus constitui in Religionibus Deus voluit, nisi vt illi excluderentur, qui tales nõ essent? At nunc earum Moderatores nulla de re magis soliciti esse videntur, quam de sua quisque Religione augenda, & propaganda, deque nouis domibus extruendis, nec quotidiana malorum experientia docentur.* Harum loco linearum *Corn.* reposuit. *Pauci ergo, & exactè probati in Religionem admittendi sunt,* vt notat Rib. in Os.2.n.10. *Hi enim in Ecclesia debent esse exemplar sanctitatis, & quasi stellæ lucentes in cælo. Quàm ergo errant hodie, qui non aliud curant, quam vt suos Ordines augeant numero, & propagent, vt nouas Domos, Monasteria, Residentias conquirant, vel extruant, parum de disciplina, & spiritu soliciti! HINC scandala; HINC laxatio disciplinæ; HINC votorum violatio; HINC Monasteriorum, & Ordinum ruinæ. Meritò ergo dixit B.Ignatius, & ex eo noster Borgia, RELIGIOSI nomen suum, & gradum non NVMERO, sed VIRTVTE tenent. Ita duodecim Apostoli pauci numero, sed magnæ virtutis, totum Orbem conuerterunt. Quocirca illi ipsi non nisi paucos, & selectos in Societatem nostram admittebant, & posteris, vt idem facerẽt, præscripserunt &c.* Idem habet *Laurent.Peyr.* de Præl.Relig.tom.1.q.2.c.2.§.2.latè; qui & refellit prudenter duplicem excusationem multiplicandi domos Regulares, ad scilicet hospitio excipiendos Fratres, qui iter conficiunt, & ad adiuuandos proximos &c. ac affert præterea ad id *Aluar.* e S.I. de Vit. Spir. tom.2.lib.5.p.1. c.14. inter quatuor causas relaxationis Regularium numerantem secundam, *desiderium extendendi, & amplificandi Domos:* Sed ante hos omnes *Hugo* de S.Vict. Can. Aug. vir clarissimus de quo Six.Sen.lib.5. Biblioth. lib.2. de Claus. An.c.2. monuit, tenendam esse circumspectionem primam in numero Fratrum, vt tot simul habitent, qui ordinatè viuere possint, ne vel excusante paupertate irregulariter viuant, *vel pro multitudine cohabitantium necessitati eorum illicita quærant; Qui enim multos congregant, necesse est, vt eorum victui multa quærant, sed dum quærunt plura, crescit exteriorum cura &c.* quæ sanè dum crescit, minuitur cura interiorum, regularis disciplinæ &c. *TERTIA est: Quod plurimi contra Consilium Christi* Luc. 14. v.28. *Non considerantes, non tantum præcepta, sed etiam consilia seruare, rem esse difficilem, & arduam, quam omnes perficere non possinc,* non æstimant, atque metiuntur vires suas, antequam id oneris tollant (vt ait Mald. ibi) ne

temerè

temerè suscepto succumbant. Hinc illa *Mart. Nauar.* Can. quoque Regul.S.Aug.Com.1. de Regul.quem cum alijs duobus recognouit an. 90. suæ ætatis, & ann.Christi ann.1582.n.7. vbi notandum proposuit, quod Regulares,& Religiosi expressè,vel tacitè professi solum Deum, & quæ Dei sunt,curare deberent c 12.q.1. C.*Cui portio*,ad huius declarationem admonet hoc. *Primùm,quod MVLTI parum Religiosè intrant Religiones, & ideo ingressi facilè egrediuntur, vel professi latè illas seruant; multi enim fortè admoniti*, quod S.Th.definiuit 22.q.fin. ar.vlt. scilicet, quòd intraturus Religionem non debet esse necessariò in præceptorũ obseruantia exercitatus, neq. consulere multum de suo ingressu, quia in certis non est multum consulendum secundum Philosophum 3.Eth. & certum est ingressum de se esse bonum; certum item illos, qui Religionem ingrediuntur,non confidere,in virtute sua se posse subsistere, sed auxilio virtutis diuinæ; *MVLTI, inquam, fortè hæc admoniti sine alia praua dispositione eas ingrediuntur,alius quidem parentum metu,vel importunitate; alius vt se de illis vindicet ingerendo illis dolorem;alius,vt vitet iustas reprehensiones,fugiat curas,labores,egestatem,opprobrium, vel contemptum aliorum; alius,vt fiat Abbas, Prior,Commendatarius, Beneficiarius; alius,quia se priùs voto,ira,leuitate, timore mortis, vel alia de causa,quam deuotionis,vouit ingressum. Sanctus enim Th.vt rectè Caiet.in Regenda Religione versatissimus, quippe qui fuit Generalis illustrissimi Ordinis Prædicatorum prouidentissimus in dicto art. aduertit, non est intelligendus de quocumque intrare volente,sed tantum de bene disposito; qualis est, qui omnem suam fiduciam sustinendi onus Religionis ponit in Deo,& interiori affectu vult relinquere omnia, ita vt non remanet affectus ad honorem,non ad gloriam,non ad carnem,& sanguinem, neque ad id genus alia; quia in hac renunciatione, seu expropriatione consistunt sumptus ædificandi turrim perfectionis in Religione, de qua Luc. 14. nam sine hac interiori renunciatione, & expropriatione,vt ille ait,nunquam ædificabit eam, nunquam ad perfectionem perueniet, sed patebit risui: Sicut enim taliter renuncianti, & se abdicanti iugum Religionis est suaue, quoniam aufert perturbantia, & molestiam inducentia, vt B.Gregor.citatus ibi a S.Thom. dicit, & consolationem dilectionis internæ affert; ita temerè sibi imponenti sine tali renunciatione, siue computatione sumptuum, fit laboriosum, & molestum, & est palato non sano insuauis panis, qui sano est suauis.* Hæc Religiosus habitu, ac vna moribus religiosissimus *Nauar.* Etiam *S.Bern.*cap.29. de Conu.ad Cler. vt iam significatum est, hæc *Luc.* accommodat Clericis Castitatem vouentibus. *QVARTA est Ingressus in Religiones inobseruantes, seu re ipsa irregulares,* in quibus non viget obseruantia trium Votorum, & præcipuarum saltem quarumdam suarum Constitutionum,ac subditi ferme suo arbitratu viuunt,ac Prælati non vigilant pro obseruantia legum, aut solum detinentur circa temporalia, de directione subditorum ad perfectionem nullatenus soliciti,cum tamen ad illam,& hanc ex iustitia teneantur; & ad summũ, dummodo quidam adsint Choro, vel quidam pro eleemosyna eroga-

tà in diès celebrênt, licet minùs dignè, satis se muneri suo fecisse putant &c. Dum enim hæc laxitas conspicitur, & maximè si abundent Religiones reditibus, complures eas ingredi queunt e motiuis quoque non probis &c. & hinc laxitas semper maior in non paucis Religionibus; Cum tamen expediret quasdam valde scandalosas, quibus nulla spes Reformationis, maximè cum Reformatio a multis reijceretur, eò quod sibi suaderent ad eam non teneri, cum ad talem solum obseruantiam, quā viderant tunc in Religione, se obligauerint, extinguat eas omnino, vt iam latiùs n.16. Mirum est, quod non animaduertatur id, quod habet idem *Caiet.* in fin. ar.8. q. fin. 22. *Esse Vituperabile, non solùm inducere, sed etiam ingredi, & recipere ad vitam irregularem personas vtriusque sexus, quamuis Ecclesia hoc toleret permissiue*: & cum sit actus ex suo genere malus, posse esse malum malitia læthali, vt colligitur etiā e *Nauar.* eodem c.12. Man. n.45. & 46. afferente hæc *Caiet.* verba; vbi quoque cum *Mai.* in 4.d.38.q.20. sentit Votum de ingressu talium Religionum non obligare; quod & sentiunt e S.I. *Laym.* lib.4. tr.5. cap.6. n.5. & *Busemb.* in Med.Th.Mor.lib.4.dub.5.resp.2.n.1. His annumerari possent Regulares illi, qui licet mirificè in numero aucti, post sæculum quoque euolutum existimarent hoc sibi Deum, quod nulli concessit Religioni, nec matri omnium Religioni Ecclesię, quemadmodum aiunt *Rib.* & *Corn.* priuilegium concessisse, vt S. Fundatorum Constitutiones *apud se inualescerent magis, nec aliquid* (ab ipsis tamen cæcis) *cerneretur disciplinæ detritum, sed continenter auctum*; hi enim, quamuis Reformatione indigerent, nec leui, illam contemnentes, augerent, & multiplicarent suos in dies defectus, & sic redderentur incurabiles, vt indicat *S.Chrys.* Hom.14. in Ep. ad Eph. Nec talis sensus de se ipsis esset recens hoc sæculo in Ordine aliquo Regulari, cum etiam fuerit huiusmodi sæculo decimoquarto apud nonnullos certi ordinis referente *Ioan. Nider* ex Ord. Præd. lib.2. de Reform.Reg.c.9. Si autem hi præterea Regulares arbitrantes suum Ordinem esse cæteris præstantiorem in pietate, ac doctrina, ac nullos planè Religiosos habere tam facilē ad Superos aditū, ac fęlicitatē, quę possit excogitari humana non dissentanea Euagelicæ legi, sibi adesse, plurimos allicerēt semper ad aggregandum se suo Ordini; Quidni in dies vitia in eodem amplificarentur perpetuo? Vnde sic sensim euaderet Ecclesiæ perniciosissimus, licet antea fuisset eidem fructuosissimus. *QVINTA emissio Votorum* 1. *EX DOLO*, siue Religiosorum quasdam falsitates narrantium de moribus, & consuetudinibus suis, quædam mendaciter promittentium, &c. siue Consanguineorum multa similiter spondentium, vel affirmantium filium, vel nepotem &c. non posse frui tali hæreditate, non posse a se ali congruè &c. ita vt secus quis statum nō amplecteretur religiosum: Vt enim eruditè probat *Basil.Pont.* lib.4. de Matr.c.21. a n 7. *Si in qualitates etiam accidentales, ac extrinsecas, vel etiam impertinentes*, ita feratur voluntas in aliquod obiectum, ita vt nolit illud, nisi cum tali circumstantia, ea non subsistente non obligat contractus quilibet, etiam

matrimonialis, nec promissio maximè libera, qualis est votum; vt clarè n. 9. idem tradit, subdens; *Neque refert, quod error, seu dolus, possit cadere in virum prudentem, aut quod melior sit facta conditio vouentis per professionem, atq. ideo deceptus dici nequeat, vt nonnulli existimant; Tantùm enim attendendum est, cui innititur, cum promittit, quod ad conscientiam attinet: Quare siquis Religionem ingreditur, existimans sibi non competere maioratum, aut non habere hæreditatem, vnde viueret, aliàs non expressè facturus, his rebus aliter se habentibus professio coram Deo nulla est: imò & existimo audiendum ab Ecclesia, si de errore legitimè constaret, videlicet ex illius verbis, protestationibus, aut alijs, quibus animum suum significasset &c.* *EX METV*, *etiam REVERENTIALI*, vt non semel definiuit Sacra Romana Rota, ac esse communem sententiam in professione scribit Couarr. in 4. decr. §. 3. c. 6. n. 7. at non in matrimonio: & hic *est futuri mali existimatio, quod quis ab his metuit, in quorum legitima potestate est, vel quos cultu, & honore dignatur*, ità vt satis sit ad illum timor indignationis paternæ, seu torui quasi semper aspectus, vultus seueri, exprobratio verbis durioribus, vel tractatio non instar filij; vel etiamsi solæ adsint preces importunæ illorum, quibus reuerentia debetur; Qui etiam respectiuè grauis est; potest enim, qui est leuis respectu vnius, esse grauis respectu alterius &c. vt communis planè sententia est: Ne desunt Doctores, qui inde etiam docent *etsi metum, leuem quemcumque* reddere irritam professionem quoque; quod probabile putat *Less.* ipse e S.I. lib. 2. de Iust. cap. 40. n. 17. ac 18. qui & ait; *si probabile* est, illum sufficere ad reddendum etiam matrimonium in foro conscientiæ inualidum, vt cum quibusdam sentit *Nauar.* cap. 22. Man. n. 51. §. *Septimum*, & lib. 1. Consil. tit. 39. Consil. 1. n. 7. *multò magis Votum, atq. Professionem.* 3. *EX IGNORANTIA* conditionum substantialium trium Votorum, seu adeo grauium, vt moraliter existimentur pertinere ad substantiam Voti; hæc enim ignorantia, vel occultat obiectum, vel illud mutat, vt ait *Suar.* tom. 2. de Relig. lib. 1. de Voto c. 11. a n. 12. seu adeò grauium, vt si voluntas intellectui illas proposuisset, haud tale votum emisisset: Quod pariter dicitur de *ERRORE*, si sit circa substantiam voti, aut conditiones aliquo modo in votorum substantiam redundantes; quod pluribus modis fieri posse significat *Less.* n. 12. seu etia accidentales, vel impertinentes, vt dictum est supra, cum in eas qualitates verè animus profitentis nititur: *Ratio horum est;* Quia status Religionis est status supernaturalis, ac perfectionis, ac naturalibus per se repugnans animi propensionibus, adeoque summam libertatem requirit, ac liberrimè omninò acceptari debet. Cum igitur complurium professio irrita verè coram Deo sit ex hisce capitibus, & hi neque audeant post quinquennium reclamare, vel non possint, vtpote, quod in foro exteriori non possint probare inualiditatem professionis, nec velint professionem ratificare, aut nequeât Monasterium deserere &c. fit, vt non existiment se peccare contra Vota Religiosa, si ea non seruent; & hinc improba in legitimè professos exempla &c.

Idem

Idē si fiat tanta mutatio ex parte materiæ e nouis circumstantijs, ac nominatim mortis, similisque incommodi in vita, fama, honore &c. per se singulariter ardui, vt si quis illas preuidisset, haud tale votū nuncupasset, sicut explicat idem *Suar.* lib.4.de Voto c.19. ac 20. ac tom.4. de Relig.tr. 10.lib.11.c.2.ac 3. id enim ad *Ignorantiam* meritò reuocatur. *SEXTA est sollicitudo circa temporalia, ac in eadem propensio*. Id animaduertit B. Borgia in litt.de quibus supra n.10. sic inquiens. *Illud in primis sollicitos nos tenere debet, ne Religionis, aut zeli specie dum Collegia stabilire, aut Domibus volumus adiumento esse, subeat animum sollicitudo immoderatior, propensioque cupidior, quàm probari possit hominibus externis, & sæcularibus, atque adeo domesticis ipsis dolorem afferat, & mœrorem: Nam cum curam vehementiorem habendi probibitam nobis in Euangelio sciamus, illud omni contentione vitandum est, ne prætextu zeli alicuius minuatur in nobis nostra recordatio paupertatis; ac subintret CVPIDITAS BONORVM TEMPORALIVM, QVAE CERTISSIMA PESTIS EST RELIGIONVM earum, quæ aditum penitus huiusmodi peruersis affectibus non occluserunt*. Equidem *S.Ignatius* p.6.c.2. §.1. & p.10.§.5. Paupertatem appellat Murum Religionis *firmum*, ac *Propugnaculum, quod eas in statu suo, & disciplina conseruet; vnde illud dæmon debilitare; ac varijs rationibus euertere nititur &c.* Experientia certè liquet, quando Religiones cæperunt abundare diuitijs, cæpisse tunc egere virtutibus, & quò ditiores, eò in virtutibus pauperiores euasisse, ac vitijs spiritualibus primò, ac deinde carnalibus deprauatas fuisse. Causas autem hasce auertere a Religiosis Ordinibus irregularium morum ad quemnam magis spectat, quam ad R.P. qui est supremus Generalis illorum, & cui in primis obedientia promittitur ab omnibus Religiosis? Cur non præcipiat seuerè, vt exploretur diligenter spiritus illorum, qui Religionem ingredi volunt; an ex motiuo supernaturali moueantur; & peculiariter, *an semet expropriauerint affectu ad res terrenas, seu illis omninò renunciauerint affectu*; quæ inquisitio *diligens* si omittatur, declaretur in foro interiori peccari omnino mortaliter ab ijs, qui tenentur examinare admittendos ad Religionem, & admittere ad Nouitiatum, & Professionem, non minùs ac peccetur ab Episcopis, vel eorum Vicarijs &c. Si examen, quod paulò ante explicatum fuit, omittant, vel negligenter faciant, puellarum, antequam profiteantur, præter innouationem pœnarum, quas decreuit *Sixtus V.* probauitque Clem. VIII. Ac *præterea* diligentissimè Nouitij certiores fiant de obligationibus Votorum, & Constitutionum, & Consuetudinum &c. Minuatur potiùs, quam amplificetur cuiusque Ordinis Religiosorum numerus; Quarumdam Religionum Religiosis concedatur facultas, vel ad alios Ordines transeundi, vel manendi in sæculo cum Ecclesiastico habitu, deletis Religionibus, quæ non sunt necessariæ nec vtiles, vt indicat S.Tho.q.188.22. in fin. ar.1. & multò magis, si noxiæ animabus laicorum; Certus præscribatur terminus quorumdam Regularium reditibus, puniantur que illi, qui artibus quibusdam ingenuo homine,

nedum Christiano, Catholico, ac Religioso, sibi legata, vel hæreditates aucupantur &c.? Verum tamen est, nunquam Regulares Ordines reformari posse (non multi autem sunt, qui reformatione non indigeant) nisi liber exitus omnibus impertiatur a R. P. ad vitam inter sæculares agendam, ita vt qui manere velint in tali Religione primæuam omninò regulam, vel ab Apostolica Sede probatam, seruare teneantur; & quilibet in eam admittendus talem regulam omnino profiteatur, ac identidem Visitatores Apostolici mittantur, qui inuestigent, an ea seruetur &c. ac puniantur transgressores subditi, & multo acriùs Superiores; ac interim obligationibus de iustitia talium Religiosorum satisfaciant alij sæculares Clerici, vel Regulares obseruantes &c. Quod licet initio non leuibus esset obnoxium difficultatibus, maximè cum id plurimis sæcularibus esset ingratissimum, ac nominatim Consanguineis illorum, qui a Religionibus discederent; tot commoda tamen afferret postea, vt huiusmodi R. P. consilium posteri omnes summis laudibus essent celebraturi. Noxium autem cunctis Ordinibus fuisse notissimum est decretum quorumdam R.P. vt certi Ordines, vel etiam omnes, multorum spatio annorum nullum admittere possent; nam vbi istud interdictum cessauit, si priùs non digni admittebantur, tunc indigni prorsus, ac indignissimi fuere admissi, subrogati loco complurium, qui illis obierant annis; adeoque Religiones non obseruantes inobseruantiores redditæ sunt, & obseruantes minus postea obseruantes. Quamobrem cum Religionem aliquam prudenter censet R. P. extinguendam, haud sinat eos, qui tunc viuunt, in eadem permanere, solum prohibendo, ne in posterum quis in ea professionem emittat, sed illos omnes ab ea remoueat, congruis, quousque viuant, e reditibus Religionis, si eos habeat, cuique designatis; nam alioquin, si non ipse, ipsius successor facilè, vt iam non semel contigit, Principum impulsus etiam precibus, admissionem elargietur; & sic semper disciplina Regularis in ea relaxabitur. *De hisce satis*; attamen non satis pro rei pondere. Quam vehementer oderit Deus suorum incontinentiam Ministrorum, ac irregularem Regularium vitam, ipsemet Christus declarauit dilucidè *S. Catharinæ Senensi*, quæ decimotertio vixit sæculo, vt habetur in illius *Dialogis de Diuina Prouidentia* cap. 121. 123. 124. 125. 126. Par igitur est, vt capitali odio R. P. Dei imitator prosequatur illorum crimen, qui *Deo mentiuntur*, non præstantes, quod Deo, cuius vicem gerit, sunt polliciti.

CXIX. Si R. P. in Conclaui inter Cardinales, vel postquam electus est Pontifex, Deo quidquam promisit, clam quoque, & multò magis, si quoque id iuramento confirmauit; caueat ne illud omittenti, licet a nemine cogi possit ad standum voto, ac iuramento, Deus sibi exprobret, *Cur tentauit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto?* ac timeat, ne inopinatè aliquando expiret, Sacramentis quoque non susceptis. Meminit, si quod viuit, aut iurauit, futurum erat valde opportunum suæ saluti, vel directioni ouium Christi in æternam salutem, dispen-

ſpenſationem ſecum factam a ſe ipſo fore inualidam coram Deo, vt pote e cauſa verè non probata coram Deo orta: Atque præterea, ſe non eſſe *aptum regno Dei*, ſi iam electus, vbi propoſuiſſet ſe totum addicere paſcendis ouibus Chriſti, ſe vnicè Eccleſia, quam ſibi deſponſauerat, dilecturum, ab omni non æquo Conſanguineorum amore remotum &c. & incæpiſſet id exequi; nihilominus paulò poſt alias ſuſciperet curas, inter quas præcipua foret de ſuis locupletandis Conſanguineis, ita vt ſolicitudo omnium Eccleſiarum, & Dominici Gregis cuſtodia eſſet abſque dubio poſtrema: Etenim Suar. tom. 2. de Relig. lib. 1. c. 2. a n. 18. latè explicans illa Chriſti verba Luc. 9. in fin. *Nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt regno Dei*; vbi init. ſapiēter ſignificauit, *mittere manum ad aratrum plus eſſe, quam proponere*, quia ille iam facit aliquid, non verò qui ſolùm proponit; ſubdit *eum, qui ad ſequendum Chriſtum* animum applicat (non tantum ad id animum applicare, ſed & re ipſa *ſequi* tenetur R. P. non ſolum vt Apoſtolus, ſed & Apoſtolorum Princeps, & Eccleſiæ totius præſes, vt Petro iam Pontifici indixit bis Chriſtus Ioan. 21. verſ. 19. & 22. vt n. 95. oſtenſum eſt) ac deinde *animum a temporalibus curis, parentibus, cognatis, & negotijs non amouet*, vt explicat *S. Baſil.* c. 21. Monaſt. Conſtit. ſeu *contrariè auertitur* a bono illo, cui manus appoſuerat, & ad oppoſitum malum conuertitur, *non eſſe aptum*, ſeu fieri *ineptum*, *& indignum cælorum regno*; idque ait inſinuaſſe *S. Hier.* in Iſ. v. 4. *Væ Genti peccatrici*, & in Pſal. 26. v. 11. *Legem pone mihi Domine*. Quæ oppidò explicatio conſona eſt verbis Chriſti ſic reſpondentis illi, qui ſe ad Chriſti ſequelam obtulerat v. 61. *Sequar te Domine, ſed permitte mihi primum renunciare his, quæ domi ſunt*, ſiue de rebus meis diſponere, & vale dicere domeſticis meis. Nullus planè ſit eiuſmodi R. P. nam præter a cælorum regno excluſionem, ſempiternam in terris poterit conſequi hypocritæ notam. Conſtans ſemper ſit in ſuſcepta ſemel Euangelica, & vitæ Paſtoralis ratione; & aduerſus temporalia Pontificiæ dignitati annexa hæreticis inuehendi, quaſi obſtantia executioni munerum, quæ ſunt propria verè R.P. omnem prorſus occaſionem auferat.

CXX. Haud ſibi ſuadeat R.P. ex hoc S. Petri facto ſatis probari in ipſo, multòque minus in alijs Eccleſiaſticis Præſulibus, facultatem temporales infligendi pœnas ijs, qui Eccleſiaſticis, vel Diuinis quoque non eſſent obſequentes mandatis; nam factum illud ad extraordinariam ſpectat poteſtatem Petro, reliquiſq. Apoſtolis a Chriſto conceſſam, vt Chriſtiana fides, & religio maiori veneratione coleretur, ac Ethnici ad eam facilius allicerentur, ſeu ad miraculorum poteſtatem; quemadmodum habetur e *S. Aug.* lib. 22. de Ciuit. c. 8. *Chryſoſt.* epiſt. ad Olymp. *Greg.* Hom. 29. in Euang. Quam poteſtatem adeptus etiam S. Paulus Elimam Magum cæcitate percuſſit Act. 13. verſ. 11. atque ipſi Sathanæ quemdam tradidit vexandum 1. Corinth. 5. verſ. 5. vt interpretantur *Criſoſt. Pacian. Ambroſ. Anſel. Theoph.* nulluſque ex SS. Patribus, vel antiquis Theologis hinc collegerunt in Eccleſia poteſtatem decer-

nendi

niendi pœnas temporales, ſed ſpiritualem tantum excommunicationis pœnam. Equidem *S. Chryſ.* lib. v. de Sacerd. ait; *Exteri quidem Iudices cum facinoroſos homines leges transgreſſos fuiſſe deprehenderint, magnos ſe præditos auctoritate, ac poteſtate oſtendunt, eoſdemque vel inuitos, ſuos ipſorum mores mutare cogunt; Hic verò non vim afferre, ſed ſuadere tantum oportet atque hac ratione meliorem efficere, quem emendandum ſuſceperis; neque enim nobis* (Sacerdotibus, ſeu Epiſcopis) *facultas tanta a legibus lata ad delinquentes coercendos &c.* addit poſtea; *ſi etiam quis a recto Chriſtianæ fidei tramite aberrauerit, non illi vim inferendum, neque terrore cogendum, ſed ſuadendum tantùm &c.*, nec non Hom. 4. de verb. II. ait, *Sacerdotis tantum eſſe arguere, liberamque præſtare admonitionem, non mouere arma, non clypeos vſurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec iacula mittere, ſed tantum arguere, & liberam præſtare admonitionem*. Pariter Concil. Pariſ. Patres ſub *Lud.* & *Loth.* ann. 829. lib. 2. c. 2. quod inſcribitur, *quid ſit proprium miniſterium regis*, poſt multa illud *Iſid.* c. 53. lib. 3. de Sum. Bon. approbarunt, *Principes ſæculi nonnunquam intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, vt per eamdem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam tueantur. Cæterum intra Eccleſiã poteſtates non eſſent neceſſariæ, niſi vt quod non præualet Sacerdos efficere PER DOCTRINAE SERMONEM, Poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cæleſte regnum proficit; vt qui intra Eccleſiam poſiti, contra fidem, & diſciplinam Eccleſiæ agunt, rigore Principum conterantur, ipſamque diſciplinam, quam Eccleſiæ vtilitas exercere non præualet, ceruicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat, & vt venerationem mereatur, virtutem poteſtas impertiat. Cognoſcant Principes ſæculi debere ſe Deo reddere rationem propter Eccleſiã, quam a Chriſto tuendam ſuſcipiunt; nam ſiue augeatur pax, & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſiue ſoluatur, illis ab eis rationem exiget, qui eorum poteſtati Eccleſiam tradidit*. E quibus repoſitis etiam 23. q. 5. c. 20. habetur: *TVM* Sæculares Principes, ac magiſtratus teneri temporalibus pœnis coercere illos omnes, qui Eccleſiaſticam non ſeruant diſciplinã, & a Deo puniendos, ſi permittant eam diſſolui, multòque magis ſi detrectent eas decernere contra illam violantes, vel contemnentes, maximè ſi Eccleſiaſtica Poteſtas eorum ad id opem imploret; iudiciumq. planè duriſſimum ſubituros, ſi foueant, quicumque plane ſint, Eccleſiaſticæ perturbatores diſciplinæ: *TVM* ad Principes ſæculares ſpectare per ſe temporales infligere pœnas non ſolum iis, qui legibus Ciuilibus, ſed etiam Eccleſiaſticis non obtemperant, nedum dumtaxat teneri ex lege Chriſti dare operam, vt ſcribit *Card. Bell.* c. 18. lib. 3. de laicis, vt ea fides ſeruetur, quam Eccleſia Catholica docet eſſe tenendam. Et hinc illa nonnullorum opinio Theologorum priſcorum quoque, omnes pœnas corporales, quibus vtitur Iudex Eccleſiaſticus, eſſe ex iure poſitiuo, & ex conceſſione Principum, qui ob ſingularem eorum deuotionem iuriſdictionis temporalis multum alicubi Clero tradiderunt; de quibus *Ioan. Gerſ.* de Pot. Eccl. Conſid. 4. *Almay.* de Dom. Natur. in-

probat.

probat.concl.1.de qua re dicta sunt plura num.71. & 72. *Praeterea animaduertendum est*; Quando S.Petrum semel, ac S.Paulum bis, e sacro textu habetur, tantùm haec seueritatis signa exhibuisse, & illum quidem contra Voti violatores, istum verò contra eum, qui auertere conabatur Proconsulem a fide Christiana,& contra eum, qui fornicationem commiserat, *qualis nec inter gentes*; cum tamen alias summae benignitatis exempla dederint frequentissima; Et hinc quibusdam Praesulibus Apostolicis litteris legatur indictum; *Vt in Praelationibus suis, benignitatis, ac mansuetudinis, charitatisque Christi, Petri, Paulique formulae semper sint memores &c.* Seueritas aliquando quidem in Ecclesiasticis poenis adhibenda a R.P. vt iam n.117.& 119. quae etiam interdum magis laudatur, quam clementia, vt declarant Theologi ad 22. q. 157.& 159. Verùm clementiae, ac misericordiae in ijsdem, & multò magis in temporalibus, quarũ habet potestatem, vsus debet esse R.P. frequentissimus, imò vsitatus, CHRISTI memor benignitatis; cuius seueritatis, clementiae licet admixtae, cum solum Ioan.2.v.15. *fecerit quasi flagellum de funiculis*, duo exempla tantùm contra templi prophanatores Euangelica proponit Historia; simulque DEI, cuius *miserationes super omnia opera eius* Ps.144.v.9. vbi & v.8. dicitur, *miserator, & misericors Dominus; patiens, & multùm misericors.*

Act.5.a vers.15.

CXXI. SOlius inter Apostolos Petri corporis vmbram infirmos sanasse in sacris Codicibus legitur. Eiusmodi probitatis debent esse R.P. mores, vt non solum oculis expositi, sed & auribus propositi homines a vitijs retrahant, & ad virtutes attrahãt. Sanè cũ Eccl.19.v.26.27. dicatur, *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus; amictus corporis, & risus dentium, & ingressus hominis enunciant de illo*; ea grauitas modesta fulgere debet in vultu R.P. omnibusque corporis motibus, ac gestibus, vt peccatores a perditionis via retrahat, iustosque magis inflammet ad prosequendam, quam inierunt viam, ducentem ad vitam, illius tantum praesentia. Certè cum cuiuslibet Clerici *habitus, gestus*, ac *incessus* ipse, *nil, nisi graue, moderatum, ac religione plenum praeseferre, & cunctis afferre veneratione* debeant c.1.ses.22.Trid. Quid de R.P. habitu, gestu, incessu, etiã semoto sermone, affirmandum? At non par esset, vt nil nisi diuinũ quid eius spiraret aspectus, similisque in hoc Christo attraheret homines ad Christum? Quid si ipse celebrantibus Cardinalibus, aut Episcopis, in Sacello Pontificio, alijsue Diuinis ibi officijs, minus illis attentum semet ostenderet, oculos huc, & illuc conuertens, cum proximis sibi in Pontificia Sede alloquens &c.? Quid si idem efficeret, Sanctissimum Eucharistię Sacramentum circumferens, in Processionibus con-

suetis

fuctis in festo Corporis Christi, die Purificationis B.V. Dominicæ Palmarum, ac fer.5. in Cœna Domini? Confirmarenturne Catholici in fide de *Sac. Eucharistia?* Hæretici profectò confirmarentur in suis de illo sensibus.

CXXII. Si quando fieret, vt Princeps aliquis e politicis finibus obstaret, ne pertinentia quædam ad fidem dogmata ritè discuteret, ac examinata proponeret cunctis fidelibus R.P. vnde ex omissa discussione, vel promulgatione errores in Catholicorum animos irreperent, constantissimè ostendat, se illius etiam minas nihili æstimare, sentiens cum Petro dicente; *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*; vndique nunquam omittens, quod fidei propagationi necessarium foret, aut summopere opportunum, imitator sit eiusdē Petri cum Apostolis, qui, licet eis a Iudæorum concilio *denunciatum fuisset, ne omninò loquerentur in nomine Iesu*, omni tamen *die non cessabant in templo, & circa domos docentes, & Euangelizantes Christum Iesum*. Quam excelsum se, magnanimumque ostendere debeat R.P. contra Principes ipsos, multoque magis contra alios non æqua postulantes, significatum est n.18. & 114. init. Caueat quidem ipse, ne ex temporali minus æqua causa Principes irritet, vel non beneuolos Apostolicæ Sedi reddat; quod nominatim continget, si quasdam opiniones euulgari sinat, ex quibus illorum subditi euadant aliqua ex parte sectatores *Iudæ Galilæi*, de quo fit mentio v.37. & a *Iosepho* c.1. lib.18. Antiqu. Hic enim negabat a Iudæis soluendum esse tributum Cæsari, seu Romano Imperatori, vtpote omnino liberis a seruitute cuiusque Principis; vnde plurimos ad seditionem, ac rebellionem contra Cæsarem concitauit; qui deinde cum pluribus e suis *periit*, ac reliqui fuere *dispersi* &c. Quapropter prudentissimè Apostoli Petrus, & Paulus, cum secta Christianorum diceretur Galilæorum, illiusque Princeps diceretur *Iesus* a Galilæa, ne existimaretur esse instar sectæ Iudæ Galilæi, monuerunt Christianos, *vt essent subiecti Principibus suis, redderent tributum, vectigal &c. & tanquam ministros Dei* illos haberent Rom. 13. *essent subiecti Regi, eiusque ministris, illum honorificarent &c.* 1 Petr.c.1.v.13.18. & ad Tit. init. c.3. scribens Paulus illi indixit, *Admone illos Principibus, & Potestatibus subditos esse, dicto obedire &c.* Nec est dubium, quin aliquæ opiniones inter Catholicos euulgatæ de Pot. Rom. Pontif. ad rebelliones, seditionesque populos prouocent, imò & occisiones Principum &c. quas consultissimum esset omninò vetari, saltem tanquam valde scandalosas, si non contrarias verbo Dei &c. vt indicatum est n.28. & 114. Prætterquam si hæ probabiles existimentur, etiam aliqui censebunt, esse probabile, quod liceat iubere Principibus Catholicis occidi Pontificem, qui suis prauis moribus foret maximè noxius Catholicæ Religioni, cuius ipsi Principes sunt tutores a Deo constituti, & quos ipsi Trid. Conc. Patres aiunt, *Deum sanctæ Fidei, Ecclesiæque protectores esse voluisse*.

CXXIII. Petrus, & cæteri Apostoli gaudebant, quòd *digni fuissent habiti pro nomine Iesu contumeliam pati* a Iudæorum concilio. Non

vehe-

vehementer gaudeat R.P. *quòd patrimonium S. Petri sit amplificatum; quòd iurisdictio sua temporalis in ditione alicuius Principis sit aucta; quòd splendida munera sint sibi delata; quòd insueti honores in se collati; quòd a Principibus primarijs missi sint ad se Oratores cum amplissimo Comitatu; quòd in Datariam e beneficiorum distributione ingens pecunia fuerit importata; quòd suis Consanguineis, & Affinibus oblatæ sint occasiones semet locupletandi, ac in nobiliori, splendidiorique statu semet reponendi, & contrahendi affinitatem cum primarijs Italiæ, vel aliarum Prouinciarum familijs; quòd valeat rectè, vel antiquæ valetudini e morbo sit restitutus; quòd a multis celebretur; quòd Romanam Vrbem ornauerit, ac venustiorem reddiderit; quòd Pontificia palatia reddiderit magnificentiora &c.* Sed tunc gaudio potissimùm exiliat, si pro Christiana, & Catholica Religione, ac pietate proferenda aliquam contumeliam, seu iniuriam sibi, vel suis ministris illatam pateretur; vel persecutionem etiam solum verbalem impiorum quorumdam, vel Politicorum, vel auidorum Curialium pateretur *propter iustitiam* Matth.5. v.10. hoc est, *quòd ipse valde probis esset moribus, nolletque multorum insanis cupiditatibus morem gerere, reformationem in moribus complurium Curialium omninò vellet, & Cupiditatis notam, aut etiam quamcumque simoniæ speciem a Curia remouere contenderet; nollet conferre dignitates Ecclesiasticas, nisi cõspicuis ob mores, & doctrinam iuxta sacros Canones, ac Trid. Conc. declarationem probatam ab ipsis R.P. ius suum cuique tribueret nullius planè acceptor personæ; Consanguineos suos nollet ad sublimiorem euehere statum; imitari actiones Sanctiorum Pontificum, & conformare se pro viribus Christo, Petroq. contenderet &c.* Gaudeat quoque, si eò quòd alicui Principi quædam meritò non concesserit, aut permiserit, quædam illius opera minùs sibi grata immeritò euenerint.

CXXIV. Peculiari cultu R.P. prosequatur Angelum, qui e præstantioribus censetur esse, sibi assistentem, vt indicatum est n.53. hic enim peculiariter ipsum proteget, ac tuebitur contra quoscumque ipsum, vel Ecclesiam, siue Vniuersalem, siue Romanam impiè, ac iniquè oppugnantes. Sic Angelus Domini *aperuit ianuas carceris*, in quibus positus fuerat Petrus cum reliquis Apostolis, & *eduxit eos*, constantioresque illos reddidit.

Act.6. a vers.1. ad 9.

CXXV. HAud miretur R.P. si quasdam obmurmurationes, seu æmulationes, seu querelas inter Ecclesiasticos Sæculares, ac inter Regulares, etiam cæteroqui non improbos, audiat; nam primitiuæ Ecclesiæ *Græcorum factum est murmur aduersus Hebræos, eò quod despicerentur in ministerio quotidiano viduæ eorum;* quas etiam maiores existimet esse prorsus, licet ea-

rum plurimas ipse possit ignorare, quò Ecclesiasticorum, ac Regularium numerus auctus fuerit; dicitur enim ibi clarè, *crescente numero discipulorum factum est murmur &c.* At ipse non eiusmodi obmurmurationum querelarum &c. materiam subministret, nimis fauendo Ecclesiasticis sæcularibus, aut nimis fauendo Regularibus, vel Regulares ab omni plane in eos iurisdictione Episcoporum, seu loci Ordinariorum eximendo, aut istis omnem planè iurisdictionē in Regulares iuxta antiquissimum ius elargiendo; Vel Regularibus concedendo decimas, obuentiones &c. quæ iure debentur Episcopis, Parochis, vel eorum Ecclesijs; aut omnia concedendo emolumenta istis, ita vt licet Regulares, maximè Mendicantes, sint eorum cooperatores in ministerijs prædicationis, confessionis, *assistentiæ* morti proximis, mortuorum sepulturæ &c. nulla possint e suis laboribus reportare emolumenta &c. Omnes sanè dissensiones, quæ inter sæculares Clericos, & maximè Episcopos, & Parochos, ac Regulares, *pij Patris more* euellere nitatur, cum hæc Vniuersalis Ecclesiæ commodis sint perniciosissimæ, & hinc complures, tum Catholici, tum hæretici valde offendantur. Hæ quidem ascribendæ vt plurimum *superbiæ, cupiditati, & inuidiæ*; quas animi prauas affectiones acuit quam maximè dæmon, exploratissimum habens, ex hac discordia detractiones, odiaque inter eos, minoremque de animarum salute sollicitudinem oriri &c. Imitetur in hoc; tum *Bonif. VIII.* qui *grandi desiderio*, vt ipse inquit, *cupiens* huiusmodi discordiam euellere, quam *periculis plenam, onustam dispendijs, in conspectu diuinæ Maiestatis exosam* appellat, Constitutionem illam edidit, quam approbauit etiam *Clem. V.* cum *Vienn. Concil. Patribus* an. 1311. repositam c. 2. *de Sepult. in Clem.* iterumque eodem tit. c. 2. *Extr. Com.* tum *Sixtum IV.* qui laudatis, & Parochialibus Sacerdotibus, & Regularibus, potissimè Mendicantibus, quasdam contentiones inter eos sedauit c. 2. *de Treg. & Pac. in Extr. Com.* Et prudenter quidem *Clem. V.* in *Concil. Vien.* Constitutionem edidit de *Excess. Præl.* iubens eos abstinere a 30. grauaminibus, quibus Ordinarij premebant Religiosos, sicuti & *Greg. IX.* c. penult. & fin. eod. tit. ab alijs 27. iusserat priùs eos desistere illatis *Fratribus Prædicatorum, & Minorum*; sed & postea in sex casibus excōmunicat Religiosos agentes quædam contra Parochorum, vel Ordinariorum iura, & a septem præcepit eos abstinere; quæ Constit. legitur c. 1. *de Priuil. & Excess. Priuileg.* Pariter non ostendat se despicere alios Ordines Regulares, & præcipuè optimè de Romana Sede ipsamet, nedum Catholica Fide meritos, aliquos e selecto Ordine sæpissimè, ac diuturno tempore suo dignans alloquio, beneficijs souendo, præ alijs laudando, his noua, & amplissima priuilegia tribuendo, alijs auferendo, quamuis concessa in remunerationem meritorum de Apostolica Sede singularium &c. his reformationem non indicendo, alijs verò seuerè, quamuis non minus illi, quam alij eadem indigerent; aliaue similia ageret in aliorum dedecus, vel damnum, honorifica tamen his, sed non meritò, de quibus latè n. 18. *Non animaduertens*; non solum

hinc

hinc minùs beneuolos alios Ordines,& præstantissimos,ac doctissimos Viros reddi in Apostolicam Sedem;verùm & horum opera impelli ad quædam agenda, vel decernenda Apostolicæ Sedis honorem summopere imminuentia, & quæ confirmant magis sensus illorum, qui infallibilitatem extra Concilium Generale in decretis R. P. spectantibus ad fidem admittere nolunt; atq. præterea hosce audere in ipsamet Vrbe opiniones imprimere *honori Monarchiæ Pontificiæ* assertæ ab ipsis R.P. & Romana Curia, alijsque Theologis, & Canonistis compluribus, *venerationi recenter electi R.P.* imò *& eius Primatui* aduersantes prorsus. Quæ si agant huiusmodi homines; *An non culpam sustinent ipsi R.P. & R.C. primores, qui illos fouent, peculiari honore illos prosequentes; illorum consilia præ alijs existimantes; in omnibus fermè illis obsecundantes; illorum opera vtentes in speciosis quibusdam muneribus; ad illos confugientes in multis, quæ ab alijs, siue sæcularibus, seu Regularibus præstari possent; illorum scientiam cunctis præferentes &c.* Et quis ista conspiciens non superbiret, ac inde alios omnes non contemneret, aut saltem in paruo pretio se habere non ostenderet, & non in omnes planè dominatum quemdam præferret, sibique omnia licere non putaret? Adeone surdasse est R.P. vt *hoc murmur* non audiat, e quo ingentia multa hactenus in Christianam emanarunt Rempublicam mala, & ampliora, nisi, instar Petri, & Apostolorum, efficax breui adhibeat remedium, procul dubio emanabunt?

CXXVI. Videtur Petrus, tanquam os, & Princeps Apostolorum, nomine omnium dixisse, *Non est æquum nos derelinquere VERBVM DEI, & MINISTRARE MENSIS. Considerate ergo fratres, viros ex vobis boni testimonij septem plenos Spiritu sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus: Nos verò ORATIONI, ET MINISTERIO VERBI instantes erimus.* Quid minus æquum, quam animarum Pastores Apostolorum successores, ac potissimè R.P. Petri successorem, vacare ijs, quæ ad temporalia solùm spectant? Quid respondit Christus Luc. 12. *Dic Fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem* v.3. Nonne, *Homo quis me constituit Iudicem, aut diuisorem inter vos?* v.14. Quis monstrabit, inquit *S.Bern.* lib. 1 de Consid. *Vbi aliquando quispiam Apostolorum Iudex sederet hominum, aut diuisor terminorum, aut distributor terrarum?* Qui & lib.4. allatis 1.Timoth.3.v.5. *Si quis domui suæ præesse nescit, quomodo Ecclesiæ Dei curam habebit?* & 5.vers.8. *Si quis suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit &c.* sic Eug. alloquitur; *Non te moneo summis occupatum intendere infimis, & quasi minutum fieri, in minimis impêdere, quod maximis debes &c. Si vnus e seruis per se non sufficit simul & custodiæ iumentorum, & curæ mensarum: Tu per te quomodo intendere valeas, & tuæ domui, & Domini pariter, de qua scriptum est* (Baruc 3.) O Israel quam magna est domus Domini! *Vacuum prorsus a sollicitudine rerum minorum, & vilium oportet esse animum tam magnis, & tam multis intentum rebus*; & paulò post vbi inquit, *Quædam per temet facies, quædam per te, & alios, quædam per alios,*

& absque te, subdit, *Ego verò agenda domus tuæ eo genere, quod nouissimum posui, locanda censuerim*. Si sic dimittenda est *R. P.* domus suæ cura, quantò magis aliorum temporalium? Indignum quidem est *R. P.* negotijs temporalibus insistere maioribus occupato, hoc est spiritualibus. Sæcularia negocia sæculares tractent. *Si nemo militans Deo implicat se negocijs sæcularibus* 2. Timoth. c. 2. v. 4. Quantò minùs Dux militiæ cælestis, hoc est Ecclesiasticorum! Extat sanè Apostolorum Can. 7. repositus d. 88. c. 3. *Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus nequaquam sæculares curas assumat; sin aliter deijciatur*. Has penitus omittentes Apostoli nonne idoneos semet præstiterunt Orbis conuersioni, vt iam significatum est in fin. n. 47. e *S Chrys.*? An non calliditati dæmonis multi tribuunt, quòd temporalia multa possideant Ecclesiastici, ac præsertim *R. P.* vt his detenti, solicitudinem Ecclesiarum suarum Episcopi, & omnium Ecclesiarum *R. P.* omitterent, aut leuissimam haberent, vt n. 110. significatum est? Et cum modò Pontificium regimen sit mixtum (vt aiunt) e spirituali, ac temporali, vtinam non inualescat ea opinio, quæ apud aliquos Regulares iam inualuit circa Superiores suos, quod aptior sit ad illud (hanc insinuat quidam loquens de *Adriano VI.* in sua Historia) qui mediocri pietate pollet cæteroqui præcellens in negotiorum tractatione temporalium, quam præcellens in pietate, ac nominatim in Fide, & Charitate, quas tamen virtutes voluit esse summas in Petro Christus, vt latè declaratum n. 89. ac mediocri polleat notitia temporalium negotiorum. Non talis profectò dilucidè fuit S. Petri sensus, qui futuro successori suo S. Clementi (vt habetur 11. q. 1. c. 29. ex ep. 1. eiusdem *S Clem. ad Iacob. Frat. Dom.*) hæc præcepit. *Te quidem oportet irreprehensibiliter viuere, & omni studio niti, vt omnes vitæ huius occupationes abijcias, ne fidei iussor existas; ne aduocatus litium fias; neue in vlla aliqua occupatione prorsus inueniaris mundialis negotij occasione perplexus; neque enim iudicem, aut cognitorem sæcularium negotiorum hodie te ordinare voluit Christus; ne præfocatus præsentibus hominum curis non possis verbo Dei vacare, & secundum Veritatis regulam malos a bonis secernere. Ista namque opera, quæ tibi minùs congruere superius exposuimus, exhibeāt sibi inuicem vacantes laici; & nemo te occupet ab his studijs, per quæ salus omnibus datur*. Debet esse R. P. adeò a terrenis alienus curis, vt nemo audeat quoque petere, quòd temporalia tractet; vnde illa *Ambros.* in Luc. 12. vt supra, *non ergo quid petas, sed a quo postules, intuendum est; nec maioribus intento omnino putes minoribus obstrependum*. Verè homines, idest carnales, atque terrenos se declararent, qui terrenorum tractationem negociorum peteret a R. P. Vicario Christi, vt significat *S. Aug.* ser. 96. & ex eo *Strab. Lyr. Bed.* interpretans ly *Homo* in responsione Christi. Temporalia igitur alijs committat negocia, spiritualibus tantùm, vel saltem vt plurimum (si dandum est aliquid humanæ fragilitati, cum tamen R. P. sit plusquam homo, vt indicatum est n. 95.) se addicat. Sic in Vrbe ipsamet Romana egit S. Petrus; nam 8. q. 1. c. 2. ex ep. *Ioan.* 3.

ad

ad Episc. Germ. & Gal. legitur; *Linus, & Cletus ministrabant exteriora; Princeps autem Apostolorum Petrus verbo, & orationi insistebat.* Hisce doctrinis, & exemplis Apostolicis innixi Patres Concilij Carthaginensis 4. num. 214. an. 398. Nou. 8. c. 17. 18. 20. statuerunt, vt Episcopus *nullam rei familiaris curam ad se reuocet; testamentorum tuitionem non suscipiat; gubernationem viduarum, & pupillorum, & peregrinorum non per se ipsum, sed per Archipresbyterum, aut Archidiaconum agat* d. 98. c. 5. 6. 7. & postea Patres Concilij Chalcedon. numero 630. an. 451. Decreuerunt, *vt nullus Episcopus facultates Ecclesiasticas tractaret per se ipsum, sed per Oeconomum de Clero* d. 89. c. 4. & 16. q. 7. cap. 21. pœnam quoque illo c. 26. addentes sicuti & Patres Concilij Hispal. 2. an. 619. c. subseq. Et ante hos *S. Gregor.* iussit, Paschasium Episcopum sibi ordinare Vicedominum, & maiorem Domus d. 89. c. 2. qui & animaduertit, *ab hac rei familiaris cura vilem reddi Episcopum, & Reuerentiam Sacerdotalem annihilari* d. 84. c. 4. Obseruandum autem est *PRIMO*; licet subuenire viduis nominatim sit opus inter misericordię corporalis vnũ e præcipuis, ac debitum maximè ab Ecclesiasticis, vt habetur quoque d. 87. cap. 1. e *Gelas. Pap. ad Leont. & Petr. Episc.* vnde & peculiariter, si opus sit, sustentandæ sunt stipendio Ecclesiæ cap. 1. d. 81. ex eodem 4. Carthag. Conc. c. 10?. Attamen istud opus omittendum est ab ijs, qui Apostolorum successores sunt illorum exemplo; debent enim, quibuslibet alijs charitatis operibus dimissis, his duobus vacare, *orationi*, & *prædicationi*, nec quocumque modo, sed *instantes*; vnde hanc nominatim viduarum gubernationem ijsdem Patres noluerunt penes Episcopos esse c. 17. sed voluerunt c. 20. vt *lectioni* (a qua suppeditatur materia orationis, seu meditationis in lege diuina, qua & indigent propter prædicationem, cum non scientia potiantur infusa, sicut Apostoli) *& orationi, & verbi Dei prædicationi tantummodo vacarent.* Neque id tantum Christus, qui nocturnis orabat horis, diurnis verò Apostolos docebat, plebemq. erudiebat, & Apostoli, qui frequentissimè orabant, & nonnisi in ministerium verbi immediatè, vel mediatè (dum laborabant manibus suis, ne auditoribus suis vllatenus essent molesti vt de Paulo dictum est num. 110.) incumbebant, sed & in veteri testamento id Moyses, & Aaron Sũmi Sacerdotes effecerunt. Hinc illa d. 36. c. fi. *S. Hier.* seu *Origenis* Hom. 6. in Leu. *Si quis vult Pontifex non tam VOCABVLO ESSE, QVAM MERITO, imitetur Moysem, imitetur Aaron. Quid enim dicitur de eis Leu. 8. in fin.? Quod non discedunt de tabernaculo Domini. Quod autem opus eius erat? Vt aut a Deo aliquid disceret, aut ipse populum doceret. HAEC DVO SVNT PONTIFICIS OPERA, vt a Deo discat LEGENDO SCRIPTVRAS DIVINAS, ET SAEPIVS MEDITANDO, AVT POPVLVM DOCEAT: Sed illa doceat, quæ a Deo ipse didicerit, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus sanctus docet. Est & aliud opus, quod facit Moyses; ad bella non vadit, non pugnat contra inimicos. Sed quid facit? orat, & donec ille orat, vincit populus eius; si relaxauerit, & dimiserit manus, populus*

eius vincitur, & fugatur (Exod.17.) Oret ergo, & Sacerdos Ecclesiæ indesinenter, vt vincat populus, qui sub ipso est, hostes inuisibiles Amalechitas, qui sunt dæmones impugnantes eos, qui volunt piè viuere in Christo. SECVNDO; Præmitti & hoc loco v.4. & a Patrib. Chartag. *Orationem Prædicationi*; debet enim prædicatio, quæ est opus vitæ actiuæ, oriri e feruore contemplationis; vnde *S.Th.*22.q.184.a.1. obiectioni 3. quod status religiosorum, qui ordinatur ad vitam contemplatiuam sit perfectior, quam status Episcoporum, qui ordinatur ad actiuam per prædicationem, vt colligitur e S. Greg.p.1. Past.c.7. respondet ex eiusdem *S.Greg.*p.2. pariter Past. c.1. verbis, *Sit Præsul actione præcipuus, præ cunctis contemplatione suspensus, quia ad ipsos pertinet non solum propter seipsos, sed propter instructionem aliorum contemplari; vnde Greg. dicit super Ezech. (Hom.5.) qood de perfectis viris post contemplationem suam redeuntibus dicit* Psal.144. Memoriam suauitatis tuæ eructabunt; & propter hoc in fin.corp.q.188. art.6.ait; *Summum gradum in Religionibus tenere, quæ ordinantur ad docendum, & prædicandum, quæ propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum*; instar enim ipsorum *doctrina, & prædicatio ex plenitudine contemplationis deriuatur*; vt iam significatum est n. 76. Quapropter nisi animarum Pastores, ac Vitæ mixtæ Religiosi talem e contemplatione Diuini amoris feruorem concipiant, vt ab eodem impellantur ad vitæ actiuæ opera in proximorum salutem, non satisfaciunt plenè obligationi sui status, quamuis cæteroqui contemplationi vacarent. *Nomine autem CONTEMPLATIONIS licet intelligatur quoque studium*; istud tamen debet esse *sacrarum literarum*, quod est verè, ac propriè studiũ Theologiæ, vt habet *Caiet.* ipse q.185. ar.3. §.*AD HOC*, & init. *Tract.de Auct.Pap. & Concil.* vnde & in Sacris Canonibus *studium Theologiæ* dicitur studium in *sacra pagina*; nec nemo peritus negat, quin primus, ac præcipuus propriorum Theologiæ locorum sit *Sacra Scriptura*, cui primò innituntur conclusiones Theologicæ; & est illa *scientia pietatis*, de qua Apost.1. ad Tit. vnde *S.Hier.* ibi, *Scientia pietatis est nosse legem, intelligere Prophetas, Euangelio credere, Apostolos non ignorare*; cæteræ omnes non sunt *scientia pietatis*, & solũ tantum disci debent a Religiosis ipsis. vt perfectiorem notitiam acquirant *scientiæ pietatis*; vnde S.Th.q.188. ar.5. ad 3. ait, *Religiosis competit principaliter intendere studio literarum pertinentium ad doctrinam, quæ secundum pietatem est, vt dicitur ad Tit.1. Alijs autem doctrinis intendere non pertinet ad Religiosos, qu rum tota vita diuinis obsequijs mancipatur, nisi in quantum ordinantur ad sacram doctrinam*; Vbi & idem Caiet. post hæc; *Diuinæ scientiæ gratia licitum est Religiosis cum Superiorũm suorum beneplacito vacare Logicæ, Philosophiæ naturali, & huiusmodi, vt scilicet possint errores confutare, & Diuinitatis mysteria intelligere*, addit illicò. *Et hæc bene aduertant Religiosi, qui totum vitæ suæ tempus in scientijs sæcularibus consumunt*. Et quot sunt inter Regulares, qui solum incumbunt in studium Oratoriæ, & Poeticæ facultatis, Philosophiæ, Mathematicæ, ac in his excellere, auditores his imbuere

tantùm nituntur, ostentationem in his præferunt &c.? Quid si Religiosi scientias quoque ad artem militarem pertinentes, & omnes Mathematicas vnicè profiteantur, idque sui asseuerent Religiosi esse instituti! Essentne hoc institutum, vt vitæ mixtæ, præferendum contemplatiuo? Illine Religiosi præferendi Religiosis vitæ contemplatiuæ per se addictis? *Quin etiam obseruandum, cum CONTEMPLATIONIS nomine* propriè non intelligatur studium, vt sic, etiam sacrarum literarum; *cum illa debeat habere neceßariò coniunctum voluntatis actum, Seu amorem Dei in voluntate in maiori perfectione, & gradu, quàm ad illam supponatur, & maximè amanda sit ex affectu charitatis ad Deum ipsum, quatenus amicitiæ proprium est vniri amico, & adesse illi, & colloqui cum illo; finis enim huius contemplationis est vnio cum Deo,* vt explicat sapienter *Suar.* tom. 2. de Relig. lib. 2. c. 9. *Plenitudo* autem *contemplationis*, e qua in viris perfectis deriuantur opera charitatis in proximos, non est plenitudo studij, sed actus habentis annexum actum voluntatis in Deum &c. ita vt ex cognitione, & amore illius moueatur ad operam adhibendam, prædicatione, doctrina, consilijs, ac similibus medijs, vt homines pariter ad Dei amorem excitentur &c. *SI FIAT*, vt Religiosi, vel Episcopi plurimum in studio, vt sic. etiam sacro impendant tempus, modicum verò in oratione, vel contemplatione, ita vt hanc secundariò sibi proponere re ipsa videantur, neque hac detenti breui tempore communiter possint eo in Deum amore ferri, vt quasi cogãtur ad eumdem cæteros hortari &c. aut de facto non ferantur; actiuæ vitæ opera præferenda haud esse contemplatiuæ per se operibus; adeoque nec Religiosi, nec Episcopi ex illis præferre semet posse hominibus vitæ tantum contemplatiuæ addictis. Interrogauit quidem Christus Petrum Ioan. 21. de amore erga se ipsum; & postea illi pascendas oues suas tradidit: Amor autem Dei iunctus est necessariò contemplationi Christianæ. E quibus *LIQVET*; quam addictus contemplationi debeat esse R. P. Debet certè *præ cunctis*, etiam Episcopis, *contemplationæ suspensus* esse, cum debeat etiam præ illis *actione esse præcipuus*, sed ministerijs spiritualibus, seu solicitudine omnium Ecclesiarum, prætermissis sæcularibus negocijs omninò; quæ licet quandoque concedat *S. Th.* q. 187. a. 2. tractari posse a Religiosis, cum quatuor tamen conditionibus, quas ingeniosè e textu ipso colligit *Caiet.* ab Episcopis tamen, multoq. minùs a R. P. tractanda sunt, sed insistere tenetur *Orationi, & Ministerio Verbi Dei*. Huic vtrique cum se insistere haud posse arbitrati sint Apostoli duodecim, si vacarent ministerio alendi viduas, aliosque indigentes &c. in sola tunc Ciuitate Hierosolymitana; Existimabitne R. P. functionibus sui muneris spiritualibus, proprijsque, insistere, & omnium Ecclesiarum solicitudini vacare posse vna cum temporalibus, & sæcularibus curis, semet vnicum? Haud profectò esset Petri, & Apostolorum imitator ille R. P. sed potiùs in hoc ijsdem oppositus; Qui vix dicaret tempus recitationi Canonicarum Horarum, nec eas integrè, deuotè, & attentè persolueret, aut vix

num

vnum quadrantem contemplationi dicaret in singulos dies, nec saltem vitæ suæ actionibus prædicaret populis, sed ministerio esset quidem detentus indulgendi suo corpori, ac in dies Consanguineos, Affinesque suos diuitijs, & honoribus sublimiores reddendi!

CXXVII. In septem Diaconorum electione descripta hoc loco perpendendum. 1. *Licet horum primarium tunc munus eßet ministrare mensis*, seu viduis, egenisque, alimenta distribuere, quæ opus illis erant, electos tamen fuisse eos tribus exornatos qualitatibus, *boni* scilicet *testimonij*, quorum scilicet virtus ab omnibus probabatur, *plenos Spiritu sancto*, seu diuina quam maximè gratia, ac Spiritus Sancti donis, & *sapientia &c.* diuina scilicet, prudentiaque cælesti exornatos; An non hæ dotes obseruandæ in his maximè, qui eliguntur Cardinales, & Episcopi, & Sacerdotes, quorum munera sunt spiritualia, & qui in Mensa Domini debent offerre sacrificia pro se, & ouibus sibi commissis? An non multò magis in R. P. electione. 2. *Apostolos solùm æquitatem illius, quod petebatur, proposuisse, omnesq. petitioni adhæsisse*. Facilè æqua postulantibus R.P. in Ecclesiæ vniuersalis beneficium, vel ad salutarias in animarum salutem regimen suum annuent populi, Principesque Catholici. 3. *Apostolos tantùm imposuisse illis manus*, seu illos consecrasse Diaconos; hoc enim nulli alij poterant præstare; neque enim ordinatio sacramentalis illorum, qui perpetuò se obligant ad inseruiendum Deo in Diuinis ministerijs, potest alteri competere, quam Ecclesiasticis personis: Sicuti autem colligi videtur hinc, & e c.13.v.3. & 1.Timoth. vers. 22. *manuum impositionem* necessariò requiri, præter tactum instrumentorum, in consecratione Diaconi, Presbyteri, ac Episcopi; nec eo quod solam adhibeant illam Græci in simili consecratione, eam penitus reijciendam a Latinis, maximè cum in quibusdā priscis ritibus fuerint illi magis constantes, vel pertinaces, quam Latini; ita colligitur apertè, non verè esse Presbyteros, Episcopos &c. eos, qui sunt a Principibus solum electi, cum nō accedit eorum ordinatio, seu consecratio per legitimum Ecclesiæ ipsius Ministrum &c. An verò interdum possint, tum *iurisdictionis spiritualis*, tum *Ordinis* actus ipsos quidam exercere legitimè, dissentiente R.P. si legitimè consecrati fuerint, alia quæstio est; de qua nonnihil n.18. indicatum est. 4. *Multitudinem discipulorum, inter quos saltem plerique laici erant, elegisse septem Diaconos*, non verò illos ab Apostolis saltem solis electos fuisse. Cum igitur Diaconatus ab initio Ecclesiæ censeatur fuisse inter Ordines sacros (trium enim sola dicitur fieri mentio in Diuinis litteris, & in Decretis, litterisque Pontificijs, Sacrisque Canonibus vsque ad *S. Greg.* hoc est *Episcopatus, Presbyteratus, & Diaconatus*) & electio ad hoc ministerium spectauerit etiam ad Laicos, seu ex Apostolorum concessione, seu aliunde, non est vituperandus omninò mos, quem fama est adhuc Venetijs permanere, vt scilicet Laici suis suffragijs concurrant ad Parochorum electionem. Equidem populum, & laicos, cùm eligendi erant Episcopi, non dumtaxat testimonium dedisse, postulasse, assensum

ſum præbuiſſe, ſed & ſuffragium dediſſe cenſent *Iacob. Pamel.* in Annot.ep.68.n.2. S.Cypriani, *Michael Rauſell.* in Hiſt. Iuriſ. Pontif. lib.2. cap.1.n. 20. nec non præter alios,e S.I. *Gabr.Vaſq.* tom.3. in 3.p. d.44. c.5.n.53. ac *Ioan.Azor.* Vir in Sacris Canonibus,Hiſtoriaque Eccleſiaſtica valde verſatus tom.2.Inſtit.Mor.lib.3.c.28. qui ſubdit, *hunc morem perdurasse vſque ad Caroli Magni, ac Ludouici Pij tempora*; deinde cum ſibi hoc ius vindicaſſent quidam Imperatores, *Leonem IX.* & *Gregor.VII.* illud *Eccleſiæ reſtituiſſe*, ſancientes legibus, vt Clerus, & Populus Epiſcopos nominarent,ac eligerent; ſed & idem conſtituiſſe *Alexand.II.* ante *Greg.VII.* & *Paſchalem II.* poſt eundem *Greg.VII.* teste *Sigonio* lib.7.de Regn.Ital.(quod forſan contigit, cum ſub eodem Pontifice an.1122. pax inita fuit inter Pontificem, & Imperatorem in Cõcil.Lateran. celebrato a 300. & amplius Epiſcopis, conceſſis ab Imperatore liberis omnino electionibus Epiſcoporum,& Abbatum Clericis, Monacis &c.) *Tandem*,ait, *electio Epiſcoporum a tempore Greg.VII.* (forſan 8.) *deuoluta eſt,aut reuocata ad Clerum, & deinde ad Collegia Canonicorum,eaque conſuetudo,vt conſtat ex Decretis Innoc.IV. Greg.X. Nic.III. & Boniſ.VIII. de Elect. in 6. durauit multis ſæculis, imò vſque ad Clem.V. vt patet ex eius Conſtitutionibus de Elect. in Concil. Viennenſi editis de Elect.in Clem. Poſtea verò datum eſt R P. auctoritate Regibus, tanquam Eccleſiarum Patronis,ius nominandi, deſignandi, & offerendi Epiſcopos ab ipſo R.P. inſtituendos: Ex quo factum eſt, vt Epiſcopi Regum, & Principum aulam ſequantur &c.* Addit poſt alia ſapienter; *Licet non ſit Iuris Diuini,vt populus in eligẽdo Epiſcopo ſuffragium ferat,fuiſſe tamen ritum, & morem ad tempus ſeruatum, ac peculiariter initio Apoſtolicæ Eccleſiæ ſurgentis, vt conſtat in ſeptem Diaconorum electione, & quando Act.13. Paulus, & Barnabas ſegregati ſunt in Euangelium Dei, & quando actum eſt Act.1. de electione Apoſtoli loco Iudæ.* Pariter ad electionem R. P. concurriſſe Clerum,Populumque Romanum ſuffragio ſuo,& aliquando ſublatum, aliquando redditum,multi ex Eccleſiaſtica Hiſtoria colligunt; ſaltem populi petitionem, & conſenſum fuiſſe interdum fuiſſe requiſitum conſtat: Quod tandem ius paulatim ad ſolos Cardinales translatum cum approbatione Concil.Lateran.ſub *Alex.III.* an.1179. ſicut n.15. indicatum. Ex hoc ſanè Petri,& Apoſtolorum facto habetur,quamuis R.P. abſolutè poſſit conſtituere vbique Epiſcopos, nullo ſibi meritò repugnante, conſultius tamen eſſe (vt omittantur ſcandala, ſeditiones &c.) vt inuitis Principibus, & populis non conferantur Epiſcopatus,ſed potius iis cõſentientibus illi eligãtur; ſic enim ſuauius euadit regimen Eccleſiaſticum, & pij Patris eſt voluntatibus filiorum, ſi non iniqua, vel minus æqua velint, morem in hoc potiſſimum gerere: Hoc ſenſerunt priſci, & Sanctiſſimi Pontifices. *Inuitis* non dandum eſſe Epiſcopum ſtatuitur c.13. *Nullus* d.61. c.5. Ep. 2. *Cæleſtini* (hic electus fuit an.423. Nou.4.) ad Epiſc.Gall. Nec non c.1.d.62. in ep.*S.Leonis*(hic electus an.440.Maij 12.)ad Narbon.Epiſc.90.vel 92.ſic habetur; *Nulla ratio ſinit, vt inter Epiſcopos habeatur, qui nec a Clericis*

ſunt electi, nec a Plebibus expetiti, nec a Prouincialibus Epiſcopis cum Metropolitani iudicio conſecrati; ac ſubdit, *non fuiſſe legitimam electionem, & conſecrationem huiuſmodi hominum, qui nec a plebibus fuiſſent expetiti &c.* Si certè requirebatur conſenſus Ordinis, & plebis d.63. c.26.ex ead.ep.*Cæleſt.*& c.27. ex ep.*S.Leonis* 87. vel 89. ad Epiſc. Vien. vel Principis c.25.e Conc.Tolet.12.c.6.ad Epiſcopi,imò etiam Metropolitani Ordinationem cap.19.ex epiſt.eiuſdem *S.Leonis* 82.vel 84. ad Anaſt.Theſſal.Epiſc. Dum diſſenſiſſet Ordo,vel Plebs, vel Princeps,nõ legitima erat ordinatio; quicquid ſit, an irrita; potuit enim id quoque indulgeri a R.P. vt eſſet neceſſaria penitus conditio &c. Per ſe autem videtur illa ſecus facta fuiſſe rata; declararunt ſiquidem Trident. Conc.Patres ſeſſ.23.c.4. *In Ordinatione Epiſcoporum,Sacerdotum,& cæterorum Ordinum, nec populi, nec cuiuſuis ſæcularis poteſtatis, & Magiſtratus conſenſum,ſeu vocationem,ſiue auctoritatem ita requiri, vt ſine ea irrita ſit Ordinatio*; & can.7. *anathematizant contrarium ſentientes*. Et poteſt quidem Eccleſia pro temporum varietate addere, vel minuere, quæ ſunt de iure poſitiuo ad legitimam prorſus electionem,& ordinationem ipſius R.P. nec dum aliorum inferiorum Præſulum &c.Sic etiã *in ipſorum quoque Sacramentorum diſpenſatione, ſalua illorum ſubſtantia, eam poteſtatem perpetuò in Eccleſia viguiſſe*, declararunt iiſdem Patres ſeſſ.21.c.1. *vt ea ſtatueret, vel mutaret, quæ ſuſcipientium vtilitati, ſeu ipſorum Sacramentorum venerationi, pro temporum, & locorum varietate magis expedire iudicaret*. At cum expediat Principibus Epiſcopos in ſuis ditionibus habere beneuolos,ſeu ſibi,vel ſibi ſubditis non infenſos, quamuis eorum electio, & ordinatio non poſſit, vel poſſet alicubi impediri; Principis aſſenſus requiri poteſt, vt actu præſint Eccleſiis in ſua ditione exiſtentibus, vt colligitur etiam e C. *Cum terra* de Elect. Equidem ſi hi accedant ad Eccleſias citra Principis aſſenſum, præterquam in aliquibus Prouinciis temporalium poſſeſſione non fruerentur,tot difficultates (quod experientia luculenter, ac non ſemel teſtata eſt in ditione Principum aliquot, S.R.E. Feudatariorum quoque) experirentur, Principum animis haud ſibi conciliatis, vt futurum ſit, quod Epiſcopatuum illorum regimen ſuſcepiſſe vehementiſſimè tædeat, & quandoq. ab ea ditione pedẽ referre ſibi opportunũ videatur; Si enim non propitius ſit Princeps, non populũ,ſed nec Clerum,regere Epiſcopi poſſũt idoneè,ac in dies occurrere queũt occaſiones,& oblatę etiã a Principũ Miniſtris,aliiſue,recentiũ cõtrouerſiarũ.Quod de Catholica fide ſcripſit *Leo I.* ep.29.ad *Pulcheriã Auguſtã* 23.q.5.c.21. *Res humanæ aliter tutæ eſſe non poſſunt, niſi quæ ad diuinam confeſſionem pertinent,& Regia, & Sacerdotalis defendat auctoritas*; accommodari meritò æquè poteſt regimini Eccleſiaſtico in Principum ditionibus; neque enim illud vnquam tutum erit ab Eccleſiaſticæ perturbatoribus diſciplinæ, niſi vna illud Principis auctoritas defendat; non defendit autem illud interdum Princeps, cum ipſomet penitus inconſulto quædam agere, vel decernere volunt Epiſcopi, vel Miniſtri Pontificii; hinc

enim

enim ille irritatur &c. di qua re dictum est etiam n. 5. Scelera suum inficientia gregem poteritne vnquã auertere Episcopus Principis non adiutus ope? Confessi sunt id Patres Turon. Concil. ann. 813. sub *Leone III.* & *Carolo* c 31. *Incestuosi, parricidæ, homicidæ multi apud nos (heu proh dolor) reperiuntur; sed aliqui ex illis Sacerdotum nolunt admonitionibus aurem accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, quos oportet per sæcularis potentiæ disciplinam a tam perpetua consuetudine coerceri, qui per salutifera Sacerdotum monita noluerunt reuocari. Quorum aliquos iam EXCOMMVNICAVIMVS; sed hoc illi PARVIPENDENTES in eisdem perdurarunt criminibus. Quamobrem vestra decernat mansuetudo, quid de talibus deinceps agendum est.* Prima pars huius cap. reponitur allata q.5.c.22. Dum autem meritò, vel etiam immeritò grauiter irritatur Princeps, & nequit Principis animus conciliari, vnde grauia oriantur scandala in populo, suadendum est Episcopo, vt Episcopatui renunciet; inter enim sex causas Renunciationis allatas ab Innoc. III. C. *Nisi* de Renunciat. hanc quinto enumerat loco, *Pro graui quoque scandalo euitando (cum aliter sedari non potest) licet Episcopo petere cessionem, ne plus temporalem honorem, quam æternam videatur affectare salutem.* Æterna animarum salus, quæ in primis credita est R.P. potest exigere aliquando, vt ipse iubeat Episcopum, etiam non petentem, Episcopatui renunciare: At si non iure Princeps aliquis esset Episcopo infestus, vel populus illum odio haberet, ampliori Episcopatu esset decorandus. *SI* cum tali circumspectione dãdus, ac retinendus est Episcopus; multo maiori Regularis Prælatus, nã ipse magis assiduè versatur cũ suis subditis, quã Episcopus, & ad ampliores progressus in Euãgelica disciplina tenetur illos dirigere, quã Episcopus populũ; Si enim Regularibus subditis non gratus fuerit Præsul, eritne satis idoneus ad perfectionem illis suadendam verbo, & opera quoque? At plerumque saltem non erit gratus, si illum R.P. eligat, ptiuans Regulares voto, quod iuxta Constitutiones, quas professi fuerant, habebant in electione, vel Generalis, vel Prouincialis, vel immediatorum Pręsulum. Verum quidem est, si Regulares immeritis suffragarentur, allecti vel precibus, vel muneribus, vel promissionibus, vel humano affectu aliquo impulsi, dignos fore, vt a R. P. quandoque voce actiua priuarentur, vt in Sacris Canonibus in simili decretum iam fuit de Episcoporum electoribus. Sicuti autem non negandum est, quia aliquoties indigni eligantur Præsules a Regularibus ipsis; ita fatendum est, non aliquoties attendi quoque merita singularia probitatis, scientiæ, ac prudentiæ in nonnullis, quibus a R.P. conferuntur Regularium Præsidentiæ; de qua re nõnihil indicatum est n.93.§.3. Multitudo sanè fidelium Hierosolymitanæ Ecclesiæ optimos præ cæteris elegit septem Diaconos.

CXXVIII. Nicolaum septimo loco inter Diaconos repositum, quos discipulorum multitudo *statuit ante conspectum Apostolorum, & quibus orantes imposuerunt manus*, improbum euasisse, & auctorem fuisse hæresis Nicolaitarum dictæ, multi, nobilesque scriptores affirmarũt,

 & affir-

& affirmant. Non desunt tamen alij ex antiquioribus, & celeberrimis, ac recentioribus, qui id constantissimè negant; aiuntque auctores Communitatis vxorum, incestuum, similiumque turpitudinum ad sibi auctoritatem conciliandam Nicolai Diaconi nomen traduxisse: Idque asserunt *S. Ignat. Epist. ad Philal. Clem. Rom.* (hi duo tempore Apostolorum vixerunt) *c.8. lib.6. Constit. Doroth. in Synop. Hyppolit. in lib. de 72. discipulis*, qui testatur *Nicolaum, vt virum fide Catholica probatissimum augustiori honore auctum, factumque ab Apostolis Samaritanorum Episcopum*. His postea subscripserunt inter alios *Pamel. ad c.46. Tertul. de Præscrip. Hæres.* vbi & affert alium locum e *S. Ignat. ep. ad Trall. Baron. ad an.68. Coqu. tom.1. contra Morn. in Antid. contra Trcg. 42. p.509. col.1. Rayn. in Hoploth. sect. 2. s.2. c.4. de Incestu*. E quibus patet, quam cautus esse debeat R. P. in adhibenda fide ijs, quæ sibi narrantur, de aliquorum sceleribus, impietatibus, non recta fide, opinionibus temerarijs &c. Quot calumniatores, hoc est Diabolici homines (nam nomen Diaboli a calumnia deriuatur) reperiuntur etiam modò inter Catholicos quoque, & maximè in Principum Curijs; idq. *ex liuore, & inuidia; ex odio, vel vltione iniuriæ acceptæ; e spe commodi ex aliorum dehonestatione, vel cupiditate immoderata, qua feruntur homines ad euertendos alios fortunis suis. honoribus, gradibus &c.* per calumniam! Patet ipsimet Romanæ Curiæ hoc etiam sæculo, homines integerrimæ vitæ, ac doctrinæ accusatos de pessimis moribus, & non integra fide; imò paucissimis ab hinc annis ijs ascriptas, instar Nicolai, quasdã opiniones, quibus oppositas, & proposuerant, imò & ediderant; Quin etiam *Episcopum, & doctissimum, & Catholicissimum alicubi proclamatum fuisse tanquam aliquarum auctorem propositionum per se in naturali sensu* (nam sensum quoq. Catholicum habere possunt; sic enim & multæ propositiones sacrarum literarum in proprio verborum sensu falsissimæ sunt; imò hæreticæ, nisi aliæ attendantur &c.) *hæreticarum, eiusque effigiem ære incisam in amplissima vrbe, tanquam hominis non Catholici, ludibrio expositam, aliquorum liuore, & odio &c.* Cum tamen illæ propositiones non repeperiantur omnino in eius libris, imò potiùs oppositæ: Quod si verum est, *ij, qui eò quod nollent subscribere illis propositionibus, vt ab illo Episcopo assertis, cæteroqui illis subscribere paratissimi, persecutionem paterentur, Beati profectò essent, quia paterentur propter iustitiam, imò si oppeterent mortem pro non asserenda hac falsitate, potissimùm alteri iniuriosa, proculdubio Martyres forent reuera*; quam beatitudinem certè non assequerentur illi, qui persecutionem paterentur, eo quod essent nimis superbi, auidi, aliena appetentes &c. vt ait S. Petrus 1. cap.2. & 20. qui & vetat eiusmodi passionem c.4. v.15. Idem, quod huic Episcopo, contigit iam *Lucifero Calaritano Episcopo*, qui sator a multis habitus fuit, & habetur hæresis *Luciferianorum*; cum tamen ille fuerit sanctissimus vir, & celebratus a *S. Hieronym. in Catal.* & *S. Athan. in Apol. de fuga sua*; ac pluribus id ostendit *Doctor Ambros. Marchin. in Apolog. Defens. ad Vrb. VIII. contra Baron. tom.4. an.362. secutus Historiographos antiquissimos,*

præser-

præsertim Græcos; & ratione particularis illius Canonizationis *Resol. 44. de Ver.Fid.Martyr.Th.Hurt.* ostendit illi erecta fuisse templa, indulgentias concessas, recitari eius officium, celebrari Missam &c. Sanctum quoque illum nominat *Rayn.de Mal.ac Bon.lib.Partit.1. Erot.9. n.150.* imò postea *sanctitate eximium, cælitumque honoribus apud Sardos meritò honestatum*. Sic illustrium pietate, & doctrina virorum fama violatur nonnullorum potentium inuidia, maleuolentia &c. Nonnullorũ dolis &c. Quód nefarium crimen, & execrandum, & omni seueritate plectendum (vt iam n.60. significatum est quoque) Charitati, ac Iustitiæ vel ementissimè repugnans, planè Diabolicũ in primis, magis hoc sæculo propagari cæpit; *tum quia* quasi cessarunt pœnæ iam decretæ à legibus Ciuilibus, & Canonicis contra Calumniatores e summa Iudicum negligentia, qui grauissimè oppidò delinquunt eas omittentes, & hinc calumnijs amplissimus præbetur aditus; *tum quia* nonnulli videntur hoc sæculo ferè dominatum in aliorum famam sibi vindicasse; *tum quia* non defuerunt, qui ediderint, solummodo veniale peccatum esse calumniam calumnia rependere; & facilè multi sibi suadere queunt, se pati, vel passos fuisse calumniam; *tum quia* in ipsamet Vrbe, a qua deberent esse remotissima Diabolica maximè vitia, apertissimè patet, apertissimos calumniatores in ijsdem honoribus, gradibusque retentos fuisse &c. Quamobrem aures R.P. non patefaciat ijs, quos iam nouit quibusdam non esse propitios, cum illis habuisse, aut habere contentiones, nullos velle in doctrina, vel moribus pares &c. Si quædam examinanda iudicet, explorari iubeat veritatem ab hominibus sinceris, ac neutri addictis parti, deprehensaque calumnia, hanc passum in Orbis conspectu peculiari aliquo fauore, seu beneficio prosequatur, illatorem calumniæ pariter in conspectu Orbis graui omnino pœna puniri constanter iubeat. Meminerit, & eos, qui patiuntur calumniam, nedum auerti à multis in animarum, & Ecclesiæ ipsius beneficium, sed & difficillimè, sicut *Dauidem* ipsum, mandata ipsamet Dei custodire posse præ tristitia, aut timore &c. vt obseruat *S. Ambros.* in Psal. 118. v.34. *Redime me a calumnijs hominum, vt custodiam mandata tua*; & in Romana Curia facilè reperi aliquos, qui consilio adhærent, & *Medi*, qui fuit Parasitorum antesignanus in Alexandri Magni Curia, suadentis, *Quodlibet crimen in quemlibet intendite; vt maximè sanet vulnus, qui læsus est, manet tamen cicatrix*; & Ducis illius, seu potiùs latronis, qui suis dicebat militibus, *Rapite, spoliate tam amicos, quam inimicos; nam vt qui spoliati sunt sic agant apud Principem, vt restituere cogamur, semper tamen aliqua prædæ portio remanebit apud nos*. Vnquamne pristino restituetur candori carta, in quam atramentum stillauerit? Notissimum siquidem est, conspicuos etiam dignitatibus, nedum virtutibus, homines Romæ, ad Superiores non fuisse elatos honores, licet falsitatem calumniarum apertè ostenderint, e sola cicatrice, quæ remanserat; passos solùm esse calumniam, obstitit, quò minùs illos assequerentur. Si, tamen *Nicolaus* iste Diaconus euasit improbus, imò im-

probiſſimus auctor Nicolaitarum ſectæ, quid mirandum, ſi nonnulli e compluribus, quos eligit Cardinales, ac Epiſcopos R.P. euaderent ijs Dignitatibus indigni? Sed vnus fuiſſet inter ſeptem; de qua re n.102. ad Act. 1. *Sic etiam iniuſta eſſet illorum querela, quod aliqui ad ſacros admiſſi Ordines ab Epiſcopis, vel ad Religionem, ſeu Profeſſionem a Regularibus Prælati, euaderent illi incontinentes, vel alijs referti vitijs, hi verò irregulares in moribus*; dum plerique, aut maxima e parte e plurimis, quos admiſiſſent, forent tales, quales requiruntur ab eorum ſtatibus; & huiuſmodi querela ſapientiſſimè reijcitur d.47.c.9.e *S. Aug.* ep.137. ad *Cler. & Pop. Hipp.* Iuſta verò foret; *ſi maxima pars, vel plerique eſſent incontinentes, diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ac Regularis oſores &c.* Vnde ſicut illa Eccleſia, vel Religio, vel Domus Regularis immeritò diceretur deformata in moribus; ita meritò abſolutè talis iſta diceretur, *in qua pauci, ſi comparentur alijs, non eſſent vitijs contaminati; Seu hæc forent carnalia, ſeu ſpiritualia*. Sic etiam non arguendus R. P. qui non omnes dignos decoraret Eccleſiaſticis dignitatibus, ſi eorum non haberet notitiam, licet eam ſeduló curaſſet; *ſed ſolùm ſi indignis eam conferret, aut minùs dignis; hi enim ſeptem, qui ordinati ſunt ab Apoſtolis Diaconi, præ cæteris fuerunt eo gradu abſque vlla dubitatione digniores.*

Act.8. a verſ. 18.

CXXIX. Simon dumtaxat dicitur obtuliſſe pecuniam Apoſtolis, vt *darent ſibi hanc poteſtatem, vt cuicumque impoſuiſſet manus, acciperet Spiritum ſanctum*, & Petrus reſpondiſſe, *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*. Non dicitur obtuliſſe vt *pretium*, vel exiſtimaſſe *pecunia emi*: Vndenam habetur, quod intenderit ille poteſtatem æquiparare ſupernaturalem dandi Spiritum Sanctũ pecuniæ, quæ res temporalis erat, non pluris illam, quam hanc æſtimans? Ipſamet pecuniæ oblatio, qua putauit Simon allici Apoſtolos potuiſſe ad dandam illi ſupernaturalem poteſtatem, tanquam valde Religioni iniurioſa a Petro habita fuit; huic enim Virtuti quam maximè aduerſatur peccatum, quo res diuinæ, & ſacræ quocumque modo vt prophanæ tractantur, aut tractari videntur. Omnis autem datio rei temporalis, eiuſdemue acceptio pro re ſacra poſſidenda, & danda cenſetur emptio, & venditio; neque enim prorſus neceſſarium eſt, vt propriè pretium intercedat, vel æſtimatio proportionis, nedum æqualitatis, rei temporalis cum re ſpirituali, ſeu ſacræ; ſic enim omnes concedunt, ſimoniæ peccatum eſſe, ſi in ipſorum diſtributione Eccleſiaſticorum beneficiorum intercedat *MVNVS a manu, a lingua, ab obſequio*; munus ipſum reddit reum ſimoniæ tribuentem, & recipientem. Profectò ſi *PARTIM* nullus negare poteſt (hoc etiam *Suar.* tom. 1. de Relig. c.49. n.5.)

à n.5.tradit) *Posse prohiberi per legem Canonicā gratuitam largitionem, & receptionem ratione spiritualis beneficij, aut ministerij, seu intuitu illius factam, constituendo contrarium actum in vera specie simoniæ, etiamsi dans, quantum in se est; reuera intendat, nisi ex liberalitate, vel gratitudine donare, & de facto nonnulla etiam Canonica Iura in nonnullis hanc dilucidè gratuitam largitionem, & receptionem damnare peritus quisque nouerit; cum enim illa non sit sine ordine, atque respectu ad aliud obtinendum, speciem habet cuiusdam permutationis, quam, vt seruetur debitus sacris rebus honor, optimo iure illam Ecclesia vetare potest: PARTIM* Conciliorum Patres, Summique Pontifices repetitis sæpissimè Canonibus, & Constitutionibus simoniæ crimen in Ecclesiast. Benefic. distributione remouere summo contenderint studio, *agnoscentes, nihil esse Ecclesijs, & animarum saluti ferme noxius, quam si illa, ac præsertim Curam animarum habentia, indignis vita, & scientia conferātur* (quod facillimè potest contingere, si sub specie liberalitatis, gratitudinis &c. nonnulla temporalia, aut eorum promissiones præcedant, aut comitentur Eccles. Benef. consecutionem) Videri potest, dubitari non posse, quin hasce etiam coram Deo gratuitas largitiones, & receptiones interdixerint; maximè cum nō semel asserant, se legibus suis velle obstare *calliditatibus, ingenijsque hominum, nolle dari, vel recipi quidquam occasione, vel prætextu dandi, vel recipiendi spiritualia &c.* Expressio autem clarior in quibusdam solummodò indicat acriorem pro rerum grauitate prohibitionem. Et sanè, nisi id re ipsa intendissent, proculdubio singularibus Ecclesiæ commodis, vt tenebantur, haud consuluissent; cum secus haud ferè vitarentur incommoda, quæ titulo quodlibet, & potissimùm ex contractu oneroso dandi Benef. Eccl. & recipiendi talem pecuniam, vel tale munus, aut etiam remuneratorio, vel aperta permutatione rei spiritualis, ac temporalis &c. orirentur. Huiusmodi autem calliditates, vbi Beneficiorum vsus, & administratio, maximè pinguium honoribus, vel reditibus inducta est, in omni sæculo extiterunt, licet posterioribus sæculis frequentiores, ac nominatim frequentissimæ hoc sæculo e quorumdam scriptorum vitio; quæ ne haberent locum, non potuerunt non sedulam adhibere operam Sanctissimi Conciliorum Patres, ac Romani Pontifices. *Addi potest*; non esse veram dumtaxat simoniam huiusmodi largitionem, & receptionem gratuitam, Ecclesiæ facta prohibitione, contra ius positiuum; verùm etiam videri, seclusa Ecclesiæ etiam prohibitione, veram esse simoniā contra Diuinum Ius; videtur enim esse Deo iniuriosum, quod eius dona, illisque iam annexa, redditaque spiritualia, & sacra, & quasi diuina, ita tractentur, ac si ipse per pecuniam foret inducendus, vel alliciendus ad ea præstanda; At quodlibet temporale exhibitum antecedens, vel concomitans rei spiritualis acceptionem videtur id prorsus indicare. Quare videri potest declaratio potius Diuini Iuris authentica, quam lex noua positiua, quod absque simonia nihil penitus dari, & accipi possit temporale, vel aliud quidquam loco temporalis antecedens, vel concomitans

rei·

rei spiritualis, & sacræ dationem, & receptionem.

CXXX. Cum S. Petrus fuerit inter Apostolos, licet omnibus obtulerit pecuniam, qui acriter Simonem reprehendit; ad R. P. spectat enimuerò in primis, qui Christi præpositus est ouili, Simoniæ vitium auertere; nam Christi oues facilè euadent morbidæ, si animarum Pastores elegantur Simoniacè; ideoque vbilibet solicitè vigilandum, ne in vllorum distributione Beneficiorum, sed præcipuè quibus aliqua animarum Cura, vel Præsidentia est annexa, seu hæc sit Sæcularis, seu Regularis, illud quomodolibet conspiciatur, & peccantes seuerè prorsus puniantur. Meminerit quoque quosdam R. P. *TVM* a decimo quoque sæculo ann. 1076. *Greg. VII. Vrb. II. Pasch. II. Gelas. II. Calixt. II.* ad vitium hoc repellendum, & grauissimas contentiones cum Imperatoribus ipsis Henrico III. & IV. suscepisse, e quibus schismata quoque oborta spatio ferè 50. annorum, ne dum acriter eos coarguisse; vt in sexto peculiariter egit *S. Greg.* corripiens ipsummet *Mauritium Imperatorem* de R. P. electione quæstum captatem, vt legitur in eius *Comm. ad Psal. 5. Pænit.* qui est Ps. 101. v. 9. *TVM* alios vt *Clem. III.* & *Innoc. III.* c. 26. ac 33. de Simon. (& probat *S. Th.* 22. q. 100. ar. 6. ad 3. idem) iussisse renunciari Beneficium Ecclesiasticum ab ijs, qui illud recepissent præcedente aliquo temporali dato collatori, etiam nesciente illo, cui collatum est beneficium, nec factum istud approbante &c. *TVM* sæpissimè R. P. istud crimen appellasse *hæresim*, vt patet 1. q. 1. & in tit. de Simon. (quod nomen nulli alteri tribuunt crimini) licet haud tale sit nisi simul accedat error intellectus, quod id liceat; præbet autem suspicionem, & vehementem, quod existimet id licere, qui in hoc crimen, & maximè si frequenter, incidit; quapropter ab ipsis R. P. habiti sunt, vt suspecti de hæresi, Imperatores ipsi, eò quod Episcopatus, & Abbatias conferrent præcedentibus muneribus a manu, a lingua, ab obsequio, licet hi semet excusare potuissent, quod titulo liberalitatis, gratitudinis, ob necessitates bellorum, regnorum &c. pecuniam acciperet &c. Vnde & non pauci mirantur, quòd huiusmodi crimen adeò verbis notatum in Sacris Canonibus, & ab ipsis R. P. etiam re ipsa, non subiaceat foro S. Inquisitionis, cum tamen alia longè minora, & minus frequentia illi subiaceant (cuius rei causa haud est explicanda, cum prudentibus sit iam perspecta) maximè cum hinc fiat, vt subditi videntes Prælatos impudenter exercere simoniam, facilè sibi suadeant, vt obseruat *Nicol. de Clem. contra Præl. Simon.* id esse licitum, quod est planè hæreticum. *TVM* hoc vitium insectatos etiam fuisse Imperatores ipsos, *Leonem, Anthemium, Iustinianum*, cuius decreta in hanc rem colligit Ioan. Sarisber. lib. 7. Polycr. cap. 20. ac præter *Theobertum, Dagobertum, Clodoueum Secundum, Guntranum* Reges, *Robertum* pariter Francorum Regem, *Henricum I. & II.* & alios Principes, Laicosque. Vt autem efficaciter eliminet istud ab Ecclesia capitale scelus, quatuor videntur potissimè a R. P. præstanda. *PRIMVM*: Vt occasio subtrahatur suspicandi rationabiliter, quod simoniæ crimen insit Romanis

Curia-

Curialibus; ac tanquam falſiſſimũ prorſus reijciatur, illud pronunciatum; *Romanam Curiam eſſe Matrem ſiue Monarcham Simoniæ, in Romana Curia dominari Simonem Magum, licet illi præſit ſucceſſor Simonis Petri, qui Simonem Magum nedum acerbiſſimè corripuit, ſed & præcipitem dedit in Vrbe; ac ex illa emanare iſtius criminis contagium in cæteras Eccleſias;* Vnde & auditi ſunt quidam Præſules, cum accuſarentur, quod beneficia conferrent propter munera a manu, a lingua, ab obſequio, ſemet excuſare Romanæ Curiæ exemplis (quæ tamen non ſatis eos a culpa liberant) vt n.13.§.2. ſignificatum. Veriſſimum quidem eſt, niſi in R.C. exactiſſimè ſeruentur Sacri Canones ab ipſis etiam R.P. probatiſſimi in Eccleſ.Benef. diſtributione, & quæcumque probabilis ſuſpicio de ſimoniaca ibi labe, ſcandalumque hinc ingens in ipſorum quoque fidelium animis ſubortum propulſetur, nunquam fieri poſſe, vt hic læthalis morbus, qui non paucas certè inuaſit Eccleſias, maxima e parte ſaltem imminuatur; Nec ſatis eſt, licet valdè ſit laudabile, aliquas vitare opiniones in hac materia, ſi illæ poſtea admittantur in R. C. Hinc vellet aliqui, nec omninò irrationabiliter, vt nullum planè emolumentum temporale in R. C. dimanaret e beneficiorum cuiuslibet generis collatione, inſtitutione, confirmatione &c. Sed quia æquũ, ac iuſtum eſt, vt R.P. habeat ſuæ congrua ſuſtentationi, quæ longè ampliora ſanè illi debentur, quàm cuilibet Eccleſiaſtico Præſuli, cum ſit ſupremus omnium Præſes, & Pater Patrum, Paſtorque Paſtorum; in Prouincialibus Concilijs totius Catholici Orbis certa ſtatueretur pecuniæ ſumma e Benef.Eccleſ.reditibus ad R.P. quotannis omninò mittenda ab Archiepiſcopo, vel Primate, vel Seniore Epiſcopo, ſub pœna priuationis quoque dignitatis cuiuslibet Eccleſiaſticæ, & quicumque etiam Supremus quilibet Princeps impediret illius miſſionem eſſet iure ipſo ſacris interdictus &c. Aliqua pariter pecuniæ ſumma foret decernenda, etiãſi patrimonij S.Petri reditus eſſent ſatis illius cõgruę ſuſtentationem, in agnitionem illius ſupremæ poteſtatis in omnes Eccleſias, & vt ex illa communibus fidelium neceſſitatibus occurrere poſſet. De qua re licet conquererentur plurimi Curiales, gaudio tamen exultarẽt complures e Catholicis, & ſapientiores, quòd ſubtracta fuerit materia ſuſpicandi, ac Hæreticis affirmandi, ſimoniæ vitium ſummopere in R. dominari C. *SECVNDVM:* Vt iſtud crimen longiſſimè abſit a R. P. electione, & ſummo ſeruetur ſtudio Conſtitutio *Iulij II.* quam primò promulgauit Romæ an.1505. Ianuar. 18. ac iterum Bononiæ an.1511. Menſe Octobri, dum ibi cum ſua Curia adeſſet, pariterque Romæ iterum in deſignatis locis, earumque exemplaria ad omnes ferè Chriſtianos Principes tranſmiſſa; quam inquit condidiſſe *magnis, & vrgentibus cauſis, magnaque & matura diſcuſſione, & deliberatione cum doctiſſimis, & grauiſſimis Viris, etiam S.R.E. Cardinalibus, præcedentibus, & præhabitis;* ac poſtremò ipſo adhuc viuente fuerunt approbatæ hæ litteræ a Concil.Lateran. (quod vniuerſale cenſetur in Vrbe, & alibi etiam) Patribus ann. 1513. Febr.16. in ſeſſ.5. quæ inſcribitur in editione eiuſ-

dem Concilij, ac promulgatione illius per Catholicum Orbem litteris peculiaribus *Leonis X.* an. 1521. Maij 25. *Hæc notabilis, & memoranda propter Confirmationem Bullæ in materia electionis R. P. canonicè facienda*: Hæc enim Bulla irritat electionem R. P. simoniacè factam, imò vult, vt contra electum opponatur, sicut de hæresi; vt enim iam ostensum fuit n. 21. voluit hic Pontifex ad dirimendam inter Doctores controuersiam, an valida esset simoniaca R. P. electio, de qua *Card. Iacob.* lib. 4. ar. 4. latè (qui ibi postea in fine collocat integram *Iulij II.* Bullam, vt illam dirimentem) authenticam bis, & ad maiorem cautelam tertiò *cum Conc. Later.* edere declarationem, quod ob simoniæ crimen, sicut & hæresis, excipiendum sit contra electum; Quam sanè Bullam immeritissimò planè tradit *Suar.* in fin. cap. 57. lib. 4. de Sim. ac rursus n. 3. c. 58. ac ex illo *Rayn.* lib. 2. de Mal. e Bon. Eccl. sect. 1. c. 5. n. 6. vel non fuisse receptam, vel illi derogatam a Constit. 85. Pij IV. Fallitur apertissimè in vtroque: Nam præterquam non potuit vsu non recipi a Cardinalibus, vt patet ex ipsa etiam Constit. In *Leonis X.* aliorumque Pontificum electione admissa fuit vna cum alijs Constitutionibus Pontificijs ad R. P. electionem attinentibus probata a *Leone X.* publicis litteris; quin etiam *Pius IV.* Constit. 63. non 85. (quæ solum prohibet confidentias beneficiales &c.) edita an. 1562. Ottob. 8. §. 28. quæ inscribitur, *Ordinationes pro tempore Sedis Apostolicæ vacantis, circa electionem Summi Pontificis, & obseruantiam conclauis* subscripta a 30. Cardinalibus, statuit, *vt sua Constit. in prima Congregatione post obitum Pontificis fieri solita, & deinde post Conclauis ingressum legeretur, & iuraretur eo modo, quo leguntur, & iurantur CONSTITVTIO IVLII II. & aliorum prædecessorum suorum; Quorum Constitutionibus, & pœnis*, subdit, *in eis contentis vltra præmissa per hanc nostram Constitutionem derogare non intendimus, sed MAGIS eas confirmare, innouare, & comprobare.* Illa etiam legitur, ac iuratur post Constit. *Greg. XV.* de eadem electione ann. 1621. Nou. 15. iuxta *Cæremoniale ritus electionis R. P.* peculiari Bulla an. 1622. Mart. 2. tum ab eo, tum postea ab *Vrb. VIII.* ann. 1625. Ian. 28. probatum. Obijciunt sanè quidam schismatis periculnm, si illa seruetur: Attamen illud & Pontifex, & sapientissimi Viri, quos in Consilium adhibuit, & quorum etiam assensum habuit ante illius primam, & secundam promulgationem, & Later. Concil. Patres, qui eamdem laudauerunt, illud non prænoscere non potuerũt; putarunt, *VEL* illud non futurum, vel non fore proximum; quod si attendendum fuisset vtcumque, multæ Constitutiones Pontificiæ, & aliquæ nominatim circa eamdem electionem, multi sacri Canones non prodijssent; *VEL* illud posthabendum incommodis longè grauioribus, quæ simoniacæ R. P. electiones attulissent, vel afferre possent Vniuersali Ecclesiæ, sicut nec hoc attenderunt quinque R. P. de quibus supra, contra Imperatores simoniacos; ac potius expediens forsan fore, vt diuturno tempore, sicuti, & non semel contigit superioribus sæculis (quod tamen post hanc *Iulij II.* Bullam non contigit) careret Ecclesia Romano Pontifice,

quam

quàm haberet Pontificem simoniacè electum: Nam hic iam simoniacè electus difficillimè Pontificatum rectè administraret, ac se, ac suos potiùs pascere posset, quam Dominicum Gregem; vt etiam de simoniacis ait loquens *S.Leo* epist.85. vel 87. *ad Episc.Maur.* 1.q.1. cap.25. *Difficile est, vt bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio*; imò, vt habetur c.28.e *S.Greg.* lib.7. ep. 114. ad *Theod. & Theob.* Reg. Franc. præterquam hic nullam quibus præbere posset medicinam, *metuenda esset* Ecclesiæ *calamitas, cum tales intercessores ad locum* supremi *regiminis* Ecclesiastici *adducerentur, qui Dei in se magis iracundiã prouocarent, quam per semetipsos populis* omnibus Christianis *placare debuerant*. Et sanè licet aliquæ opiniones de simonia circa aliorum electionem Presulum, vtcumque tanquam probabiles, admitti possent, vt tales tamen proculdubio non essent admittendæ in R. P. electione; *tum quia* sunt expressæ litteræ Pontificiæ probatæ etiam peculiariter a *Leone X.* & *Pio IV.* & Concil.General.Patribus, simoniam vetantes in R.P. electione; *tum quia* longè perniciosiora mala in vniuersalem Ecclesiam, scandala longè ampliora in Catholicos, ac hæreticos inde emanarent; interque illud tanti ponderis, quod sic electus R.P. saltem clam pariter facillimè simoniacè dignitates Ecclesiasticas distribueret, nec posset Apostolica libertate eos coarguere Præsules, qui beneficia conferrent simoniacè, nedum beneficijs, ac dignitatibus simoniacè electos priuare. Et certè qui perpenderit Bullam, & Proemium Bullæ *Iul.II.* perspiciet clarè, eam omnem planè labem simoniæ etiam *occultæ* (nam e 121. Patribus, qui aderant sess. 5. solum quinque non penitus Bullam probarũt, solumque *vni non placuit de occulta simonia*, alter *pœnas voluit modificandas, alter declarationem faciendam esse Generalis Concilij &c.*) voluisse a R. P. electione penitus remouere, cum ipsos etiam mundana, seu sæculari dignitate præditos, etiam quorumcumq. Regum, & Principum Oratores, vel Nuncios simoniacæ R.P. electionis participes voluerit pœnis etiam temporalibus affici &c. Quamobrem expediret, ne aliqui minùs periti decipiantur a *Suar.* auctoritate, palam præcipi, vt illius sententia omninò deleretur ex eius libris, sicuti & in lib.3. cuiusdam Assert. Theol. c.7. Sententiam, quod quicumq. bona fide acceptatur ab Ecclesia pro R.P. euadat talis, licet antea non fuisset, vbi & tacitè damnat hanc Iul.II. Constitutionem; de qua re fusius alibi. Satis sit hæc modò addere. 1. *Eum qui simoniacè electus fuisset, nullum acquisiuisse ius ad Pontificatum, ac teneri illum deponere, vt n.21. latè indicatum*. 2. *Cum simonia oriatur vel ab ambitione, seu superbia, Cupiditate, seu Auaritia, electionem simoniacam vno, vel ambobus vitijs esse contaminatam, vel in electo, vel in electoribus, vel in vtrisque*; *At difficile est*, (vt mox dictũ) e *S.Leone* ad Maur.Episc.ep.85.vel 87. loquente de Episcopatu occupato ambitu &c. *vt bono peragantur exitu quæ malo sunt inchoata principio*. Mala autẽ principia prorsus sunt *ambitio, & cupiditas*, a quibus oriri in R.P. electione simoniã habet *Iul.II.* init. suæ Const. 3. *Cum appetere primatum ratione solius celsitudinis*, mul-

tòque magis honorum, emolumentorumque annexorum, prorsus *sit Gentilium*, vt *S.Th.*22.q.185.art.1.in Corp. e *S.Chrys.Hom.66.in Matth.* scribit; pudere deberet quemcumque Christianum, & maxime Ecclesiasticum, & adhuc multò magis prima post Pontificiam dignitate Ecclesiastica decoratum, quasi Gentilem, appetere primatum Romanũ, ita vt Gentiles ipsi possint se suum esse, vel fuisse imitatorem proclamare, non Christi, qui hanc prohibuit appetentiam! Quæ iam reddit appetentem Pontificatu indignum, vt n 90. latè Quamobrem SI *Episcopatum mente expetere peccatum est*, vt cum S.Th. alijsque communiter ait *Sot.* lib.10. de Inst. q.2. ar.1. *Quantò deformius illud opere procurare, & ambire? Porro ergo depudendum est* (subdit) *quod tam licenter, tamque perfricata fronte Præfecturæ huiusmodi petantur, procurentur & ambiantur*; An non multo deformius supremam prorsus Ecclesiæ præfecturam petere ab amicis Cardinalibus, procurare per alios quoque, ambire sæcularium, seu potius gentilium more; cum tamen quoque ab Ethnicis ambitus fuerit vetitus grauissimis, repetitisque legibus, de quibus eruditè *Ioan.Rosin.Antiq.Rom.* lib.8. c.29. Quarum quandoque illa fuit obseruantia, vt teste *Plin.*lib. 35. Q. *Componius ambitus fuerit damnatus, quòd vini amphoram dedisset ei, cui suffragij latio erat*; ac *Dio.* lib. 36.habeat, *tanta cura, Acilia Calpurnia lege lata*, tum temporis cautum, *ne quis largitionibus se corrumpi sineret, vt præter pœnas, quas eius rei manifestis infligebant* (hi non poterant Magistratus suscipere, neque legi inter Senatores & pecunia mulctabantur, priùs autem exilio quoque, vt innuit *Polyb.*) *accusatoribus etiam honores haberent*; ac licet ff. Ad leg.Iul.de Amb.l.Iul. de Amb. cessare in Vrbe dicatur; non tamen legem, sed *ambitus iudicium exerceri desijsse sub Principibus tyrãnis omnia arbitratu suo administrantibus, sublatis, videlicet, antiquæ Reipublicæ vestigijs*, ibi adnotatur; pœnaque decernitur contra ambientes Magistratuum, aut Sacerdotium alibi *centum aureorum cum infamia*. 4. Appellari a Christo Ioan.10.init. *furem, & latronẽ, qui non intrat per ostiũ in ouile ouium, sed ascendit aliunde*. An non ascenderet aliunde in ouile ouium Christi, qui simoniacè in illud ascenderet? Equidem non *intrat per ostium* instar Pastoris v.2. qui non *vocatur a Deo, tanquam Aaron* Hebr.5.v.4.vt ibi etiam explicat *Mald.* sed a Deo non potest dici vocatus ad præsidendum cunctis ouibus suis, qui simonia aditum habuisset ad illud regimen, cum ipsius Vicarij hos aperte ab hoc regimine reiecerint. *CVM Valentinianus Imperator* d.63.cap.3. Mediolani euocans Episcopos, qui electuri erant Episcopum Mediolanensem (electus fuit S.Ambros.an.374.) sic allocutus sit eis, *Nostis apertè, eruditi quippe diuinis eloquijs, qualem oporteat esse Pontificem, & quod non deceat eum verbo solo, sed etiam conuersatione gubernare subiectos, & totius semetipsum imitatorem virtutis ostendere, testemque doctrinæ conuersationem bonam habere: Talem itaque in Pontificali constituite Sede, cui & Nos, qui gubernamus imperium, sincerè nostra capita submittamus, & eius monita, dum tanquam homines deliquerimus, necessariò velut curãtis medicamenta su-*

ta su-

ta suscipiamus: *CVM Imperatores Leo, & Anthemius* ann. 469. Mart. 8. vt habetur in C. de sacr. Eccl. l. 21. *ita scripserint*; *si quemquam, vel in hac regia Vrbe, vel in cæteris Prouincijs, quæ toto terrarum orbe diffusæ sunt, ad Episcopatus gradum prouehi Deo auctore contigerit, puris hominũ mentibus nuda electionis conscientia, sincero omnium iudicio proferatur. Nemo gradum sacerdotij pretij venalitate mercetur; quantum quisq. mereatur, non quantum dare sufficiat, æstimetur. Profecto enim, quis locus tutus, & quæ causa esse poterit excusationis, si veneranda Dei templa PECVNIIS expugnentur? Quem murũ integritatis, aut vallum fieri prouidebimus; Si AVRI SACRA FAMES in penetralia veneranda proserpat! Quid denique cautum esse poterit, aut securum, si sanctitas incorrupta corrumpatur? Cesset altaribus imminere prophanus ardor AVARITIAE; & a sacris adytis repellatur piaculare flagitium. Itaque castus, & humilis nostris temporibus eligatur Episcopus, vt quocumque locorum omnia vitæ propriæ puritate purificet; nec pretio, sed precibus ordinetur Antistes. Tantum ab ambitu debet esse sepositus, vt quæratur cogendus, rogatus recedat, inuitatus effugiat; sola illi suffragetur necessitas excusandi. PROFECTO ENIM INDIGNVS EST SACERDOTIO, NISI FVERIT ORDINATVS INVITVS: Cum sanè si quis hanc sanctam, & venerandam Antistitis sedem pecuniæ interuentu subijsse, aut si quis, vt alterum ordinaret, vel eligeret, aliquid accepisse detegitur, ad instar publici criminis, & læsæ Maiestatis accusatione proposita a gradu sacerdotij retrahatur, nec hoc solum deinceps honore priuari, sed perpetuæ quoque nota infamiæ damnari decernimus; vt eos, quos par facinus coinquinat, & æquat, vtrosque similis pœna comitetur*. Cum, inquam, hæc tres Imperatores de Episcopis ordinandis, ac eligendis senserint quibuslibet; An non hæc exactius seruanda quisque vel idiota non senserit in Episcoporum Episcopi electione? Simoniæ vitium adeo detestati sunt Orientales Imperatores, vt ab Episcopatu existimauerint remouendum prorsus, qui pecuniæ interuentu illum fuissent consecuti, sicuti, & Ordinatores, & electores, qui eam accepissent, vnaque omnes perpetuò infames declarauerint; Et in Occidentali Imperio, cum Supremus Pastor Ecclesiæ & Occidentalis, & Orientalis, seu Latinæ, & Græcæ eligendus est, locum habebit simonia, ita vt censeatur adhuc esse legitimus Pontifex, qui simoniacè electus fuerit contra dilucidam declarationem *Iulij* II. probata ab alijs quoque R. P. & Concilij Generalis Patribus? Videat R. P. an expediat illam iterum innouare &c. propter quorumdam genium recentiorum, qui fermè toti sunt in laxandis conscientijs, & salubrium Canonum, & Constitutionum Pontificiarum vi eneruanda: Quod tamen non effecerunt circa hæc Bullam *Azor*. tom. 2. Inst. lib. 4. c. 5. sept. quæst. vbi licet asserat, *ante illam fuisse communem Iuris Pontificij interpretum sententiam contra electum ex simonia excipi non potuisse propter c. Licet* de Elect. (cui apertè derogauit *Iul.* II.) post tamen hanc *Iul.* II. Const. ait Excipi posse *crimen simoniæ, sicuti & hæresis, contra electum; Nec dubitari posse, quin illa condi potuerit, cum R. P. electionis*

forma

forma Canonico iuri subijciatur, quo cauetur, ne his, aut illis malis artibus eligatur; nec *Gamb. & Scortia* in Exposit. illius Bul. nec Card. *Alban. Iacob.* nec *Bonac.*nouissimè in q.2. *Tract. de Leg. Sum.Pontif.Elect.iuxt. Sum.Pontif.præsertim Greg.XV. & Vrb.*VIII.*Constit.* Et profectò in hac materia Electionis R.P. opiniones certæ,non opinatiuæ, ac tutæ prorsus forent amplectendę,licet quædã,vt probabiles in materia Simonię, (id cõsultò reperitur)in alijs casibus quibusdã admitti possent; Si enim verè quis nõ est legitimè electus,seu legitimus Christi Vicarius, ac Petri Successor; quam vim verè illius decreta habebunt? Neque enim satis est consensus Vniuersalis Ecclesiæ, vt constituatur legitimus, si electus simoniacè fuerit, vt n.21. ostensum est, & ampliùs declarari potest. Et præterea cum debeantur solum obedientia, reuerentia &c. R.P.*Canonicè intranti*;cum dubium, vel opinio est, illum simoniacè electum fuisse, poterit illi subtrahi obedientia &c. iuxta doctrinam præter alios e S.I. *Vasq.*1.2.*d.62. Sanch. lib.6. Mor.c.*3. quorum quamlibet opinionem esse prorsus probabilem scripsit.*Card.Pall in lib.Vind.Romæ impresso* c.27.p.222.quam etiam p.1.d.2.p.6.n.5. *Castr.Pal.* ex ead. S.I. *Clarissimus Scriptor* dictus ab eodem Cardin.c.36. p.288. latiùs,quam *Sanch.* tuetur. Qua de causa consultissimum foret authenticam edere decisionem quarumdam quæstionum, quæ circa hanc Bullam quoque admissam,a recentioribus nonnullis agitatæ sunt &c. *TERTIVM* cum ipse R. P. vt etiam docet S.Th.q.100.ar.1.ad.3. *Possit incurrere vitium simoniæ, sicut & quilibet alius homo; quamuis enim res Ecclesiæ sint eius, vt* DISPENSATORIS, *non tamen eius sunt, vt* DOMINI, *& possessoris; & ideo si reciperet pro re aliqua spirituali pecuniam de reditibus Ecclesiæ alicuius,non careret vitio simoniæ; & similiter etiam possit committere simoniã recipiendo pecuniam ab aliquo Laico nõ de bonis Ecclesiæ*;Vnde etiam sequitur, ait Caiet. *quod de plenitudine potestatis non possit ad libitum R. P. dare bona Ecclesiæ, cui voluerit, aut Consanguineis &c. sed tenetur fideliter dispensare, vt recta ratio suadet iuxta illud*; Hic iam quæritur inter dispensatores,vt fidelis quis inueniatur, *& rursus*, Fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis in tempore tritici mensuram; *& non ad libitum, quantum volet*,nec quantum quisque voluerit; octo siquidem ingentia mala redundare in Ecclesiam e pluralitate beneficiorum in vnum collata enumerat *Ioan.*22. in Extr.*Execrabilis* de Præb. & Dignit. reposita iterum eod.tit.Extrauag. com. Facilis autem redditur dispensatio ab amore Consanguineorum &c. Huiusmodi autem simoniæ crimen in R.P. esset grauius, quam in cæteris; vt enim ibidem ait S.Th. *Peccatum tantò in aliqua persona est grauius, quantò maiorem obtinet locum*; quod etiam habetur d.40.c.5. & hinc illa Bern. lib. 2. de Consid. *Inter sæculares nugæ,nugæ sunt; in ore Sacerdotis blasphemiæ*; imò etiam Patr. Trid.Conc. sess.22.c.1. monent Clericos omnes, *vt leuia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent,effugugiant*: Cum autem hi præmittant, *in eos, qui a rebus sæculi in altiorem locum sublati conspiciuntur, tanquam speculum reliqui*

liqui oculos conijciant, ex ijsq. sumant, quod imitentur; Cum R.P. in altissimum præ cæteris omnibus fuerit sublatus locum, cæteri omnes Episcopi, ac distributores nominatim beneficiorum in ipsum oculos conijcientes, si munere accedente a manu, a lingua, ab obsequio Eccles. Beneficia, & Eccles. dignitates conferre conspiciant, ex eo sument, quod imitentur in hoc præsertim, vtpote naturali propensioni admodum conforme; illa verò separatio, quam aliqui excogitarunt, tituli spiritualis a temporalitate in beneficijs, aut vana est, aut illicita, & æquè perniciosa; vt supra n.59. declaratum est. Speciem autem simoniæ profectò vitandam esse peculiariter in Cardinalium creatione iam num.13. §.2. ostensum est. *QVARTVM. Faciliùs simoniæ vitium in cæteris euulsurum, & a semet longissimè propulsaturum*, si omni studio cauerit prorsus *ab auaritia*; ex qua homines in simoniæ scelus ruere, inter alios asseuerant *S.Basil.*ep.76. & *S.Greg.*lib.9.ep.49. & vt monuit Christus Luc. 12.v.15. *Cauerit ab omni auaritia*, hoc est, non solum *aperta, vel magna*, verùm etiam *occulta, vel pauca*, seu ab *immodica habendi cupiditate*, vt habet *Mald.* ibi memor Christi eiusdē rationis subiunctæ illico, *quod vita hominis nō possit diuitijs longior fieri*; siue etiam ab *omni auaritia, tum sua, tum aliorum siue Cōsanguineorum, seu domesticorum, & e familia sua*, a quibus peculiariter *Basil.* Patres sess. 23. hortati sunt, euellendum *quicquid simoniacæ labis Deum offendere, vel homines scandalizare posset*, vt n.84. significatum: est enim plane communis sententia in hoc crimen incidere *intercessores ipsos, ac mediatores* iure diuino, ac positiuo, si accipiant pecuniam, vel quidquam temporale, vt obtineant dantibus a Prælatis beneficia, nisi mediator tantum assumat curam informandi illos de meritis taliū personarum: Quod tamen *Suar.* lib.4. de Sim. c.13. in fin. videtur speculatiuè verum, *practicè autem periculosum, nisi magna cautela, & recta intentione fiat; quia iste mediator sæpe excedit officium informantis tantùm, & assumit officium exhortantis, & inducentis plusquam obiectum ipsum posset per se inclinare; tunc autem iam exercebit officium intercessoris, & incidit in simoniam &c.*

CXXXI. Dubitare videtur S. Petrus, an rogatus etiam Deus Simoni esset remissurus *cogitationem cordis sui* de danda pecunia cum intentione habendi potestatem communicandi Sanctum Spiritum ijs, quibus manus imponeret. Quid, quæso, sentiret Petrus de ijs, qui re ipsa dedissent, vel accepissent pecuniam, vel simile quid temporale, vel pactū inijssent de tali summa pecuniæ &c. ad Eccles. Benefici; consecutionem? Hæc pura Simonis pecuniæ oblatio, *qualem plagam*, inquit *Ioan.Cagneius* Parisiens. Theolog. Christianiss. Franc. Regis Ecclesiast. ac Primus eleemosynar in Com. Act. Apost. *Inuexit in Ecclesiam, quem plerique sub simulatione imitantur, innumeris pactis d na Dei alienantes, sub obligatione iniquitatis ad ima corruentes*. Cui præiuit ille qui in Comm. ad c.19. lib.19. *S.Aug.* verba de Episcopatu, *Tamen indecenter appetitur*, subiungit; *Nunc ita curatum est diligentia, & ingenijs quorumdam, vt citra fraudem huius legis* (hæc reposita est pariter 8. q.1. c. Qui

Epi-

Episcopatum) *possit Episcopatus non appeti modò, sed emi quoque, ac vendi;* licet illudatur sæpe parum cautis, alijs speciosis nominibus venditionem, ac emptionem simoniacam occultantibus nonnullis maximè recentioribus; qui planè discedunt a communi antiquiorum sententia e sacris ipsismet Canonibus deducta, quod in hac materia *nomen emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus*; vt habet clarè etiam *S.Th.* q.100. ar.1. ad 5. Equidem pij omnes Doctores, bonique Ecclesiæ primarij amantes conspirare deberent voce, scriptis ac libris, vt vel illius vmbram dissiparent, quæ grauissimos inducit in cunctos fideles morbos, dissimilis prorsus vmbræ S.Petri, quæ infirmos sanitati restituebat. Laudabilis est prohibitio, & sub Excomm. ipso facto &c. pœna, quod nemo doceat, defendat, edat, aut disputet publicè, aut priuatim tractet, nisi forsan impugnando, & in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione Diuini Iudicij, quod nemo prorsus ad praxim deducat, quod *non est contra Iustitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia Collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica pecunia interueniente non exigit illam pro collatione Beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.* Verùm adhuc minùs laudabiles, nec minùs vtiles profectò essēt aliæ prohibitiones de alijs sententijs, quod titulo gratitudinis, liberalitatis &c. possit aliquid antecedenter, & concomitanter dari, & accipi; id etiam deduci in pactum expressè &c. per solam mutationem voluntatis, quod id non detur, vel accipiatur vt pretium &c.

CXXXII. Simulat pœnitentiam Simon ad Petri verba. Perrarò simoniaci veram exhibent pœnitentiam, quia vel nolunt restituere collatores Beneficiorum, quod sibi datum est, vel illud compensare, & qui Benef. Eccles. simoniacè possident, nolunt illis semet vltro priuare. Dispensatio autem, si essent re ipsa ex iure Diuino inhabiles ad illud retinendum, haud illis ad æternam proficeret salutem; nec in foro exteriori ipso esset valida, etiamsi essent tantū inualidi iure positiuo ad idē retinendum, si ex obreptione, vel subreptione, vel importunitate obtenta. Difficillimum oppidò est, vt Sacerdos, potissimùm e longa consuetudine, grauiter peccans ex toto corde ad Deum se conuertat, vt colligitur non solum ex verbis illis d.1. de Pœnit. cap.59. *Si Sacerdos peccauerit, quis orabit pro eo?* quæ vt 1. Reg. c.2. affert *S.Leo* ep. 90. vel 92. ad Rustic. Narbon. & leguntur d.50. c.67. & in Comm. ibi *S.Greg.* *Quis ei intercessor remanet, cum ille se trasgrediendo præcipitat, qui ad intercedendum pro alijs ordinatus est:* Verum etiam e repositis c.87. eius. d.1. Auct. Impers. Hom.40. in Matth. *Quis aliquando vidit Clericum citò pœnitentiam agentem, & si deprehensu humiliauerit se, non ideo dolet, quia peccauit, sed ideo confunditur, quia perdit gloriam suam.* Vbi Nauar. *Nota PRIMO; rarò esse Sacerdotes honorabiles, & qui cum actu honorantur, quos sui peccati mortiferi, per quod famam suam perdant, rectè pœniteat*; atque postea; *Nota ex Glosa posita in Verb.* Gloriam, *Corollarium notabile, quod infert ex hoc textu, scilicet Clericos esse deteriores laicis;*

Quod

Quod probat hoc cap. quatenus habet, peius eos pœnitere suorum peccatorum, quam laicos; cum tamen Hier. dicat in Com. Epist. c. 2. in vltimis verbis relatus a Grat. in C. Qualis 8. q. 1. vehementer Ecclesiam Dei destruere, meliores laicos esse, quam Clericos. Huius autem difficilioris pœnitentiæ in Clericis, quam in Laicis, rationem verè elegantem ibi *Auct. Imperf.* præmittit, sic inquiens. *Sæcularis homo post peccatum facilè ad pœnitentiam venit; nam occupatus negligentia sæculari, dum scripturis non satis attendit, semper ei, quæ in scripturis posita sunt, noua videntur; ideoque cum audit aliquid de gloria Sanctorum, aut de pœna peccatorum, quasi nouum aliquid audiens, expauescit; dumque aut bona concupiscit, aut mala timet, compunctus, ad pœnitentiam citò decurrit: Nihil autem impossibilius, quam illum corrigere, qui omnia scit, & tamen contemnens bonum, diligit malum; omnia enim quæcumq. sunt in scripturis propter quotidianam meditationem ante oculos eius inueterata, & vilia æstimantur; Nam quicquid terribile est, vsu vilescit. Propterea Clericus, qui semper meditatur scripturas, aut omnino obseruaturus est, & erit perfectus; aut si semel cœperit eas contemnere, nunquam excitatur in illis, vt timeat:* Et pauló superius. *Verum est, quia melior est laicus, qui in prima facie sæcularem vitam profitetur, re vera autem complectitur spiritualem, quàm Sacerdos, qui in prima quidem facie profitetur vitam spiritualem, reuera autem complectitur carnalem; & melior est laicus ante Deum pœnitentiam agens, quàm Clericus permanens in peccatis; laicus enim in die iudicij stolam Sacerdotalem accipiet, & a Deo Chrismate vngetur in Sacerdotium; Sacerdos autem peccator spoliabitur Sacerdotali dignitate, & erit inter infideles, & hypocritas &c.* Quibus illa ex eodem ibi addenda; *Et verè magna confusio est Sacerdotum, & omnium Clericorum, quando laici inueniantur fideliores eis, & iustiores. Quomodo autem non sit confusio, esse illos inferiores laicis, quos etiam æquales esse confusio est?* Si in plerisque saltem Sacerdotibus, vel Clericis læthaliter, ac frequenter peccantibus id verum deprehenditur experientia teste ipsamet (de quo certè erubescendum, ac ingemiscendum) Verius deprehendetur in simoniacè peccantibus propter difficultatem iam significatam dimissionis beneficij, & restitutionis pretij; quæ amplior adhuc redditur, si frequentes fuerint exerciti actus; quod magis adhuc accidere potest in Collatoribus. Quidni adhuc Verius id in R. P. si peccarent contra Ius Diuinum, ac naturale, imò positiuum quoque deductum mediatè certo, ac euidenter ex Iure Diuino, ac naturali, sub quo comprehenduntur multi Canones e simonia loquentes, cum ille sit vniuersalis, & longissimè plurium Benef. Eccl. distributor, nec vllus eas dignitates Ecclesiasticas conferre possit, quas ipse? Verendum est, ne si frequenter lapsus in hoc fuisset vitium, quò ætate prouectior, eò magis animam, famamque pollueret suam; Etenim quo Senior homo euadit, eò auarior esse solet.

Act.9. a v.32.

CXXXIII. VAlde laudabilis S.Petri modestia, dum Paralytico iacenti dixit, *Sanat te Dominus Iesus Christus*, nulla sui facta mentione, licet non mendaciter dicere potuisset, Ego in nomine D.I.C. te sano. Modestè semper de se, rebusq. a se gestis etiam preclaris, loquatur R.P. eamque modestiam exigat ab ijs, qui cum ipso, vel de ipso loquuntur, ac etiam scribunt, ita vt nullus assentationi locus detur; memor sensisse S.Chrys. Hom.89. in Matth.27. *Si auerti nonnullos decet, adulatores magis, quam contumeliantes odisse oportet; maior enim non attendentibus ex adulatione pestis oriri solet*: atque Hom. de Dauid, & Saule, *Quantum vtilitatis non adferunt amici, dum laudant, & ad gratiam loquuntur, tantum vtilitatis adferunt inimici vituperando, etiamsi vera dixerint &c. nam amici frequenter ad gratiam adulantur, contra hostes delicta proferunt in medium*. Verum hi haud veri sunt amici, sed falsi, qui ad voluntatem, seu voluptatem aliorum loquuntur, Gnathones Terentiani &c. ex ipsorummet sensu quoque Ethnicorum; imò hostes, hostibusque peiores e n.42.

CXXXIV. Non dedignatur Petrus proficisci ex Lydda ad Ioppen ad duorum inuitationem hominum. Haud dedignari debet R.P. dum Ecclesiæ vniuersalis maximè necessitas, vel vtilitas non leuis foret, ex Vrbe proficisci, eum petens locum, in quo opportuniùs Ecclesiæ commodis consulere possit. Id eò faciliùs præstabit, si animaduerterit, haud sibi tunc multos famulos, multosque ministros opus esse ad auctoritatem sibi conciliandam. Etiamsi cum paucissimis eò concederet, si constaret salutem, profectumque animarum spiritualem propositum habere R.P. iter, ac moram extra Vrbem; certus sit, venerationem sibi debitam a populis, ac Principibus non subtrahendam, quin etiam ampliorem deferendam, si vt eo celeriùs iret, & minoribus cum populorum, ac Principum, & Apostolicæ Cameræ sumptibus iter conficeret, notum foret amplum pro more comitatum, ac famulitium detrectasse. Summa benignitas Petri, qui statim, ac audiuit tantùm dicentes, *ne pigriteris venire ad nos*, *exurgens cum illis venit Ioppen*. Sic etiam rogantibus reliquis Apostolis (vt communiter censetur ad ly *miserunt*) Petrus cum Ioanne Act 8. v.4. concessit in Ciuitatem Samariæ, quæ receperat verbum Dei, vt *impositis manibus* iam baptizati a Philippo *acciperent Spiritum sanctum*. Quidni R.P. a Cardinalium Collegio, vel a Prouinciali, seu Nationali Episcoporum Concilio rogatus ad eum contendat locum, in quo speretur, ipsius opera inter Christianos Principes bella sedanda, Principes Christianos ad arma excitandos cōtra infideles, dirimendas quasdam contentiones circa Catholicos ritus, Pacem, vnionemque Christiano populo reddendam &c.? Romanæ

næ Vrbis delicias, suaque in primis prosequi commoda haud magnanimi quoque est R. P. ne dum vigilantis super gregem suum Pastoris. Vt ouium Christi profectò saluti cõsulerent, & præcipuè ad celebrandâ Concilia, quot Pontifices etiam post decimũ sæculũ Roma abierunt, ac potissimè in ipsum Galliæ Regnum? Etiam superiori sæculo *Clem. VII.* annum agens 65. Marsiliam profectus fuit an. 1533. allocuturus *Franciscum Galliarum Regem*; sicuti & *Paulus III.* agens circiter 75. Buxetum allocuturus *Carolum V.* an. 1543. propter causas, quas Historici, & *Onuphr. Panu.* in vita amborum Pontificum narrant. Nunquam R. P. ex Vrbe pedem referant verè propter fines merè terrenos, vt neque ad hos *Legatos a Latere* mittendos indicatum est in fine n. 14. sed non nisi vt manus auxiliares Christi porrigant ouili, illud aliqua ex parte restauraturi, vel indicans ruinam sustentaturi.

CXXXV. Si quidam e simplicitate, vel quia in Curijs, & maximè Romana, haud versati sunt, secum loquentes quibusdam haud officiosis pro more vtantur verbis, haud R. P. irritetur, aut a suo remoueat aspectu, sed potiùs humanissimè illis respondeat, eorumque iustis annuat precibus, ac libentiùs, quam quorumdam, qui assentatoria, & longo verborum circuitu, Rhetorum vtuntur more, qui nonnulla ab ipso impetrare sibi, vel suis conantur tandem, vt animaduertit *S. Bern.* lib. 4. de Consid. subiungens *Eugenio*; *Scorpioni non est in facie, quod formides, sed pungit a cauda*; quibus addit postea, *Verbosulum adolescentem, & studentem eloquentiæ* (etiamsi non sit adolescens) *cum sapientiæ sit inanis* (eloquentiæ studens solet esse talis) *non aliud, quam iustitiæ hostem reputes*. Affectatum, seu facatis quibusdam verbis admixtum, verbosumque pariter sermonem adhibentes si R. P. euitare debet prudentis amator simplicitatis, temporisque auarus; æquiùs est, vt sermo ipsius sit grauis, ac serius, ac minimè verbosus. E R. P. ore verba, non nisi ad rationis libram priùs solicitè examinata, profluere debent, ita vt omnia fermè Diuina quasi oracula sint ab omnibus meritò habenda.

CXXXVI. Vitæ S. Petrus reddidit Tabitham Viduam paulò ante defunctam, quæ *plena fuerat operibus bonis, & eleemosinis, quas fecerat*, inter quas erant tunicæ, & vestes, quas alijs elargiebatur viduis. In illas peculiariter se ostendât propensum R. P. mulieres, ac nominatim Viduas, quæ opera bona exercent, ac præcipuè charitatis in alias pariter mulieres, ac viduas (ea hominibus in alios homines, nisi graui premuntur necessitate, relinquentes) similes *S. Brigittæ, S. Franciscæ Romanæ, S. Elisabeth Portugalliæ Reginæ &c.* Non verò in mulieres, ac viduas nobilitate, vel diuitijs præstantes, vel etiam Consanguinitate, vel Affinitate sibi iunctas, nisi persimiles sint Tabithæ, a quarumcumque tamen familiaritate seiunctus, vt significatum est n. 73. §. 1. Cum verò ibi subiungatur in fin. c. S. Petrum, Ioppe *multos moratum esse dies apud Simonem Coriarium*, non verò apud Affines, vel Consanguineos Tabithæ, quam ad vitam reuocauerat, quos verisimillimum est fuisse opibus abundantes, cum Tabitha largas elargiretur eleemosynas; cum

Ll 2 minus

minùs nobilibus, ác diuitibus debet esse R. P. collocutio, & consuetudo plerumque, exemplo etiam Christi, qui etiam peculiariter dicitur Isai. c.61.v.1. *Missus esse ad Euangelizandum pauperibus*; quod & peculiariter renunciari iussit Christus Ioanni Baptistæ Matth.11. v.5. & Luc.7. v.22. illis enim peculiariter promittitur regnum cælorum, non autem nobilibus, ac diuitibus.

Act. 10. a vers. 5.

CXXXVII. QVam frequens in precibus Apostolorum Princeps, modò ad *horam sextam*, & oraturus *Superiora domus ascendit*; Act. 3. orauit ad nonam, ac in templo; tempus, quod supererat Verbi Dei ministerio diurnum, impendens orationi. Haud Petri is sisteret vestigijs ille R. P. qui Horarum recitatione Canonicarum, aut missæ celebratione, vel breuissima lectione aliqua spirituali initio mensæ, maximam reliqui temporis partem sæpissimè, aut totam sæpe dicaret sermonibus de Politicis, Oeconomicis, Rhetoricis, alijsque n.73. §.3. enumeratis. O quam opportunum foret, vt R. P. in singulos dies vnam *addiceret horam Considerationi obligationum sui vniuersalis officij Pastoralis, alteram meditationi, & contemplationi*; atque iisdem in singulos menses diem vnum, & in singulos annos decem, aut quindecim dies; sic enim & *Card. Bellarm.* quotannis per mensem a negocijs Curiæ semet segregabat commorans in Domo Probationis Soc. Iesu Romana; quo tempore valde pios, ac vtiles conscripsit libellos. His quoque diebus subtractis Curiæ consuetis Curis in lectionem Sacræ Scripturæ incumbere potissimùm deberet R. P. quam adeò Turonensis 3. Concilij Patres an. 813. de quibus supra, necessariam iudicarūt Episcopis, vt cap. 2. huiusmodi ediderint. *Omnes Episcopi studiosè operam diuinæ dent lectioni; sanctum Euangelium, & Epistolas B. Pauli Apostoli non solum crebrò lectitent, sed etiam quantum possint, memoriæ studeant commendare, Sanctorumque Patrum Opuscula super eadem exposita deuotè frequentent. Similiter & de cæteris libris Canonicis faciant*; Cui cum subiungant c.3. *Nulli Episcopo liceat Canones, aut librum Pastoralem a B. Gregorio Papa editum, si fieri potest, ignorare; in quibus se debet vnusquisque, quasi in quadam speculo, considerare*, Tunc enimuerò operam studiosior præ alijs diebus, vt iam significatum est n.107. danda a R. P. lectioni Euangeliorū, ac Epistolarum B. Pauli; & præter libros alios Canonicos, Pastorali *B. Gregor.* ac etiam libris 5. de Consid. *S. Bern.* O quam sollicitior euaderet semper R. P. id præstans in Ecclesiæ vniuersalis regimine! Ille in singulos annos plurium hebdomadarum spatio corporis vires restaurandi in Villam concedit, remotus a consuetis Curialium molestijs; & ad solas animæ vires, quæ frequentissimis non possunt non debilitari negocijs, restau-

restaurandas pariter a Curialium turba remotus aliquot dies, vel hebdomadas non conse rabit?

CXXXVIII. Hospitalitatem fuisse valde frequentatam a priscis Christianis, Ecclesiasticæ tradunt Historiæ, quæ & asserunt, plurimos ex ea impulsos ad Christianam fidem fuisse. Inter virtutes enimuerò Episcopi hanc peculiariter enumerat Apostolus 1. Timoth. c.3. vers.2. & ad Tit. c.1. v.8. propter cuius defectum Archidiaconus Florentinus Anconitanæ Episcopus Ecclesiæ Electus, haud a *S. Greg.* confirmatus fuit, vt ipse scribit ad *Ioan. Episc.* epist.6. lib.12. ac legitur d.85. cap.vn. Et hæc quidem commédatur omnibus Clericis, ac Sacerdotibus d.42. c.2.16.q.1.c.fin. sed præ alijs omnibus Episcopis d.89. c.*Volumus* 2.10. q.1.c.*Quia tua* 8.& q.2.c.*Illos* 30.(*Grat.*d.42.§.*Hospitalem*, decem huius hospitalitatis causas innuit) & præterea a *Concil. Aruern.* lib.2. c.103. Paris.3. lib.1.c.14. *Aquisgr.*1.c.141.& 2.c.3. *Matisc.*2.c.11.& 13. *Meld.* c.28. *Oxoniens.* c.1. atque peculiariter Patres *Tur.*3. Concil. de quibus supra c.6. sic decreuerunt, *Peregrini, & pauperes conuiuæ sint Episcoporum; cum quibus non solum corporali, sed & spirituali reficiantur alimento.* Quidni hæc virtus exercenda potissimè a R. P. quibus Sanctissimi etiam R. P. præiuerunt exemplo, declarante interdum ipsomet Christo, quam sibi gratum foret hoc misericordiæ corporalis opus; de quo si a quolibet fideli exigenda a Christo Iudice est ratio peculiaris Mat. 25.v.35.& 38. multò magis ab illis Episcopis, qui ad hoc opus quoque Episcoporum proprium amplos obtinuerunt reditus, & iustius a R.P. qui etiam præbere debet alijs huius exempla virtutis. Hospitatur S.Petrus *apud Simonem Coriarium*; & ipse Petrus tres Cæsarea venientes *introducens* in huius optimi Viri domum, *recepit hospitio* v.6. & 23. Cum vero Vicedominus, seu Maior Domus Episcopalis teneatur inter cętera superuenientes excipere hospites d.89.c.*Volumus* 2.e *S.Greg.* lib.9.ep.66.ad Anth. Subd. Cur non idem iussu R. Pi præstiterit ipsius Domui Præfectus? Cur non amplissimi pars Pontificij Palatij non assignari queat pro hospitio saltem Sacerdotum, & Episcoporum, qui cogerentur hospitari in communibus vulgarium hominum domibus, ad limina accedentium Apostolica, seu pietatis causa, seu e peculiari obligatione Episcopali, seu agendorum in Romana curia negotiorum ad suas spectantium Ecclesias &c.! An non saltem Domus coemenda, & congrua supellectili Pontificijs instruenda expensis, in qua huius generis hospitibus, cum secus semet congruè sustentare nequirent, cõgrua suppeditarentur alimenta; in qua certo morarentur tempore, quousque negocia id exigerent, facto tamen prius verbo cum Sanctissimo, atque facto certiore de qualitate personarum, negociorum &c.? Nunquam fiat, vt cum admonuerint Trid. Conc. Patr. sess.25. init. cap.8. *Quod quicumque Ecclesiastica beneficia sæcularia obtinentes, vt hospitalitatis officium a Sanctis Patribus frequenter commendatum, quantum per eorum prouentus licebit, promptè, benignè exercere assuescant, memores eos, qui hospitalitatem amant, Christum in hospitibus recipere*; hæc prom-

ptitudo, ac benignitas exerceatur cum diuitibus, & primarijs quibusdam hominibus, qui amplo fruentes patrimonio volunt pasci e patrimonio Crucifixi, relictis pauperibus, & ijs quos hospitio excipere est verè opus misericordiæ; in quorum morem exercendæ hospitalitatis acriter, sed meritò, inuehit *Blesensis* epist. 102. ex persona Abbatis Radingensis, conquerens, *quod diuitibus in hospitio cum honore, & reuerentia susceptis, in omni opulentia deliciæ apponantur de patrimonio Crucifixi, & quod in hospitalitate hodierna diuites ad gloriam dæmonum splendidè epulentur, & Christus, qui Charitas est, contemptu, inedia, & nuditate afficiatur &c.* Ad huiusmodi autem homines hospitio excipiendos non Ecclesiastica quæcumq. beneficia fuisse instituta patere potest, cũ non sit misericordię opus, maximè cũ hinc eo, quod subministratur vni, aut alteri ex his, ali possent quindecim, & viginti alij, qui non essent diuites, vt isti: Indeque fit, *vt non solum si non dentur omnia, quæ isti desiderant, Prælatum arguant de auaritia, Ministros de inhumanitate; si dentur, accusent Prælatum de luxu, & de prophanitate Religiosos, & sic nulli e diuitibus integrè satisfiat: Verùm etiam Regularium Monasteria multa patiantur detrimenta, tum in disciplina regulari propter horum consuetudinem, tum in reditibus propter expensas; & hinc grauissimo postea premantur alieno ære; vnde cogantur stabilia interdum quoque bona vendere.* Quando autem interdum huiusmodi diuites necesse sit ex vrbanitate, vel gratitudine, vel alia simili causa excipere, saluberrimum foret, vt certò statueretur, quot fercula, & ex quibus essent illis apponenda, sicuti etiam Abbatibus, & alijs ex eodem ordine hospitibus; largissimi siquidem fiunt sumptus in Abbatum quoque, aliorumque Religiosorum hospitalitate ab Abbatibus hospitantibus in hoc honorem suum reponentibus, non in religiosa modestia, ac frugalitate, aut a Cellerarijs, alijsque Ministris ad gratiam sibi captandam, vel sæcularium primariorum, vel Abbatum, aliorumque. Qui cum non possint non esti noti R. P. certiores facti de his a Cardinalibus Protectoribus Ordinũ præsertim Monacalium, & Canonicorum Regularium, moderationem seueram opus foret horum Ordinum Prælatis indicere, ita vt sub pœnis grauibus omnino ab eorum Generalibus Capitulis decerneretur, vt in quolibet Monasterio non nisi talis pecuniæ summa expendi posset in excipiendis hospitibus quibuslibet, seu sæcularibus, seu Prælatis, seu alijs, & amplior quidem pro illis, quam pro istis, vel tot fercula &c. ita vt frugalis verè mẽsa censenda sit, & non lauta, maximè cũ hæc minimè Regulares Prælatos deceat; Qui hinc quoq. occasionẽ tribuunt subditis conquerendi, & meritò sæpe, quod ipsi quandoque congruis, vel etiam debitis sibi priuentur alimentis, cum ipsorum Prælati opiparam ducant vitam &c. S. quidem *Bened.* c. 56. Regulæ statuit, *Mensa Abbatis cum hospitibus, & peregrinis sit semper*; At non est verisimile, quod Sanctissimus Legislator voluerit lautam illis exhiberi mensam, sed moderatam iuxta hospitum, & peregrinorum qualitatem: Et ex charitate quidem solum tenentur etiam Diœcesanos, ne dum alios excipere

cipere Benedictinæ Regulæ alumni, vt apertè declarauit *Alex. IV.* ann. 1255. Apr. 9. Charitas religioſa vera a redituum Monaſteriorum profuſione aliena eſſe debet; & priùs quidem exercenda cum Regularibus ſubditis; iniquum enim foret, vt propter ſuperfluitatem in excipiendis hoſpitibus, non haberēt hi neceſſaria, ſeu quæ illis debentur ex lege, vel conſuetudine, ſiue Religionis, ſiue talis Monaſterij &c. Vtilis animæ, corporis, ac fortunis Monachorum eſſet in hoc Reformatio indicta a R.P. qui tum a ſua, tum ab aliorum, quæ in ſuo inſtrueretur Palatio, menſa, luxum, deliciaſque arcere debet; quod haud auaritiæ tribueretur, ſi cæteroqui præclara ipſius in verè pauperes, ac egenos proferret liberalitatis argumenta. Sic efficaciùs monebit Epiſcopos quoque. 1. *VT Parochias Diœceſum viſitantes non ſumptuoſas quærant epulas a Parochis, ſed cum gratiarum actione recipiant quod honeſtè, & competenter illis fuerit miniſtratum; vt præceperunt Conc. Lat. Patr. ſub Innoc. III. c. 6. de Cenſ. nec victum longi temporis breuis hora conſumat, vt Ben. XII. in Extr. Vn. inter Extr. Com.* 2. *VT Hoſpites excipientes Prælatos, ac etiam Cardinales, multòque magis laicos Magnates non lautis valde illos excipiant menſis, in ijs redituum Eccleſiaſticorum partem, quæ danda eſſet pauperibus, vel alijs pijs operibus tribuenda, inſumentes.* 3. *VT hoſpitalitatem maximè exerceant cum Clericis, & Sacerdotibus potiſſimè, ac Regularibus, qui in communibus diuerſorijs cæteroqui deberent morari, in quibus illis non rarò ſcandalorum materia ſubminiſtratur, & illi quandoque obiata occaſione ſubminiſtrant: Inuitet autem Regulares maximè, licet habeant hoſpitia, in quibus cum lex clauſuræ non adſit, & vnus, vel alter Religioſus ibi commoretur, frequenter ſcandala inde oriri queunt &c.* 4. *VT iuxta legem conditam in Conc. Mediol. 1. an. 1565. Octob. Menſe a S. Carolo, qui erat e nobiliſſima inter Italas Borromæorum Familia, Nepos Pij IV. Archiep. Mediol. & Legat. ad Vniu. Italiam, habeant hoſpitum gratia neceſſarios apparatus non tamen diuerſi generis, nec maioris pretij, quā eos, qui ad ipſorum vſum cōceduntur, ita vt in omnibus humilitas, & modeſtia Epiſcopalis eluceat; ac pauperibus potiſſimè, non diuitibus, Epiſcopalis domus pateat.*

CXXXIX. Si non eſt *perſonarum acceptor* Deus, qui habet ſupremum, ac immediatum ſimul in quoslibet dominium, nullique prorſus tandem quidquam debet; multò minùs debet eſſe R. P. qui contra iuſtitiam, & commutatiuam, & diſtributiuam peccare poteſt, eſtque Paſtor vniuerſalis, ac Paſtor ouium Chriſti, quas omnes ſanguine ſuo redemit, omneſque paratiſſimus eſt cæleſtis gloriæ facere compotes. Et ſchiſmatis quidem periculo Eccleſiam objicit R.P. probabiliter, & interdum certo, dum quoſdam e Catholicis Principibus oſtendit ſe odio proſequi, armaque ſpiritualia, vel temporalia, vel vtraque arripit in aliorum gratiam &c. Quapropter meritò *Mag. Ludouicus Bail Abbauillæi Doctor Theologus, ac Propœnitentiarius Pariſienſis* in Additione Cōciliorum Gallicorum ad *Summam Conciliorum Franciſci Coriolani* edita an. 1645. loquens de *Concilio Turonenſi* (quod Conciliabulum non appellat

pellat *Matth. Palm. in Chron. Genebr.* nec pariter alij appellant , vt inquit, licet *Seuerinus Binius*, & Coriolanus ita appellēt) coacto an. 1510. cui præfuit *Franciscus de Rohan Archiep. Lugdun.* illius allatis definitionibus, sapienter subiungit: *Ex hisce definitionibus Concilij intelligi potest, quam schisma perniciosum sit, ex quo filij se se contra Patrem armandi materiam arripiunt, & quàm periculosum sit absque maturo consilio, causisque penitus necessarijs magnos Principes ad iracundiam prouocare, & veluti in desperationem inducere; ex hoc enim totius principatus, aut regni periclitatur religio, & salus infinitarum animarum, propter quarum salutem, etiamsi vnica eßet, omnes Ecclesiæ Pontifices propriæ vitæ cedere deberent, nedum aliquibus bonis temporalibus. Ergo* (*atebat Vincentius Rygaldus discutiens articulos huius Concilij in opere iam citato in cap. An sit permißum Regibus Christianis inferre bellum Pontifici Romano*) *non poßum cogitare, qua pœna veniant puniendi illi, qui tollunt amicitiam inter Papam, & Regem; nam æquè esse videtur, ac peccaret si quis tolleret Solem de mūdo &c.* Periculo autē schismatis iūctum est periculū hæresis; Quamuis enim nullus Princeps meritò possit Schismaticus appellari, qui *non renuit obedire R.P. in ijs, quæ ad eius officium spectant*, hoc est in spiritualibus, illumque vt talem in his agnoscit, licet in alijs, quæ ad Pontificis, vt talis, officium non attinent, renuat ei obedire, vt egregiè explicat *Card. Caiet.* 22. ad art. 1. q. 39. adeoque possit etiam cum R. P. bellum gerere, quin illi indicere absque peccato schismatis proprio; Vbi tamen in solis spiritualibus inter se communicant, & Pontifex, & Princeps, in alijs omnino discordes, & R. P. est nimis constans, vel pertinax in quibusdam, fieri potest, vt etiam in spiritualibus paulatim illi obedientia subtrahatur; ac licet primò id eueniat exteriori facto, animis postea vehementer exasperatis, non ampliùs verè interiùs agnoscatur ille, vt Vicarius Christi, supremumque caput particularium quarumcumque Ecclesiarum; quod est hæreticum, seu erroneum in fide, iuxta definitionem ipsius Constantiensis Concilij sess. 8. in damnatione art. 41. e 45. Ioan. Vvicles. *Quomodo* certè idoneus erit ad conciliandam inter Christianos Principes pacem ille R.P. qui summam in vnum beneuolentiam, in alium verò maleuolentiam potiùs præfert? *Quomodo* velit per suas leges, consiliaue pietatem promouere in illo Principatu, cuius Domino se declarat infestum, dum sine illius nutu, aut ope nequirent executioni illa mandari? *Quomodo* ipse ab aliquo Principe existimatus animo, & re ipsa alienus, omnes Christianos Principes excitare, ac impellere poterit ad Turcicorum inuasionem regnorum, vel ad ferendam opem, ne aliqua Ciuitas insignis, vel Prouincia ab eodem Turcarum Domino occupetur? *Quomodo* R. P. qui *pro ipsis Regibus hominum in diuino redditurus est examine rationē*, vt scripsit *Gelas. Papa* ad Anast. Imper. d. *96*. c. *Duo sunt*, sperabit suam correctionem vtilem futuram, si Princeps haud Paternam illam censuerit? Si etiam R.P. se nimis propensum exhibeat in aliquem Regularem Ordinem, vnde cæteri ferè omnes contemni videantur; animad-

uertat

cat (præter dicta iam n.18. in fine) futuros Regulares, qui si non editis libris, calamo tamen, & lingua possunt vulgo nota reddere multa Romanæ Sedis auctoritati, qua modò potitur, valde noxia, ac ipsismet R.P. indecora &c. Eum in omnes amorem ostendat, vt quilibet agnoscat, non inaniter in appellatione apud R.P. nomen *filij* sonare.

CXL. Cum dicatur Cornelius Centurio adhuc gentilis fuisse *vir religiosus, & timens Deum cum omni domo sua, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper; PERPENDAT 1. Si homo hic non Christianus, ac militiæ ipsi deditus hæc agebat; Quid sibi agendum supremo Christianorum omnium Præsidi, ac Duci totius cælestis, seu togatæ Clericorum militiæ. 2. Cum Cornelij assiduæ orationes, ac eleemosynæ ascenderint in conspectu Domini, ac illæ fuerint exauditæ; consimiliter exaudiendas prorsus ipsius orationes, si frequentissimæ fuerint, & illis adiunxerit alia etiam Charitatis opera, præter illa, ad quæ ex officio, ac iustitia tenetur. 3. Se decipi, dum sibi suaderet, quod nullus omnino extra Christianam, & Catholicam Religionem sit religiosus, ac timens Deum, nullus, qui opus bonum exerceat; sed potiùs existimet cum Petro, quod in omni gente sit, qui timet Deum, & operatur iustitiam, & Deo sit acceptus; qui tandem ab eo obtinebit media ad æternam salutem necessaria, quæ consecutus est Cornelius. Quamobrem vulgares quasdam voces, ac sensus euitet, nihil non reprehendentes in quibuslibet prorsus non Christianis, & Catholicis.* Hæc quidem S.Petri verba perpendens Nauar. c. 19. de Orat. & Hor. Can.n.94.& 95. inquit; *Nobis vehementer orandum, vt in nostras omnium mentes veniat, quod in omni gente Christiana sunt boni, meliores, optimi, vt contra mali, peiores, & pessimi, & stultum esse odisse, & odio habere Lusitanum, Castellanum, Gallum, Anglum, Germanum, Italum, aut alium alius cuiuslibet gentis hominem ob defectus, & vitia aliquorum eiusdem gentis &c. 4. Cum ad hominem hunc gentilem baptizandum, ac fidei mysterijs imbuendum ad Ciuitatem, in qua ille degebat, hoc est, Cæsaream, accesserit Petrus; haud fore Dignitati Pontificiæ indecorum, si Rex aliquis, aut Magnus Princeps gentilis, aut hæreticus quoque peteret ab ipso obsequiosè, vt ad suum Regnum, vel Principatum concedere dignaretur, ipse, si vires suppeterent, nec longissimum esset iter, obsecundaret in hoc Regi, aut Principi, ac in eorum ditionibus Christianæ, & Catholicæ Religioni eos aggregaret.* At quamuis cum Cornelius adhuc gentilis, dum introisset Petrus, obuius ei veniens, & procidens ad pedes eius adorauisset, Petrus illum eleuauerit dicens, *Surge, & ego ipse homo sum*; non debet tamen R.P. auertere homines a consueta modo Catholicorum ad eius pedes prostratione; hæc enim defertur ipsi, vt Christi Vicario, ad quem ipse eam prorsus referat, humilitatis internæ memor, quam verbis significauit ipsis S.Petrus, *Et ego ipse homo sum*. Caueat, ne se hominem declaret in alijs, dum in externis honoribus plusquam homo habetur. Singula R.P. dicta, factaque debent esse, vt plusquam hominis; Vnde nunquam *acquiescere debet carni, & sanguini* iuxta Apostolum 1.Gal.5. 16. imò nec *quæ cogitat, secundum carnem cogitare* 2. Corinth. 1. v.17.

Attamen cum R.P. re ipsa homo sit, adeoque fragilitati obnoxius humanæ, multa illi libentissimè condonanda, si verè leuia sint, & ex infirmitate orta, non e certa omnino animi sententia; quando nulli penitus licet peccatum veniale, vt officiosum quoque mendacium, committere, etsi homines vniuersi secus forent interituri, aut interimendi 22.q.2.c.14.e *S.Aug.* in Ps.5. vers.7. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. Cum autem ibi peculiariter significetur, nulla ratione concessam esse *perfectis* mentiri; quis concedet hoc R.P. qui est in summo Euangelicæ perfectionis statu, multòque minùs subdola mendacij tegumenta adhibere, quæ in Restrictione mentali latent, de quibus n.14. §.4.& 6. Dictum est, *Si verè leuia sint*; nam vix leue potest esse crimen in R.P. certè grauius semper erit fermè illius in eodem genere, quàm aliorum; *tum* ratione status summæ omnium perfectionis; *tum* e maiori proximorum offensione; *tum* ex maiori præ omnibus obligatione pascendi oues Christi bonorum semper operum exemplis; *tum* e magis ingrato in Deum animo, qui ipsum ad sublimissimam omnium Dignitatem euexit. Concedit quidem *S.Th.* 22.q.186. ar.10. Si Religiosus non ex contemptu, sed ex infirmitate, vel ignorantia aliquod peccatum, quod non est cõtra votum suæ professionis committat absque scandalo, puta in *occulto*, leuiùs peccare eodem genere peccati, quam sæcularem; quia peccatum eius, si est leue, quasi absorbetur ex multis operibus bonis, quæ facit, & si sit mortale, faciliùs ab eo resurgit, & propter intentionem, quam habet rectam ad Deum, quæ etsi ad horam intercipitur, de facili ad pristina reparatur, & quia iuuatur a socijs ad resurgendum. Atqui nullum ferè R. P. peccatum potest esse occultum, vt de Episcoporum peccatis fatetur ipsemet *S.Chrys.* Hom. 3.in Act. Apostol. ac in multis operibus bonis, quæ faceret, occurrunt frequentissimæ occasiones aliorum venialium, ac superbiæ in primis; ac nisi peccatum graue breuì detestetur, vt egit S.Petrus (qui tamen adhuc non erat Pontifex) eius recta in Deum intentiò breui in prauam mutabitur, maximè cum habere possit aulicos, & consanguineos, & affines, qui non ad resurgendum, sed ad permanendum in peccato, e quo vtilitatem ipsi recipiunt, iuuari queat. Quid si iusto Dei iudicio fiat, vt cum cæpisset R.P. cum summa omnium laude Pastorale munus obire, & postea acquieuisset carni, & sanguini, & cogitasset secundum carnem, ita cæcus euaderet, vt haud statum, in quo manet, peccati grauis non agnosceret! Sic Lucifer sublimibus præ cæteris donatus a Deo dotibus in vnicum lapsus crimen in eo inflexibilis mansit, manebitque perpetuò. Quamobrem instar Cornelij eleemosynis, & orationibus assiduis hoc inter cętera exorare a Deo nitatur, ne in peccatum lethale vllum se prolabi permittat, ac si permiserit, statim illud penitentia eluat, sitque eius prædestinationis, non negatiuæ reprobationis, effectus; hinc alacriùs, ac feruentiùs Pastorale munus exercendo, vt significatum est quoque n.74.

Act. 11. a vers. 1.

CXLI. ETiamsi laudabiles omnino, & coram Deo, & coram hominibus exerceat R.P. actiones, existimet nihilominùs, haud defuturos complures humana, nec vulgari sapientia præditos, qui illas vituperent, aut existiment Pontificiæ maiestati non congruas. *Omne humile*, inquit S.*Bern*.lib.4.*ad Eug. probro ducitur inter Palatinos, vt faciliùs quis esse, quam qui apparere humilis velit, inuenias. Timor Domini simplicitas reputatur, ne dicam, fatuitas. Virum circumspectum, & amicum propriæ conscientiæ calumniantur hypocritam. Porro amatorem quietis, & sibi interdum vacantem, inutilem dicunt. Quid ergo tu? Euigilasne adhuc ad istos, qui circumdederunt te laqueos mortis?* Non deerunt in R.C. homines, qui rationes etiam, sed leuissimas, vel sophisticas, vel ex humana tantum politia deductas excogitent, ac proponant, suadentes R.P. vt abstineat prorsus a quibusdam agendis, in quibus se Christi, Petri, aliorumque Sanctissimorum Pontificum etiam post decimum sæculum imitatorem se ostenderet, hortenturque ad alia agenda, in quibus complures R. P. se potius sæculares Principes, vel Pontificio gradu non penitus dignos, se vniuerso declararunt orbi. Cum quamlibet viuendi rationem amplectatur R. P. multorum linguas vituperantium non sit declinaturus; videat ipse, an sibi, humanitùs etiam loquendo, expediat vituperari e probis, vel improbis moribus, & a Scriptoribus hos, & non illos commemorari, & hinc fideles cuncti inter malos Pontifices sint ipsum perpetuò habituri. Propria Pontificiorum morum probitas non est examinanda *Populari trutina*, aulicorum, & quorumdam humana politia præstantium, aut illorum, qui ignorant, *quid liceat secundum æquitatem, quid expediat secundum vtilitatem, quid deceat secundum honestatem* c.7. de Voto &c. R.P. Christi Vicarium, Petri successorem &c. eiusque muneris obligationum imperiti sunt; vel si sint periti, ad fines suos, nullam habentes rationem, & salutis æternæ, ac humanæ, solidæque R.P. famæ, illarum vim eneruare ita student, vt facilè eorum mentes, cùm quisque sit propensus ad *spatiosæ* ingressum *viæ* Matth.7. vers.13. in suam pertrahant sententiam, nisi admodum perspicaces sint; simulque memores dicti sapienter a *Card.Pal*.c.2.lib.Vind.p.7. *Nulla veritas tam dilucida, quam eloquium ingeniosè maleuolum* (seu ingenio abutens) *sophismatum laruis non inobscuret*. Quænam autem veritas tam dilucida, quam vt R. P. pascere teneatur Vniuersum Dominicum gregem Verbi Dei prædicatione, Sacramentorum administratione, subsidio temporali, sed inprimis bonorum omniũ operum exemplo, prosequi præ cunctis Euangelicas virtutes, insistere pro viribus vestigijs Christi, S.Petri, reliquorumque Apostolorum, propagare Fidem Christianam, & Catholicam,

pietatemque, nihil omittere, quod ad salubre Christi ouilis regimen conducat &c. Statera, ad quam examinandæ sunt a R.P. actiones suæ, *Sunt sacra Euangelia; Sunt Epistolæ S.Pauli, & S.Petri; Sunt expositiones SS. Patrum in libros hosce Canonicos; Sunt Sacri Canones a Sanctissimis, ac prudentissimis Patribus Conciliorum Generalium, & aliorum, quæ iam probauit Apostolica Sedes, conditi; Sunt Decretales Pontificiæ; Sunt antiquiorum, præsertim Sanctorum, Theologorum doctrinæ; Sunt S.Gregorij Papæ tres Pastoralis partes, & libri quinque S. Bernardi de Consideratione; Sunt quorumdam pijssimorum hominum (de quibus p.76.) in dubio consilia.*

CXLII. *S.Greg.* vbi epist.ad *Theod.Patrit.* initio scripsit, *se miratum valde fuisse*, cur ipsa, quæ cor fixerat in cælo, contristata fuerit ob verba hominum in terra; qui enim vitæ suæ testem in cælo habet, iudicia hominum in terra pertimescere non debet; & ad id confirmandum plura e sacris litteris egregia protulit testimonia, addens in fine, *Hæc, dulcissima, & excellentissima filia breuiter dixi, ne quoties stultos homines Tibi derogare cognoscis, qualibet vel paruula mentis tristitia tangaris*; postea ex Euangelio docens, illa scandala, quæ nos ad peccata implicant, esse contemnenda Matth.15. & ea, quæ placare sine peccato possumus, modis omnibus Matth.17. mitiganda, cum Dominus tributum solueret, quod non debebat; Subdit ista, quæ licet longiora, opportuna tamen esse R.P. queunt. *Vestra itaque Excellentia potest, protegente Domino prauorum hominum scandala cum magna tranquillitate declinare; Priùs enim vobis secretò vocandi sunt, atque ipsis ratio reddenda; & peruersa quadam capitula, quæ teneri existimant, coram ipsis sunt anathematizanda. Quod si etiam (sicut dicitur) dari anathema fictè suspicantur, etiam iureiurando firmandum est, Vos nunquam ea Capitula tenere, nunquam tenuisse. Nec Vobis indignum videatur, tali eis modo satisfacere, nec de Imperiali genere sit contra eos aliquod in vestra mente fastidium; Omnes enim fratres sumus, vnius Imperatoris potestate conditi, & sanguine redempti; Et ideo fratres nostros, quamtumlibet pauperes, & abiectos, in nullo despicere. CERTE etenim PETRVS potestatem regni acceperat, vt quæque in terra ligaret, aut solueret, essent in cælo ligata, vel soluta, supra mare ambulauit, ægrotantes vmbra curabat, peccantes verbo occidebat, mortuos oratione excitabat; Et quia ex admonitione spiritus sancti ad Cornelium gentilem fuerat ingressus, contra eum quæstio a fidelibus facta est, cur ad Gentiles intrasset, & comedisset cum eis, cur eos in baptismate suscepisset; Et tamen idem Apostolorum primus, tanta donorum gratia repletus, tanta miraculorum potestate suffultus, querelæ fidelium NON EX POTESTATE, SED EX RATIONE respondit (Act. 10.) causam per ordinem exposuit, quomodo vas quoddam velut linteum, in quo quadrupedia terræ, & bestiæ, reptilia, atque volatilia inerant, de cælo submitti viderit, vocemque audierit, Surge Petre, occide, & manduca; qualiter tres viri venerint eum ad Cornelium vocantes; qualiter Spiritus sanctus tunc cum eis ire præceperit; Qualiter idem Spiritus sanctus, qui venire*

mire in baptizatos in Iudæa post Baptismum consueuerat; in Gentibus ante baptismum venit. Si enim cum a fidelibus culparetur, AVCTORITATEM, quam in Sancta Ecclesia acceperat, ATTENDISSET, respondere poterat; Vt Pastorem suum oues, quæ ei concessæ fuerant, reprehendere non auderent: Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profectò DOCTOR MANSVETVDINIS non fuisset. Humili ergo ratione eos placauit, atq. in causa reprehensionis suæ etiam testes exhibuit dicens; Venerunt autem mecum fratres isti. Si ergo Pastor Ecclesiæ, Apostolorum Princeps, signa, & miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere; Quantò magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debeamus &c. Quædam solùm ex hac epist. quæ est 39. lib. 9. ac legitur etiam in tom. 5. Concil. Venetijs impressorum apud Dominicum Nicolinum ann. 1585. qui eorum quinque tomos *Sixto V.* dicauit, pag. 43. sunt reposita 2. q. 7. c. 11. *Petrus*; vbi in notat. sub *Greg. XIII.* additis Decreto, quod diligentissimè recognitum ipsemet approbauit an. 1580. Iul. I. hæc leguntur; *Operæ pretium fuerit ad ipsum B. Gregorium adire; copiosè enim exponit, quæ hic a Gratiano concisè referuntur.* Placare fidelium scandala si satagerent R.P. reddētes rationem actionum suarum, quæ etiam solum passiuè forent scandalosæ, cætera per se laudabiles, & quæ aliquando non sine peccato omitti queunt, egregiè Petri personam referrent, populorum oblocutiones vitarent, ac inde ampliorem venerationem apud viuentes, famamque apud posteros adipiscerentur, vt euenit in ijs P.R. de quibus n. 74. qui se publicè purgarunt de quibusdam criminibus sibi obiectis. Quid si fieret, vt cum plurimæ eorum actiones, & publicæ, essent actiuè scandalosæ, R.P. exagitarēt vehemētissimè illos, qui eas vituperarēt, & huiusmodi scandala Christianæ perniciosissima Reipublicæ conarētur amouere! Isti enimuerò placarent scādala, vt Petrus, qui sanè narrauit exactissimè quicquid ad illud factum pertinuit, vt omnē planè scādali materiam submoueret, licet passiui? Et non scandala scandalis hinc potiùs adderent? Nec id satis. In Ecclesiam fermè læthales morbi inducerentur, si notissima illorum, qui ei præsunt, vitia non auderent Catholici ob acerrimas R.P. insectationes notare &c.

CXLIII. Haud afferat, vel permittat etiam afferi a quolibet, aliquā opinionem (multòque minùs illius auctorem cæterà Catholicum, affici iniuriosa, vel infami aliqua nota &c.) esse hæreticam, vel de hæresi suspectam &c. quam adhuc non constat inter Catholicos esse talem, nec circa illam definitio, aut censura spectans ad fidem a Romana Sede, vel a R.P. e cathedra prodierit, licet censuræ minùs graues aliæ admitti possent. Sunt opiniones non paucæ a Doctorum vulgo, vel ab assentatoribus Theologicis valde opprobriosis quibusdam notis aspersæ, quibus oppositæ potiùs aspergendæ; & aliæ ab ijsdem proponuntur, vt certæ de fide, quæ ne vix aliquando probabiles &c. vtpote non verè fundatæ in Verbo Diuino, seu scripto, seu tradito, nec proposita certò, &

tò, & euidenter immediatè, vel mediatè v Concilio vllo Generali, vel Pontifice e Cathedra, vel admissæ, vt certæ de fide omnino, a consensu Vniuersalis Ecclesiæ. Factum suum confirmauit S. Petrus, seu probauit vt legitimum, ex reuelatione diuina, cui soli Catholica fides enimuero innititur in suis Dogmatibus, ac Theologia vera in suis conclusionibus. Cui sanè iniuriam, nec leuem inferunt (præter crimen, nec leue, contra Religionem) qui conclusiones, seu opiniones stabiliunt, vel in deprauata, vel non integrè relata auctoritate Conciliorum, aut Patrum &c. vel in aliquo Sacræ Scripturæ loco, qui non facit ad rem, vel e sensu tantum accommodatitio, vel incongruè explicato, & quandoque ita ineptè exposito contra sensum maximè literalem, vt hæreticis cachinnum, Catholicis bilem moueant, vt ait *Cornel. a Lap.* in Encom. Sacr. Script. in fin. n. 27. Quiue ad voluntatem suam trahere Scripturam nituntur (quod tanquam *vitiosissimum docendi genus* vituperat *S. Hier. in Prol. Gal.*) & dum quasdam opiniones morales quoque, & practicas, nedum speculatiuas prosequi; ac proponere certò statuerunt, quidquid illis e sacra Scriptura videtur suffragari, statim arripiunt, ignorantes quænam sint certæ, quænam probabiles, quænam improbabiles, quænam temerariæ, insanæ &c. illius interpretationes, & illis sic innixas incautis exponūt, qui eas sæpè habent, vt omninò certas, & vt de fide &c. *Verissimum est illud pronunciatum, Priscos Patres, ac Theologos contendisse mores fidelium accommodare Sacta Scripturæ, Apostolorum doctrinæ; recentiores autem, nec paucos, contra contendere moribus præsentibus sacram Scripturam, Apostolorum doctrinam accommodare &c.*

CXLIV. Nequit R. P. prohibere Deum; Sic enim & S. Petrus in fine sui narrationis facti inquit, *Ego quis eram, vt possem prohibere Deū?* Videretur autem ille R. P. prohibere Deum: *QVI* 1. *Cum Regulares aliqui suorum Ordinum deformitatem aspicientes, ac non posse primeuæ regulari disciplinæ restitui*, pietate in Deum, zeloque maiorum suorum virtutibus florentem reddere Ordinem suum incensi, locum peterent ab aliis segregatum; in quo ipsi priscum viuendi modum retinere, ac prosequi possint, R. P. non annueret, vetaretque implicitè Ordinem reformari, facile aures aperiens nonnullis, qui vel mendacissimè asseuerarent, haud opus esse Ordini reformationem, vel calumnias struerent, & congererent in hosce, qui antiquam reparare disciplinam niterentur; fuit enim, estque modò familiare, maximè Superioribus primariisque Ordinum inobseruantium Viris, eos, qui pro puro spiritu a Fundatore immisso stare voluerint, vt hostes Ordinis, ac reos Maiestatis habere, eosque variis proscindere calumniis; vt legitur apud *Thom. Cantipr.* lib. 2. *Apum.* c. 12. *Philip. Abb.* lib. de Contin. Cler. c. 89. atque inter recentiores apud *Luc. Vuading.* ad ann. 1297. an. 33. Annal. Franc. Relig. & alios. *Theop. Rayn.* in Hoploth. sect. 2. ser. 2. c. 17. qui ait quoq. *Petri Ioannis Oliui Ord. Min. exemplum alicubi non neminem imitatione expressisse.* Sic Summi Pontifices approbarunt Ordines *Reformatorum S. Augustini, Strictioris Obseruantiæ S. Francisci, Carmelitarum Discalceatorum.*

norum, Prædicatorum, Seruorum B.V. alicubi &c. Attendendus quidem est progressus Reformationis; atque si conspicuus sit, Monasteria etiam multa non obseruantium cur istis non concedantur: At expediret sæpe, vt penitus inobseruantes extinguerentur Ordines, quibus non multum deberet Ecclesia propter singularia eorum in Ecclesiam vniuersalem, Romanamque merita, vt iam in fin.n.118. significatum est. 2. *Vetaret ne Concionatores pij, nec a prauis animi affectionibus impulsi*, publicè generatim reprehenderent Ecclesiasticorum, etiam primariorum, vitia, si publica, & scandalosa valde, priuata correctione aut non admissa, aut nihil proficiente; Dei siquidem iussis tunc obtemperant, munerisque sui partes explent. Nihil fermè potest esse læthalius Ecclesiæ incolumitati, quàm si occludatur os Concionatoribus, & calamus arripiatur Scriptoribus, ne illi arguant, isti narrent crimina omnino certa, quæ frequenter, ac impudenter Magnates etiam Ecclesiastici patrarent; cum enim hi non habent Superiorem, a quo corrigantur, vel possint corrigi, nisi viuæ Concionatorum, ac mutæ Scriptorum voces frænum aliquod illis inijciant, in omne nefas quandoq. prolabi queunt; Et vtinam nunquam fiat, quod valde probi quidam Concionatores a Concione remoueantur, ac in certo constituantur loco, & Scriptoribus pariter sinceris incommoda, & grauissima afferantur, vt hinc alij abstineant, ac nonnullis in posterum fas sit agere, quod libeat. Nunquam in Ecclesia habeat illa locum Politia verè humana, seu potiùs Diabolica, Diuinæ prorsus repugnans, vt illi quàm maximè beneficijs, atque fauoribus foueantur, qui sunt Rhetoricæ addicti potissimùm, quæ concedit e *Quintil.* lib.2.c.17. & lib.12.c.1. sententia mentiri, & ad quam certè amplificationes spectant, vel aulicismi sectatores, & in sua vehementer intenti commoda sedent in exedris, stant in pulpitis, ac singulare studium in scribendis libris reponunt, eò consilio, vt hi virtutes, si quæ sunt veræ, & non fucatæ, mirum in modum exaggerent; atque ad posteros transmittant, vitia reticeant, imò eorum criminibus laruas virtutis inducant; etenim sic flagitiosi homines, quidam post mortem quoq. sempiternam haud metuentes infamiam, horum opera magis flagitiosi in dies euaderent. Profectò nõnulli, nec planè immeritò, inter huius sæculi infælicitates enumerant, quod cum a decimo quoque sæculo in Catholica Ecclesia extiterint Viri (vt Fœminæ sanctitate insignes omittantur, quæ vitia arguerunt ipsorummet etiam Ecclesiasticorum, *superbiam, auaritiam, & incontinentiam*, vt *S.Catharina Senensis*, sicuti liquet in eius Dialogis a c.121. ad 131. ac *S.Birgitta* in suis Reuelationibus &c.) Virtutibus, & miraculis valde conspicui, qui Catholicas circumeuntes Prouincias miram morum reformationem induxerunt, vt *S.Bernardus, S. Vincentius Ferrerius, S.Antonius Patauinus, S.Bernardinus Senensis*, & alij potissimè ex Ordine Prædicatorum, a Minorum veri *SS.Dominici, Francisciquè* alumni; hoc tamen sæculo huiusmodi non conspiciantur homines; sed (vt omittantur Psittaci Concionatores, qui aliorum conciones, illas,

vt pueri, memoriæ mandantes, proferunt, & Scriptores, qui potiùs rescriptores, vtpote, vt aiunt, mutantes quadrata rotundis, dicendi verè sunt, amanuenses &c.) *Regnent* Concionatores, & Scriptores pariter (de quibus n. 106. & n. 143. in fin.) adulterantes Dei verbum; *Regnent* assentatores Magnatum, in Regularibus etiam Ordinibus, cum tamen S. *Chrys.* Hom. 58. de Vit. Monac. in hoc maximè eos commendet, *non est illic assentatorum multitudo, neque parasitorum, imò verò neque quid tandem sit assentatio, norunt*; *Regnent* politici, callidique homines; *Regnent*, qui furentibus humanis cupitatibus frœna laxant; *Regnent* detractores, & calumniatores, ita vt illa *S. Bern.* comprobentur lib. 2. de Consid. *Fraus, & circumuentio, & violentia inualuere super terram. Calumniatores multi, defensor rarus.* Vbiq. potentiores, pauperiores opprimunt &c. *Regnent* ambitiosi, ita vt non solum limina Apostolorum ipsamet *plus iam ambitio, quàm deuotio terat*, sicut idem *Bern.* lib. 3. sed etiam assequantur muneribus a manu, a lingua, ab obsequio, quod cupiunt &c. Et non ignescit alicuius Sancti Viri, vt elapsis sæculis, zelus palam hæc vitia exagitans? Qui amore Dei ferueret, licet contemplationi per se foret addictus, non posset hæc sciens sibi silentium imponere. Estne adeò Ecclesia modò destituta eiusmodi hominibus, qui præcedentibus sæculis non illi defuerunt? Aiunt nonnulli, Deum Ecclesię hanc infelicitatem permisisse, eò quòd immeritissimò quędam summa indignationis argumenta fuerint ostensa contra nonnullos, qui purum, & candidum dicendi, & scribendi genus fuerunt prosecuti, *Deum prohibentes &c.* An illorum querimonia, & horum responsio legitima, & probanda sit, videtint alij. *Asseri quidem posset non temerè*; Nunc post Tridentinum Concilium quoque, regnare vitia spiritualia maximè, si non Carnalia; & inter cætera *auaritiam, calliditatem, & linguæ vitia*, etiam in Religiosis quibusdam, qui se ipsos censent, aut etiam censentur ab alijs spirituales inter cæteros, ipsis quoq. testibus, de qua re *Stanislaus Felic* in Not. 42. & 43. a p. 60. ad 70. & hanc certò esse infelicitatẽ verè deplorãdam huius sæculi significatam Apostolico Oraculo, tum an. 1656. eodem *Felic* referente p. 69. Quod *tot nouæ opiniones in Theologiam Moralem inductæ sint, quibus disciplina Euangelica resoluitur, & conscientijs cum graui animarum periculo illuditur, & opus esse, vt ex seueriori, & tuta Angelici Præceptoris doctrina hæc morum, & opinionum licentia, quæ in dies grassatur, quasi cautherio cohibeatur*; tum iterum ann. 1665. *summam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Euangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro certa regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela*; *Quique viam salutis, quam Christus arctam esse definiuit, in animarum perniciem dilatat, seu potiùs peruertit &c.*

Act. 12. a v. 4.

CXLV. CVM fuit in vinculis S. Petrus, *oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo*. Quando R. P. aliqui iniquè persequerentur, & maximè propter custoditum ab ipso Catholicæ fidei depositum, vniuersalis Ecclesia pro illo assiduas ad Deum preces fundat, ipse verò ita imperterritum, ac magnanimum semet ostendat, vt instar Petri, licet catenis duabus foret vinctus, inter duos, vel plures etiam milites, & ante carceris ostiũ essent custodes, adeò lætus se somno tradat, vt excitatori sibi opus sit. Fortitudo etiam ab Ethnicis, ne dum Christianis agnita, in æquo ferendis animo infortunijs, & calamitatibus sita est potissimùm. Se *Beatum* tunc verè, imo *Beatissimum* R.P. censeat, cum *propter iustitiam patitur* Matth. 5. vers. 10. Luc. 6. v. 27. & 1. Petri c. 3. v. 14. Qui cum subdat, *Quæ est gloria, si peccantes, & colaphizati suffertis*, & cap. 4. v. 15. *Nemo vestrum patiatur, vt homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitur*; Euitet, ne ipse cum S. Petri patrimonio, & R.C. valde aduersam sustineat fortunam e temporalibus causis; Vt quia nimis superbiat, nimius sit acceptor personarum, nimis temporalem iurisdictionem amplificare studeat; vnde Bellum sibi inferatur, eò quod iniuriosè tractauerit aliquos Principes, vel eorum ministros, aut arma minùs iustè vel spiritualia, vel etiam temporalia arripuerit contra aliquem Principem; vel quia bello ipse priùs alium fuerit aggressus, aut conscripto exercitu statuerit aliorũ ditiones occupare prorsus &c. Periculũ enimuerò imminet, ne cum R.P. velit sustinere personam, & Principis temporalis, & Principis spiritualis, venerationem amittat, quæ ipsi debetur, vt Principi totius Ecclesiæ spirituali; existimare siquidem multi possunt, sibi licere, quãdo R.P. vt Princeps temporalis sumit v.g. arma, vel fœdus init cum alio Principe aduersus alium pariter Catholicum, ipsum etiam in vincula conijcere, non tãquam Principem spiritualem, sed vt temporalem sibi inimicum; neque enim Principatus spiritualis debet obstare, quominùs cum ipso ab alijs agatur, vt cum Principe temporali, quãdo ipse, vt Princeps temporalis, cum alijs agit; sic enim nimis ampla libertas, & in grauissimam aliorum offensionem, R.P. cõcedi videtur. Hæc licet non omninò admittenda sint, semper enim R.P. est Christi Vicarius, Princeps totius Ecclesiæ, Pastor ipsius Principis, cum quo bellum etiam gerit &c. ac incongruum plane sit, vt ab oue Pastor in carcere detineatur &c. declinandum tamen est R. P. diligenter, ne huiusmodi sensus aliquorum mentes inuaderet, dum aliquando se, vt Principem temporalem, exhibere vellet R.P. Qui tunc certè nõ pateretur propter iustitiam, de qua loquuntur & Christus, & Petrus. Orandus ab Ecclesia Deus, ne permittat, vt R.P. minùs æquè

temporalia sumat vnquam arma, multòque feruentiùs, ne sit corporalibus armis magis deditus, quam Pastorali muneri &c.

CXLVI. *CATENAE DVAE*, quibus esse vinctus R.P. potest, sunt *Superbia, & Auaritia*, *MILITES*, inter quos dormire potest, sunt *Consanguinei, & Affines*; *CVSTODES* ante ostium Carceris, seu Palatij Apostolici, in quo velut inclusus a domesticis suis retineri potest, sunt Aulici quidam, neminem permittentes adire Pontificem, nisi assentatores quosdam, placentia referentes, & quos velint Consanguinei, & Affines. Si hisce catenis vinctus sit R. P. si tales milites, & custodes habuerit: non vigilabit profectò super Dominicum Gregem, sed arctissimus illum amplectetur somnus, ita vt nonnisi percusso, & vehementer, latere ipsius, ab Angelo miraculosè ab illo excitandus sit. Ab huiusmodi catenis, militibus, atque custodibus vt liberet R. P. Deus; An non ab vniuerso fidelium cętu incensę ad illum preces sunt fundendæ? Si autem liberet; an non ingentes gratiæ illi habendæ pro singulari verè in vniuersam Ecclesiam beneficio?

CXLVII. Iussit Angelus Petrum semet *præcingere, & calceare caligas suas, & circumdare sibi vestimentum suum*. Modestia cultus, quæ versatur circa corporis ornatum, de qua *S.Th.* 22.q.*169*.art.1. amplectenda est R.P. sanè; nam *decentia habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendit*, vt inquiunt Patres Trid. Conc. sess.14.c.*6*. & indecentia habitus exterioris *deformitatis mentium, & morum indicium est*, e *S.Bern.* in fin.lib.3.de Consid. Animaduertat R.P. ne peccet in excessu, nimis comptas, opulentas, ac preciosas vestes interiores adhibendo. Quid si exteriores Pontificiæ vestes Dignitati Pontificiæ forent congruæ, interiores verò potiùs Sæculari Principi, ac corporis ornatui dedito! Huius modestiæ cultores in primis dicuntur fuisse superiori sæculo & *Pius V.* & *Greg.XIII.*

CXLVIII. S.Petrus e carcere Hierosolymis eductus aliò abijt v. 17. Etiam *R. P.* ad vitandas sibi subditorum, vel aliorum persecutiones potest Roma, vel e patrimonij S. Petri ditione aliò proficisci; licita enim quandoque est Pastori animarum fuga, vt Catholica Ecclesia iam sensit quoq. damnans *Tertulliani* librum id negantis, cum id constet e Matth. 10.v.23. communique Patrum sententia, vnaque Theologorum cum *S.Th.*22.q.185.ar.5. exemplo Christi ipsius Matth.2.v. 14. Luc.4.v.30. Ioan.7.v.30. & Pauli ipsius Act.*9*. v.25. 2.Corinth.11. 33. Prolixè explicat *S. Aug.* ep.180. ad *Honor.Episc.* quandonam id liceat, hoc est 1. *Quando ipse priuatim ab aduersarijs quæritur, & sunt alij, qui possint pro illo Sacramenta ministrare*. 2. *Quando omnes eius oues fuga dissipatæ sunt*. 3. *Quando plus fugiendo; quam manendo, iuuare potest*. Addit *Crisost.* fugere licere, & (nescio ait *Mald.* ad v.23. Matth.10. an oportere) cum eius, si manserit, fides periclitabitur. *Christum*, inquit, *fugiendo non negat, qui ideò fugit, ne neget*. Breuiter S. Th. docet; *Vbi salus exigit personæ Pastoris præsentiam, non debet Pastor personaliter gregem suum deserere, neque propter aliquod commodum temporale, neque*

etiam

etiam propter aliquod personale periculum imminens, cum bonus Pastor animam suam ponere teneatur pro ouibus suis. Si verò subditorum saluti possit sufficienter in absentia Pastoris per alium prouideri, tunc licet Pastori, vel propter aliquod comm dum Ecclesiæ, vel personæ periculum, corporaliter gregem deserere. Quia verò tempore pestis oues indigent maximè Sacramentis, licet concedatur, posse Episcopum in alia loca extra suam Diœcesim quoque sana concedere, volunt tamen communiter Doctores apud *Phil. March. Bel. Diu.* p. 1. c. 7. num. 11. quod maneat prope loca infecta suæ Curæ commissa, & super illa die, nocteque inuigilet. Equidem tempore pestis, quæ Romam inuaserit, non occurrit Pontifex, qui ex Vrbe in remota valde loca concesserit deserens plane suum Episcopatum, suasque peculiares oues alteri penitus committens tunc pascendas; occurrunt complures quidem R. P. qui Roma profecti sunt, & nominatim in Galliam, propter tumultus, & seditiones, & rebelliones contra se excitatas, vel a viris Romæ potentibus, vel a Populo ipsomet Romano; censuerunt enim consultiùs fore ouium suarum saluti ab illis absentiam. Sanè *Innoc. III.* Quartam declinandi a regimine plebis causam significat C. *Nisi* de *Renunc.* *esse malitiam plebis, quæ adeo duræ ceruicis existit, vt proficere nequeat apud ipsum, & oues conuertuntur in lupos, & quæ debueraut humiliter obedire, iam irreuocabiliter contradicunt; cum & si tales sint grauiter pro crimine puniendi, sunt tamen pro tempore vtiliter tolerandi, quia sanguinem elicit, qui nimis emungit.* Ipsemet *Eug. III.* moribus Sanctissimus R.P. ter prouidè Romanorum Ciuium iram declinauit; contra quos est acris *S. Bern.* epist. 243. cui subiungitur alia ad *Conradum Imperatorem* illum hortans, vt contra eos, tanquam Ecclesiæ aduocatus, Eugenium defendat, eorumque arrogantiam conterat &c. Maior enim animarum vtilitas in manendo, vel fugiendo attendenda est. *SI TAMEN* ex Vrbe fugeret, ne in potestatem perueniret Catholicorum, quos ipse armis immeritò maximè temporalibus fuisset insectatus, huius fugæ causa omninò vituperanda; Sicuti laudanda, ne perueniret in potestatem Turcarum, vel hæreticorum cum vniuersalis Ecclesiæ detrimento: Quid autem circa Ecclesiæ regimen agendum sit, quando id contingeret &c. tractat *Card. Iacob.* latè lib. 4. art. 3. Ab vniuersa quidem Ecclesia vehementissimè Deus tunc rogandus, & a Principibus Catholicis ante alios sedula adhibenda opera, vt Catholicæ totius Ecclesiæ Præses in libertatem vindicetur; qui iure, bello quoque illato, ad id eos cogere possent, cum sint Ecclesiæ defensores &c.

Act.13. a verſ.7.

CXLIX. CVM R.P. debeat eſſe primus, qui de ſpectantibus ad fidem, in Concilijs, vel etiam extra Concilia, ſuam ſit prolaturus ſententiam; opus eſt,& vt ſit verſatiſſimus in ſacra Scriptura, ſeu in cognitione Diuini verbi, & ſcripti, ac traditi, & præterea antequam aliquid declaret, cui teneantur fideles interiorem Fidei Catholicæ aſſenſum præbere, *magnam conquiſitionem* præmittat pijſſimorum, ac peritiſſimorum virorum in ſacris literis, Sanctis Patribus, Concilijſque potiſſimùm, feruentibus implorata precibus S. Spiritus peculiari aſſiſtentia. Habebat quatuor dotes S. Petrus, quibus caret profectò R. P. vt iam explicatum eſt num. 56. §.*Cui ſecundò*; & tamen antequam ſuum enunciaret ſenſum de propoſita quæſtione, *magna inquiſitio facta eſt.*

CL. *Si per os Petri elegit Deus audire Gentes verbum Euangelij, & credere*; meminerit R. P. ſibi potiſſimùm quoque demandatam eſſe Gentium conuerſionem; vnde & illa *Bern.* lib. 3. ad *Eug. Recordare vocis illius* (Rom. 1.) ſapientibus, & inſipientibus debitor ſum. *At nullum genus inſipientiæ, infidelitate (vt ſic loquar) inſipientius: Ergo & infidelibus debitor es, Iudæis, Græcis, & Gentibus: Intereſt proinde tua, dare operam, quam poſſis, vt increduli conuertantur ad fidem.* Quàndo igitur R.P. ipſe iuſtis verè de cauſis Romæ, vt plurimum ſaltem, commoretur, alijs Paſtoralibus curis detentus; complures mittat Concionatores, homineſque idoneos in Ethnicorum Prouincias, ac Regna, qui Apoſtolico more Euangelium ijs annuncient; eoſque per ſe potiùs leligat Ex auſterioribus Religioſis Ordinibus; Nam hi, & humiliores eſſe ſolent, minuſque ſua amantes commoda, & vitæ exemplo præferunt vitam Chriſti, cuius vitam Gentibus exponunt. Equidem *S.Th.* 2.2.q.169. art.1. ad 2. ait. *Præcipuè competit vilibus veſti vti his, qui alios, & verbo, & exemplo ad pœnitentiam hortantur, ſicut fecerunt Prophetæ, de quibus Apoſtolus* Hebr.11. *loquitur* (Circuierunt in melotis, & in pellibus caprinis v.37.) *vnde quædam Gloſ.* (Ordinaria) *dicit* Matt. 3. *Qui pœnitentiam predicat, habitum pœnitentiæ prætendit.* Etiam *Mald.* ad Matth. 3. verba, *De pilis Camelorum* ait; *Multi certè, & graues Auctores veſtem Ioannis Cilicium interpretantur*, Emiſſenus Hom.1. de Io. Bapt. & Anſelmus in hunc locum; *ratioque ipſa ſuadet; Conueniebat enim, vt qui pœnitentiam prædicabat, pro veſte pœnitentiæ habitu vteretur.* Hinc Fratres Minores olim a R.P. in Bullis quoque *Prædicatores Pœnitentiæ* dicti. Refert ſanè *Th.Hurt.* de Ver. Fid. Marty. reſol.65. p.414. ex *Ioan a Torquem* in Monarch. Ind. lib.21. *Indos multum amare, & reuereri alumnos S.Franciſci, S.Dominici, & alios, quia nudi, excalceati, pauperes, pœnitentes, diſſeminant verbum Dei, non odia, non iurgia, non*

ſedi-

seditiones ad Magistratus Ciuiles, & Politicos, sed in sapientia simplici, & in sapienti simplicitate prædicant Christum Crucifixum, & alijs mysterijs imbuunt gentes illas, quantum in Domino illis donatum est; quod non præstant ij, qui commodè, & lautè ibi viuunt, & bibunt.

CLI. Cum Mosaica lex dicatur a S.Petro v.10. *iugum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus*: & omnes asserant illam fuisse grauiorem, quā Euangelicam, quæ Matth.11. dicitur ab ipsomet Christo *iugum suaue, & onus leue* v. 30. Quia *PRIMO sublata supplicia grauissima*, quæ lex comminabatur, *dentem pro dente, oculum pro oculo &c.* Leuit.24.v.40.& hæc leguntur, tum ibi, tum in Deut. tum in Exodo peculiariter etiam; *lex enim iram operabatur* Rom. 4. v. 15. Spiritusque legis propter illa *timoris, & seruitutis* dicitur ibid.c.8.v.15. Spiritus autem Euangelij est *charitatis, benignitatis, mansuetudinis*, ab illis exterioribus pœnis alienus: Itaque volentes, inquit *Mald.* ad v.30. aliqui discipuli ignem de cælo aduocare (Luc.9.v.55.) vt Samaritanos, qui Christum recipere noluerunt, absumeret, *nescitis*, inquit, *cuius spiritus estis*. *SECVNDO sublata præceptorum multitudo*, quæ quasi infinita in Moysis lege erat, non quòd natura sua forent necessaria, sed vt seueriore disciplina duræ ceruicis populum exerceret; paucissima autem præter præcepta legis naturæ, superaddidit in doctrina Christi, & Apostolorum lex Euangelica, vt pertinentia ad fidem, & Sacramenta. Quamobrem R.P. imitator Christi, & Petri, qui iugum circumcisionis noluit imponi gentibus, declarauitque cum alijs in eodem Concilio præsentibus Apostolis, & Senioribus, nonnisi *tria* esse Gentibus præcipienda; e quibus etiam fornicatio censetur esse prohibita, quia mala 1. *Abstineat, quantum commodè fieri potest sine sui gregis pernicie, a pœnis non tantum corporalibus* sęcularium Iudicum proprijs, quarum potestas decernendarum non est illi, vt spirituali Ecclesiæ Principi, ex iure Diuino concessa, *verùm etiam spiritualibus, cum hæ ab homine Christiano censendæ sint grauiores qualibet corporali pœna*, vt e S.Aug. n.71. ostensum; & per se sunt sufficientes ad retrahendum quemcumque Christianum, si recta ratione vtatur, a quocumque crimine, licet quandoque ex indispositione subiecti hic effectus non sequatur, sicuti Sol per se est sufficiens ad illuminationem, & tamen potest a nobis impediri illius illuminatio actualis; & pœna mortis etiam, quæ decernitur a lege Ciuili, est sufficiens ad impedienda crimina inter laicos, & tamen sæpissimè illa non impedit. At sicut hæc non nisi raro infligitur, & propter grauissima quædam crimina, fælicitatem publicam valde perturbantia, a sæculari potestate; Ita Excommunicationis pœna deberet esse admodum rara, & propter crimina, quæ fælicitatis æternæ consecutioni infidelibus vehementer obstarent. Animaduertit sanè *Nauar.* init. cap.7. de *Censuris Ecclesiæ Henricum* (qui Cardinalis Ostiensis fuit creatus ab Vrb.IV. an.1261. Mense Decembri, mortuus est an.1267.) in Sum. de Sent. Excom. §. 3. in princ. *Congessisse triginta tres Excommunicationes, quas solas induxerant omnia iura Decreti, & Decretalia ad eius vsque*

tempora cum vna c.1.de Hom.in 6. Quibus subdit: *Ex quo facilè intelligas, QVAM PARCI fuerint antiqui Patres in excommunicando, & QVAM LARGI recentiores, cum ad annum vsque 1298. quo promulgatus est sextus, vix inuenirentur 33.casus, qui in pauciores, quàm in 26. redigi poßunt: Et per solum Sextum inducti fuerunt 32. Et per solas Clementinas 50. Postea per Bullas Cœnæ, per Extrauagantes impressas, & non impressas, per Constitutiones Prouinciales, & Synodales, & reseruationes Sæcularium, & Religiosorum pene innumeræ. Super qua multitudine minuēda quidquam in Manuali Hispano desideratum nunc tanquam superuacaneum puto.* Certè *Mol.* e S.I. tr.5. de Iurisd. in fin. d.66. ait; *Inter alia fortassè expediret; Censuras omnes Ecclesiasticas ad longè minorem numerum, ac methodum redigi, multas ex illis abrogando.* At in dies Prælati, & Sæculares, ac Regulares excommunicationes multiplicant, & tunc maximè suam potestatem sibi exercere videntur, cum in suo regimine, & maximè dum Sęculares visitant Ecclesias, ac Regulares Monasteria, si priscis recentes addant. Idem etiam efficiunt R. P. frequenter in suis Bullis &c. Et hinc Excommunicationis modicissima veneratio, & quandoque contemptus quoque, fructusque ex illa, vt plurimum, valde modicus. Aliæ pœnæ mitiores etiam Ecclesiasticæ, ac paternæ, videtur æquum, vt a Præsulibus statuerentur. 2. *Abstineat pariter, cum necessitas vehementer non vrget, a nouis declarationibus fidei Dogmatum;* est enim admodum graue intellectui humano assētiri obiectis, quorum virtute sua connexionem non percipit, & quibus cætera potius dissentiret, magis firmiter, quā obiectis metaphysicè, seu mathematicè euidentibus, cum voluntatis promptitudine ad capitis ipsius discrimen subeundum potiùs, quam illorum veritatem etiam factis, vel verbis inficiando: Quapropter R. P. non sinat se vllius Principis prorsus, nedum aliorum, precibus, aut suasu impelli ad quidquam, tanquam de fide proponendum, quod non certò constet e Diuinis litteris, aut ex perpetua Ecclesiæ per SS Patres traditione, seu indubitato Ecclesię cōsensu, Diuinum esse effatum: Noueritq. posse nonnullos esse, qui non vera pietate compulsi, sed potiùs a priuatis passionibus odij, inuidiæ, ac detrahendi aliorum existimationi, & famæ, huiusmodi declarationes petant, ac Principes etiam supremos rogent, cultum prætexentes Diuinum, vt a R.P. enixè illius flagitent, Oratores ad id quoque mittant &c. Cum ex aliquarum assertione opinionum iurgia, seditiones &c. oriuntur, illarum propositionem, aut defensionem publicam saltem vetet; præcauendo tamen, ne hanc seditionum, iurgiorum &c. Sagaces aliqui materiam suppeditent, vt R.P. sic eas cogantur interdicere. 3. *A multitudine legum.* Post promulgationem Iuris Canonici in *Gratiani Decreto, in Sex Decretalium libris, in Clementinis, in Extrauag. tum Ioan.22. tum Commun.* tres integri tomi Bullarum, seu Constitutionum Pontificiarum editi sunt. Equidem in ijs, quæ Christi, & Apostolorum præceptis, superaddita sunt postmodum ex institutione Sanctorum Patrum, docet *S.Th.* vbi supra cum *S.Aug. moderationem*

esse.

esse adhibendam, ne conuersatio fidelium onerosa reddatur; dicit enim ad Inquisit. Ianuar. (vt legitur quoque d.12.cap.12.) de quibusdam, *quod ipsam religionem nostram, quam in manifestissimis, & paucissimis celebrationum Sacramentis Dei voluit misericordia esse liberam, seruilibus premunt oneribus, adeò vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus Sacramentis, non humanis præsumptionibus subijciuntur*. Hinc Mol. vbi supra. *Admonent D.Th.1.2. q.107. a.4. cum Aug. ep.119. c.19. & alij, per potestatem, quæ Ecclesiæ, ac Prælatis ad condendas leges, ac Constitutiones a Christo relicta est, non t t leges, ac præcepta esse multiplicāda, quæ iugum Domini nimis graue, difficileque obseruatu efficiant, & quæ in causa sint, vt cum tot leges, ac præcepta difficilè admodum sciri possint, & multò minùs omnes sine nullius transgressione seruari, contemnantur, passimque violentur. Attendere verò legislatores debent, non solum num singulæ leges, quas condunt, seruatu non sint difficiles, sed etiam num omnes simul* (quod valde prudens est consilium) *Quæ ab ipsis conduntur, & quæ a suis antecessoribus sunt conditæ, seruari non admodum difficilè possint, vt iugum legum non admodum difficile sibi subditis imponant. Atque fortasse expediret non parum, multas ex Iuris Ciuilis, & Canonici leges abrogari, vt iugum humanarum legum temporis progressu mirum in modum multiplicatum, hominumque ceruicibus impositum, redderetur leuius, legumque custodia, ac subditorum obedientia esset exactior, ne ex tanta legum multitudine periculum immineret animarum*. Quod quidem iugum adhuc eò euaderet grauius subditis, si R.P. essent *similes Principibus illis, & Pharisæis, quos Dominus in Euangelio accusans* (Matt.23. v.4.) *dixit*, alligare eos onera grauia, & importabilia, & imponere in humeros hominum, digito autem suo nolle ea mouere, *idest faciebant* (inquit *Turr.* in fin. lib.3. de Auct. Sum. Pontif. sup. Concil.) *vt viderentur intolerabilia præcepta, dum ea ipsi ne incipiebant quidem facere; id enim significat, non mouere illa digito*; Additque, *similiter Pontifices, cum Canones Ecclesiasticos non seruant, nulla œconomiæ, & spiritualis vtilitatis ratione, quos placet, & libet, nulla necessitate, lege soluentes faciunt, vt reliquis videantur intolerabiles, & omnia faciant cum murmuratione contra Apostoli præceptum*. Præmisit autem his omnibus. *Nos & Summum esse in terra Pontificem fatemur, & Canonibus Conciliorum, ac Regulis Patrum Ecclesiasticis, Pontificumque decretis, imò omnium consilijs, ac dictis salutaribus subiectum esse debere in timore Domini &c.* Si quæ autem Ecclesiasticæ leges essent abrogandæ, illæ in primis forent, si quæ forent, quæ latæ in commodum proprium ipsius legislatoris tandem, non vero fidelium, & Christianæ Reipublicæ; vbi enim sapienter ex ipsomet etiam Aristotele, Platone, ac Cicerone docuit *Sot.* lib.1. de Iust. q.1. ar.2. legem omnem, quò solida sit, & firma, in commune bonum debere subditos promouere, subiungit; *Ex his fit consequens, quod dum legislator leges in suum particulare commodum constituerit, tyrannum se esse intelligat*; Nec non q.5. a.2. *Vt inter Regem, ac tyrannum hac sola ratione interest, quod ille in commune bonum, hic autem in suum priuatum*

tempora cum vna c.1.de Hom.in 6. Quibus subdit: *Ex quo facilè intelligas, QVAM PARCI fuerint antiqui Patres in excommunicando, & QVAM LARGI recentiores, cum ad annum vsque 1298. quo promulgatus est sextus, vix inuenirentur 33.casus, qui in pauciores, quàm in 26. redigi possunt: Et per solum Sextum inducti fuerunt 32. Et per solas Clementinas 50. Postea per Bullas Cœnæ, per Extrauagantes impressas, & non impressas, per Constitutiones Prouinciales, & Synodales, & reseruationes Sæcularium, & Religiosorum pene innumeræ. Super qua multitudine minuēda quidquam in Manuali Hispano desideratum nunc tanquam superuacaneum puto.* Certè *Mol.* e S.I. tr.5. de Iurisd. in fin. d.66. ait; *Inter alia fortassè expediret; Censuras omnes Ecclesiasticas ad longè minorem numerum, ac methodum redigi, multas ex illis abrogando.* At in dies Prælati, & Sæculares, ac Regulares excommunicationes multiplicant, & tunc maximè suam potestatem sibi exercere videntur, cum in suo regimine, & maximè dum Sęculares visitant Ecclesias, ac Regulares Monasteria, si priscis recentes addant. Idem etiam efficiunt R. P. frequenter in suis Bullis &c. Et hinc Excommunicationis modicissima veneratio, & quandoque contemptus quoque, fructusque ex illa, vt plurimum, valde modicus. Aliæ pœnæ mitiores etiam Ecclesiasticæ, ac paternæ, videtur æquum, vt a Præsulibus statuerentur. 2. *Abstineat pariter, cum necessitas vehementer non vrget, a nouis declarationibus fidei Dogmatum;* est enim admodum graue intellectui humano asśētiri obiectis, quorum virtute sua connexionem non percipit, & quibus cætera potiùs dissentiret, magis firmiter, quā obiectis metaphysicè, seu mathematicè euidentibus, cum voluntatis promptitudine ad capitis ipsius discrimen subeundum potiùs, quam illorum veritatem etiam factis, vel verbis inficiando: Quapropter R. P. non sinat se vllius Principis prorsus, nedum aliorum, precibus, aut suasu impelli ad quidquam, tanquam de fide proponendum, quod non certò constet e Diuinis litteris, aut ex perpetua Ecclesiæ per SS Patres traditione, seu indubitato Ecclesię cōsensu, Diuinum esse effatum: Noueritq. posse nonnullos esse, qui non vera pietate compulsi, sed potiùs a priuatis passionibus odij, inuidiæ, ac detrahendi aliorum existimationi, & famæ, huiusmodi declarationes petant, ac Principes etiam supremos rogent, cultum prætexentes Diuinum, vt a R.P. enixè illius flagitent, Oratores ad id quoque mittant &c. Cum ex aliquarum assertione opinionum iurgia, seditiones &c. oriuntur, illarum propositionem, aut defensionem publicam saltem vetet; præcauendo tamen, ne hanc seditionum, iurgiorum &c. Sagaces aliqui materiam suppeditent, vt R.P. sic eas cogantur interdicere. 3. *A multitudine legum.* Post promulgationem Iuris Canonici in *Gratiani Decreto, in Sex Decretalium libris, in Clementinis, in Extrauag. tum Ioan. 22. tum Commun.* tres integri tomi Bullarum, seu Constitutionum Pontificiarum editi sunt. Equidem in ijs, quæ Christi, & Apostolorum præceptis, superaddita sunt postmodum ex institutione Sanctorum Patrum, docet *S.Th.* vbi supra cum *S.Aug.* *moderationem*

esse.

esse adhibendam, ne conuersatio fidelium onerosa reddatur; dicit enim ad Inquisit.Ianuar. (vt legitur quoque d.12.cap.12.) de quibusdam, *quod ipsam religionem nostram, quam in manifestissimis, & paucissimis celebrationum Sacramentis Dei voluit misericordia esse liberam, seruilibus premunt oneribus, adeò vt tolerabilior sit conditio Iudæorum, qui legalibus Sacramentis, non humanis præsumptionibus subijciuntur*. Hinc Mol. vbi supra. *Admonent D.Th.1.2. q.107.a.4. cum Aug. ep.119.c.19. & alij, per potestatem, quæ Ecclesiæ, ac Prælatis ad condendas leges, ac Constitutiones a Christo relicta est, non t t leges, ac præcepta esse multiplicãda, quæ iugum Domini nimis graue, difficileque obseruatu efficiant, & quæ in causa sint, vt cum tot leges, ac præcepta difficilè admodum sciri possint, & multò minùs omnes sine nullius transgressione seruari, contemnantur, passimque violentur. Attendere verò legislatores debent, non solum num singulæ leges, quas condunt, seruatu non sint difficiles, sed etiam num omnes simul* (quod valde prudens est consilium) *Quæ ab ipsis conduntur, & quæ a suis antecessoribus sunt conditæ, seruari non admodum difficilè possint, vt iugum legum non admodum difficile sibi subditis imponant. Atque fortasse expediret non parum, multas ex Iuris Ciuilis, & Canonici leges abrogari, vt iugum humanarum legum temporis progressu mirum in modum multiplicatum, hominumque ceruicibus impositum, redderetur leuius, legumque custodia, ac subditorum obedientia esset exactior, ne ex tanta legum multitudine periculum immineret animarum*. Quod quidem iugum adhuc eò euaderet grauius subditis, si R.P. essent *similes Principibus illis, & Pharisæis, quos Dominus in Euangelio accusans* (Matt.23. v.4.) *dixit*, alligare eos onera grauia, & importabilia, & imponere in humeros hominum, digito autem suo nolle ea mouere, *idest faciebant* (inquit *Turr.* in fin.lib.3. de Auct.Sum. Pontif.sup.Concil.) *vt viderentur intolerabilia præcepta, dum ea ipsi ne incipiebant quidem facere; id enim significat, non mouere illa digito*; Additque, *similiter Pontifices, cum Canones Ecclesiasticos non seruant, nulla œconomiæ, & spiritualis vtilitatis ratione, quos placet, & libet, nulla necessitate, lege soluentes faciunt, vt reliquis videantur intolerabiles, & omnia faciant cum murmuratione contra Apostoli præceptum*. Præmisit autem his omnibus. *Nos & Summum esse in terra Pontificem fatemur, & Canonibus Conciliorum, ac Regulis Patrum Ecclesiasticis, Pontificumque decretis, imò omnium consilijs, ac dictis salutaribus subiectum esse debere in timore Domini &c.* Si quæ autem Ecclesiasticæ leges essent abrogandæ, illæ in primis forent, si quæ forent, quæ latæ in commodum proprium ipsius legislatoris tandem, non verò fidelium, & Christianæ Reipublicæ; vbi enim sapienter ex ipsomet etiam Aristotele, Platone, ac Cicerone docuit *Sot.* lib.1. de Iust. q.1. ar.2. legem omnem, quò solida sit, & firma, in commune bonum debere subditos promouere, subiungit; *Ex his fit consequens, quod dum legislator leges in suum particulare commodum constituerit, tyrannum se esse intelligat*; Nec non q.5. a.2. *Vt inter Regem, ac tyrannum hac sola ratione interest, quod ille in commune bonum, hic autem in suum priuatum*

cuncta

cuncta refert; sic inter legem bonam, & malam hoc idem est interstitium. *At verò cum alijs modis, & respectibus leges possint pro priuato commodo constitui; ille esset OMNIVM PESSIMVS, AC PESTILENTISSIMVS, si lucri gratia conderentur, videlicet, vt vel transgressorum mulctis, vel dispensationum frequentia, legislatorum ærarium ditesceret, aut aulicorum res augerentur.* Facilè autem multi beneficium existimantes publicum ipsius solum legislatoris beneficium, consilia præbent, de oneribus, tributis &c. imponendis subditis, variasque artes propununt, quibus ingens pecunia ab eorum marsupijs extrahatur, vnde complures familiæ, cęteroqui opulentæ, vix necessaria habeant alimenta, ac leges multas ferant, quarum frequentissimas cum nouerint dispensationes fore, certam pecuniam dantibus iam statutum est illas nulli non concedere, ac salutares eas arbitrantur leges, quarum vim, & efficaciam virtus pecuniæ retundit. Inter leges autem Ecclesiasticas duabus nominatim nonnullis videtur aliqua moderatio esse adhibenda. Et *PRIMÒ quibusdam circa Immunitatem Ecclesiasticam*, tum fori in Clericis, qui sacri non sunt initiati, si non Ecclesiæ alicui inseruiāt, ministeria suorum Minorum Ordinum exercentes, vt decretum est etiam c.17. sess.23. Trid. Conc. sintque moribus probis præditi &c. tum bonorum Ecclesiasticorum circa quædam onera; de qua re n.38. & 39. nam cum in dies multiplicentur (præter Ecclesias) Ecclesiasticæ personæ, quæ profectò haud sunt necessariæ populis, imò sæpissimè ex prauis moribus potiùs illis perniciosæ, quod necessariò ex multitudine Ecclesiasticorum, ac Regularium euenit (ideoq. hanc esse minuendam n.83. & 118. latè ostensum est) prodigalitas potest esse aliquando, & alicubi, & aliquos pręsertim, reddere ditiores. Tradit profectò idem *Sot.*lib.10.de Iust.q.4.ar.5.in resp.ad 2. *Diffitendum non esse, quin excessus in hoc, sicut in omnibus alijs rebus accidere possit, videlicet vt nimium, plusque iusto locupletentur Ecclesiæ*; & ad id refert illud Exodi 36.v.5.6.7. quod cum ad Moysem artifices Sanctuarij retulissent, *Plus offert populus, quam necessarium est*, iussit præconis voce cantari, *nec vir, nec mulier quidquam offerat vltra in opere Sanctuarij: Sicque cessatum est a muneribus offerendis, eò quòd oblata sufficerent, & superabundarent.* At nunquam sufferctura sunt, & superabundatura quælibet bona a laicis data, si semper augeatur numerus Clericorum, Sacerdotum, & Regularium, & potissimùm in illo Ordine, qui licet Regijs verè reditibus fruens se haud diuitem existimaret, eò quòd ex illis alantur tot Religiosi, qui illos exhauriant; hinc enim fiet, vt nunquam satis illi sint locupletandi, semper enim curabūt, vt ordo augeatur numero, in quibus noui semper reditus insumentur, & vt nouos acquirant ad hunc finem, opera adhibebitur: Quare omninò expediret Ecclesiæ ipsius commodis, & ingentibus, præceptum Apostolicum, ne numerus fieret amplior huiusmodi Regularium; nam secus in regulari disciplina deficerent magis, & vt reditus exaggerare amplius non eis liceret absq. peculiari S.A. facultate? Et hoc in bonum ipsius etiam Ordinis; nam periculum imminere posset, ne aliquando

eueni-

eueniret illis, quod Templarijs contigit ann. 1311. propter opum affluentiam; quæ illos reddidit non obsequentes Hierosolymitano Patriarchæ, cui suberant, vt narrat inter cæteros *Sim: Strauolſ.* in Epit. Concil. an. 1653. Romæ impresso, dicatoq. *Innoc. X. p.* 301. de *Honor. II.* loquente: *SECVNDO legibus de obſeruantia multorum dierum feſtorum*: præterquam enim inde fit, vt nullius ferè ſeruetur exactè, imò exactius ſeruentur quidam e conſuetudine, vel pietate, quàm a Canonica ſtatuti lege, longè plura in hiſce feſtis diebus palam patrantur crimina, quā in omnibus alijs per annum decurrentibus. Vigent tunc maximè vitia luxuriæ, gulæ, ebrietatum, ludorum quoque vetitorum, detractionum (vt omittantur in fœminis curioſitatum, loquacitatum &c.) vbique teſte experientia cum omnium verè piorum dolore ingenti (vnde meritò *S. Anton.* 2. p. tit. 9. c. 9. §. 5. & refert *Nauar.* in Man. c. 23. in fin. n. 5. ait, *Omnium lacrymis deflendam eſſe Chriſtianorum cæcitatem, qui grauiùs Deum offendunt diebus feſtis eiuſdem diuino cultui dedicatis, quam tota hebdomada ad vitam parandam inſtituta*; Nec immeritò Epiſcopus quidam inſignis fertur librum ſcripſiſſe paucis ab hinc annis, in quo ſuadet, vt omnes etiam B. V. & Apoſtolorum celebritates in Dominicum diem transferātur ad euitanda crimina, quę his diebus in Catholicis omnibus Prouincijs conſpiciuntur. Exceptis diebus *Dominicis, Natalis Domini, Circumciſionis, Epiphaniæ, Paſchatis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, quatuor B. V. ſolemnitatibus, Apoſtolorum, duorumque Martyrum Stephani, & Laurentij, & Patroni Prouinciæ, ſeu Regni, ac Patroni vnius tamen Ciuitatis, vel Oppidi &c.* decerni poſſet, feſtos dies *Sanctæ Crucis, Sancti Michaelis, S. Innocentium, S. Silueſtri* (laborantes in his quatuor diebus non peccare mortaliter declarauit iam *Eug. IV.* vt refert *Nauar.* vbi ſupra e Comp. Priuil. fol. 69.) *S. Ioſeph, S. Annæ* ſolummodò inducere obligationem audiendæ Miſſæ, ac licere poſt eam ſaltem laborare, tabernaſque, ſeu officinas aperire; in alijs vero diebus nec ad id teneri fideles, licet ſalutare ſit, & laudabile tunc etiam ſacro intereſſe; *O quam mirificè animarum ſaluti expediret*, vt Prælati omnes a Principe, ſeu Magiſtratu ſæculari peterent, vt diebus hiſce, quibus miſſæ præceptum non vrget, ac illis pariter, in quibus fideles obligantur ad illius auditionem, non verò ad abſtinendum a ſeruilibus, non permitterent tabernas, ſeu officinas eſſe occluſas, nec eas vnquam occludi paterentur, niſi ex valde vrgenti cauſa; & hoc ad vitanda peccata, quibus populi ſemet paſſim obſtringunt, & ad ſubleuandam pauperum neceſſitates, quibus laborare eſt neceſſarium, vt ſe, ſuamque ſuſtentent familiam; cum enim officinæ iuſſu etiam ſæcularis Magiſtratus, vel Principis occluduntur, plerique otio ſemet tradunt, imò luſibus, gulæ, luxuriæ &c. vt exploratiſſimum eſt: Nec dubitandum, quin Princeps & Magiſtratus ſæcularis huic Præſulum petitioni foret adhæſurus, cū Ciuium commodis, & corporalibus, & ſpiritualibus quoque teneatur ipſemet etiam proſpicere. Memores debent eſſe, & hi, ſicuti & Epiſcopi, & R. P. quod quilibet dies ſint ipſis feſti, ſicut & ijs, qui quando-

que petunt ab ipsis, ac iubeant occludi officinas; neque enim opus est illis laborare ad victum, vestitumque comparandum, sicut plerisque e subditis. Cum igitur partim in R.P. potestate sit, *& numerus dierum festorum*, qui omnes, exceptis ad summum Dominicis diebus, sunt de iure positiuo, & *tempus obligationis abstinendi a seruilibus*; & partim notissima sint peccata hisce diebus festis, & quibus occluduntur officinæ, frequentissima in Christiano populo, posset aliquis existimare R.P. teneri ad aliquam moderationem vlteriorem, quàm adhibuit *Vrb. VIII.* an. 1642. Dec. 22. in Bull. cui init. *Vniuersa per Orbem*. Hos quidem festos dies dicitur indixisse *Paulus III.* Indis propter eorum paupertatem (vt ad Concil. Mexicanum ann. 1583. scribit *Lud. Abauil.* de quo supra) *Dies Dominicos in anno occurrentes; Natiuitatis Domini sine duobus sequentibus; Circumcisionem, & Epiphaniam; Dominicam Resurrectionis sine duobus seq. Ascensionem Domini; Pentecostes sine duobus seq. Festum Corporis Christi; Natiuitatem, Annunciationem, Purificationem, & Assumptionem B. V. Festum Apostolorum Petri, & Pauli*; aliorum vero festorum celebrationem voluntariæ Indorum deuotioni reliquisse. 4.° *A multitudine consuetudinum, quæ non nituntur auctoritati Scripturarum, vel Conciliorum, vel vniuersalis penitus Ecclesiæ vsui*, sed sunt simpliciter *humanæ traditiones*, ortæ non raro ex auaritia; & quæ tandem proposita habent temporalia commoda; quas nonnulli interdum ita celebrant, vt non nisi earum ope vix hominibus pateat ad cælum aditus, similes Scribis, & Pharisæis Matth. 23. v. 13. & Luc. 11. v. 52. qui cum legis scientiam sibi vsurpassent, persuadebant hominibus, neminem, nisi ipsis aperientibus, regnum cælorum intrare posse, & inde omnes, quas volebant, traditiones populo imponebant; quos auarissimos vna fuisse significat eo cap. 23. Christus v. 14. & a v. 18. ad 23. *His addi queunt alij*, qui e contra aliquas traditiones proponunt populis, eis pollicentes, si has prosequantur, certò aditum ad regnum cælorum; quibus dum se addicūt complures, Diuinorum mandatorum obseruātiam negligunt, crimina quæcumque non dubitant perpetrare &c. se tandem veniam peccatorum, & fidelem Sacramētorum susceptionem elargiturum sibi Deum absq. vlla dubitatione existimantes. Quidam libelli hæc continentes essent vetandi, sicuti & Concionatoribus interdicendum, ne quædam exaggerent, ne miracula vel fingant, vel etiam vera, quorum notitia vulgo potest esse noxia, narrent; ex eo enim quod semel, aut bis accidit (ideoque etiam miraculum est) in eam mentem plerique vulgarium hominum veniunt, quod idem Deus sit sibi quoque concessurus; & hinc non timeant Diuina violare iussa, vniuersalesque ipsius Ecclesiæ leges. *AT* simul quoque R.P. *ANIMADVERTAT DILIGENTER*, ne dum Christi iugum suaue, ac onus leue, legum, & consuetudinum plurimarum abrogatione, vel derogatione contendit reddere, Mosaico iugo illud dissimile reddens; opiniones illas euulgari sinat cum R.C. approbatione, quarum auctores contra Christi verba de facto plane dilucida *angustam esse portam, & arctam*

viam,

viam, quæ ducit ad Vitam Matth.7. v.14. aperiunt suis opinionibus *latam portam, & spatiosam viam* v.13. & e contra ducentem ad perditionem angustam portam, arctamque viam, adeoque *paucos* per hanc intrare, & *multos* per illam tandem contendunt; cum tamen Christus id apertè neget: Huius licentiæ, & laxitatis in opinionibus, qua *Euangelica resoluitur disciplina; & conscientijs cum graui animarum periculo illuditur, & peruertitur rectus agendi modus ab Euangelio, Sanctorumque Patrum, ac præcipuorum iam Theologorum alienus*, ingentia damna iam præcognouit *P. Mut. Vitell.* Præp. sextus Generalis S.I. in litt. ad Sup. Soc. 1617. Ianuar. 4. sicuti *P. Aquauiua* an. 1581. 28. Iun. vt dictum est n.106. §.2. eadem prænouit e Concionatoribus, qui populi aures mulcerent; sic enim inquit. *Nonnullorum ex Societate sententiæ, in rebus præsertim ad mores spectantibus, plus nimio liberæ, non modò periculum est, ne ipsam euertant, sed ne ECCLESIAE ETIAM DEI VNIVERSAE INSIGNIA AFFERANT DETRIMENTA. Omni itaque studio perficiant, vt qui docent, scribuntue, minimè hac regula, & norma in delectu sententiarum vtantur*; Tueri quis potest; Probabilis est; Auctore non caret: *Verùm ad eas sententias accedant, quæ tutiores, quæ grauiorum, maiorisque nominis Doctorum suffragijs sunt frequentatæ; quæ bonis moribus conducunt magis; quæ denique pietatem alere, & prodesse queunt, non vastare, non perdere. Quoniam vero Constitutiones* (p.4. c.14. §.1.) *Decreta* (Cong.5. decr. 56.) *Regulas* (in Rat. Stud. tum Prouincialis 9. §.2. tum Profess. Theolog. Sch. 2.) *de S. Thoma sequendo, de non promouendis ad Cathedras, aut etiam remouendis, qui eiusmodi doctrinam parum facere, aut cordi non habere præ se ferunt, præsertim si nouitatum amantes deprehendantur, qui nulla ratione sunt ferendi; reliquum mihi præterea nil est, nisi, vt hæc ipsa seruentur, vti maximi rem momenti, quam ardentissimè possum vrgere*: Quicumque fuerint, vel sint eiusmodi opinionum auctores, aut satores, aut propagatores, eas R.P. damnare debet, ac seuerè illarum interdicere praxim, ne deinceps insignia vniuersæ afferant detrimenta Ecclesiæ, vt tradit iam *P. Mut.* prudentissimè prorsus.

CLII. Cum S. Petrus, ac reliqui Apostoli cum Senioribus, ac reliqua multitudine discipulorum probauerint, quod *S. Iacobus Hierosolymorũ Episcopus* proposuit, quod sanè non proposuerat S. Petrus, de tribus præceptis Gentilibus, qui conuertebantur, imponendis; haud existimet R.P. sibi solùm a Diuino Spiritu in Concilio existenti, aut eidem Præsidenti, suggeri opportuna vniuersalis Ecclesiæ regimini. Audiat alios libenter, ac potissimè Cardinales, & Episcopos doctrinæ, ac morum integritate potissimùm conspicuos; quin etiam huiusmodi viros non rarò interroget: *An aliqua ipsis occurrant; Quæ Christi ouium salutem promouere possint; Quæ Gentilium, Hæreticorum, ac Scismaticorum conuersioni valde opportuna esse queant; Quæ vitia quædam ab Ecclesiasticis, ac Regularibus, ac in primis a Romana Curia, auertant &c.* Atque hæc maturè discussa proponat deinde vniuersali Ecclesiæ, vel particularibus Prouinciarum, aut Ciuitatũ Ecclesijs ad spiritualia animarum

commoda. Non esset sanè humilis, ac Dominicum gregem amantis, sed superbi, suamque tantùm quærentis gloriam Pastoris, nolle melioribus, salubrioribusque consilijs, eò quòd alij ea præbuerint, non adhærere, ac executioni nolle mandari. Hinc Apostolus 1. Corinth. 14. v. 30. *Si alij* (ex prophetis duobus, aut tribus, de quibus immediatè antea) *reuelatum fuerit sedenti, prior taceat*; quæ verba in simili adducuntur d. 95. c *S. Hier.* ep. 2. ad Nepot. De hac re non nulla n. 58.

Ad Gal. c. 2. a vers. 9.

CLIII. CVM Episcopi Ecclesiæ sint Columnæ vers. 9. licet R.P. sit primaria, Episcopos omnes debito prosequatur honore, sibi quoad Ordinis Dignitatem pares; inuigiletque, vt cuncti debitum illis tribuant honorem; nec permittat ob Ecclesiarum paupertatem, vel pensionũ grauitatẽ, aut multitudinem, eos carere necessarijs laudabili suæ sustentationi, adeoque nec in multo haberi a populis pretio (vt omittatur ouibus suis etiam minus gratos euadere, dum temporali subsidio pauperibus subuenire nequeunt) quod adhuc magis euenit, si hi cogantur semet detinere in muneribus planè Episcopali dissentaneis dignitati, & vel mendicare, vel sordidum aliquem quæstum exercere, contra id quod interdicitur cuilibet Clerico sess. 23. cap. 2. Conc. Trid. Ne id eueniat, a pensionibus eximendæ complures, aut saltem minuendæ; alijs pensiones potiùs e pinguibus beneficijs tribuendæ, vel simplicia quædam beneficia, quæ conferuntur non rarò plurima eidem, licet amplissimis iam affluenti redditibus, quæ licet tenuia, ob multitudinem nihilominùs illos adhuc longè ampliores reddunt; quorum tamen quodlibet sæpè alimenta suppeditaret Episcopis, & Sacerdotibus non paucis, *qui mendicant*, vt dicitur init. Extr. *Ioan.* 22. de Præb. *MEMINERIT R.P.* 1. *Episcopalem Dignitatem, certum esse iure Diuino esse institutam, non sic autem Cardinalitiam.* 2. *Post decimum dumtaxat sæculum cæpisse præferri in extrinsecis honoribus Cardinales Episcopis, vt Consiliarios, & Electores R.P. vt n. 15. significatum.* 3. *A priscis R.P. in litteris, alijsque exterioribus singularia æstimationis signa illis exhibita.* 4. *Episcopos proximè, ac immediatè in partem sollicitudinis vocatos, quam ipse habet omnium Ecclesiarum.* 5. Leonem X. in Bul. Reform. Cur. edita 1514. Maij 5. in sess. 9. Concil. Lat. §. de *Cardinalibus* 2. sic statuisse. *Præterea ministerium indecorum Episcoporum, Prælatorumque in Domibus non habeant; ne cæteris præesse instituti, & sacro charactere insigniti, in vilia descendant ministeria, passimque pastoralis officij contemptum inducant; Eos itaque, quos vel nunc habent, vel in posterum sunt habituri, honorificè, vt fratres, ac iuxta eorum conditionem status tractent.* 6. Clem. V. in Concil. Vien. pœnas grauissimas ijs persimiles, quas *Bonif. VIII.* c. 5. *Felicis* de Pœnis in 6.

in 6. statuerat contra eos, qui Cardinales insequerentur, percuterent, caperent, statuisse c.1.eod.tit. contra eos, qui Episcopos percuterent, caperent, & bannirent, id mandarent, vel ratum haberent, forent socij, consiliarij, fautores, defensores &c. ac vbi inquit, *Ex dignitate offensi pœnam metiri decet offendentis*, illico addit; *Episcopi enim dicuntur Sanctissimi, Christi legati existunt, spirituales sunt Patres, nostrique Fratres, & Coepiscopi, Columnæ comprobantur Ecclesiæ; quare grauem oportet esse pœnam culpæ violantis dignitatem tantæ præminentiæ adequandam.*

CLIV. Reprehensus fuit S. Petrus a S. Paulo, qui erat inter Petri oues, & qui iam fuerat Ecclesiam persecutus, & *coram omnibus*, seu publicè, & de peccato, quod existimatur ad summum veniale ex minori attentione, vel indiligentia, ac reprehensus nullam attulit excusationem, sed illicò se ipsum correxit. Heu quam dissimilis esset Petro ille R.P. qui grauiter in Vrbis, & Orbis conspectu peccans, actionesue valde scandalosas exercens, nec priuatas admittens admonitiones, si quis pietate, vel dignitate conspicuus illum palàm reprehenderet, infensissimum se illi ostenderet, & quasi hæreticum, vel de hæresi suspectum, vel temerarium saltem, aut calumniatorem &c. puniri vellet. Perrari sunt similes S. Paulo in correctione, quia perrari sunt P. R. similes Petro. Iusto tamen iudicio fit, vt hi, qui correctionem renuunt, in peiora labantur crimina, euadantque sæpe populorum fabula, ac sempiternæ semet reddant obnoxios infamiæ. Quinam autem teneantur corrigere R. P. scandalosè peccantes, fusè significatum est n.41.

CLV. Prudens R.P. arbitretur, sibi, & Ecclesiæ perniciosissimum esse, si ipse nullum habeat Correctorem, vel saltem Admonitorem; cum non possit non ipse, e minori quoque attentione propter multiplicia maximè negotia, in complurimis nō peccare, imò arbitrari possit, se cum laude multa agere, quæ potiùs vituperentur à populis, alijsque etiam sapientibus viris. S. enimuerò *Ignatius* S.I. Fundator, in quo *admirabilis fuisse prudentia* dicitur *ab Vrb.VIII.in Bul.Canon.* 6.August.1623. statuit p.9. c.4. §.4. vt Generalis Præpositus ipse (nedum inferiores omnes Soc. Superiores) cuius dotes explicauerat c.2. habeat *Admonitorem*, qui post Assistentium electionem in Congregatione Generali eligitur per scrutinia secreta, & ad plura medietate suffragia, de quo c.9. Form. Congreg. Gen. S.I. cuius Regulæ 7. confectæ, & approbatæ fuerunt in 4. Congreg. Gen. Quidni optandum sit, vt huiusmodi Virum sibi R. P. eligeret, siue ex Cardinalibus aliquem, siue alium (nunquam in vniuersa Ecclesia deerit idoneus, si velit ipse &c.) *optimis moribus præditū, Deo in oratione perfamiliarem, prouecta iam ætate, iudiciò bonum, ac maturum, & affectibus minimè turbatum, in rebus Ecclesiæ benè versatum, ac boni Ecclesiæ totius magnum habentem zelum cum discretione, & prudentia coniunctum, minimè credulum, minimè timidum, ac prorsus eiusmodi, vt semper sibi gratus fore videatur, & officio tamen suo, bonoque Dominici gregis nullo humano respectu defuturus.* Posset tamen euenire, vt licet hunc iniens Pontificatum sibi adiunxisset, eiusque monita

nita benignè audiret, vbi breui commodis, vel suis, vel suorum indulgere cœpisset, haud libenter postea illum auscultaret, haud suauibus verbis a se dimitteret &c. vnde non auderet hic postea illum de vlla re admonere, vt significatum etiam n. 25. Quod faciliùs contingere posset, si consanguineis, vel affinibus non esset gratus: Etenim hi nihil non molirentur, vt illum R.P. redderent odiosum. Et profectò illis non poterit esse gratus; nam cum in primis moneret de moderando, quem iam exhibuisset immoderatum, affectu in Consanguineos, Affines &c. *qui multorum malorum in Ecclesia Seminarium existit*, ess. 25. Trid. c.1. de quo n.14.§.5.latè.

CLVI. Cum dicatur a Paulo Petrus coegisse ad iudaizandum, & coegisse *non docentis imperio, sed conuersationis exemplo*, vt explicauit *S.Aug.* allatus a *S.Hierony.* ep.11.in tom. Epist. *S.August.* pariter R.P. qui non probas exerceret actiones cum non leui populorum offensione, ad easdem cogeret Catholicos omnes, licet hisce similes in alijs vniuersim vituperaret. An non simul illas laudaret, atque doceret eas esse exercendas? Præclarè *Lactant.* lib.3. Instit. Diuin. c. 16. *Qui docent tantùm, nec faciunt, ipsi præceptis suis detrahunt pondus. Quis enim obtemperet, cum ipsi præceptores doceant non obtemperandum? Bonum est autem recta, & honesta præcipere; sed nisi & facias, mendacium est; & est incongruens, & ineptum non in pectore, sed in labijs habere bonitatem*: Vnde meritò lib.3.de leg. *Cic.* tradidit, *perniciosiùs de Republica mereri Principes, quòd non solum vitio concipiunt ipsi; sed ea infundunt in Ciuitatem; nec solùm obsunt, quod ipsi corrumpuntur, sed etiam quod corrumpunt, plusque exemplo, quam peccato nocent; Hinc asseri potest*; omnia R.P. crimina, nedum in eodem peccati genere esse grauiora, vt paulò ante dictum; sed maximè si pateant, esse differentia specie ab alijs, cù teneantur ex officio, adeoque ex iustitia, vt n.91. ostensum ex ipsomet etiam Trid. sess.23. c.1. *Pascere Dominicum vniuersum Gregem bonorum omnium operum exemplo*; imò forsan etiam differre specie a criminibus aliorum quorumcumq. inferiorum Præsulum, propter *AMPLIOREM*, *tum Dignitatem*, quæ cum prima sit, & princeps in Ecclesiastica Hierarchia, a qua saltem mediatè potestas Iurisdictionis censetur in Episcopos, aliosq. dimanare, specie censeri potest a reliquis dignitatibus Ecclesiasticis differre; *tum criminū in cunctorum animas fideliū infusionē*, vt loquitur Cicero: Qui quando immediatè antea (quod dictū ab omnibus quoq. sapientibus probatur) dicat, *Ego nobilium vita, victuque mutato, MORES MVTARI Ciuitatum puto*; prudentissimi inter Catholicos arbitrantur: Si R.P. cum Cardinalibus, ac Romana Curia a compluribus se abstinerent, quæ in omnium oculos incurrunt, nec vllus inficiari potest, quin sint valde scandalosa, fore, vt breui in vniuerso Catholico Orbe Ecclesiastici, tum Sæculares, tum Regulares religiosiorem ducerent vitam, & inde laici longè minoribus forent contaminati vitijs, ac ex hæreticis plurimi eam R.P. & R.E. deferrent venerationem, quam e suis Maioribus dignitate, ac doctrina præstantiores.

res.

res norunt eis detulisse. Institutæ à S.*Carolo* in amplissima Diœcesi sua Reformationis, ipsius prælucente exemplo, ab an. 1565. venerabilia adhùc apparent vestigia; At cæptæ sub *Clemen. VIII.* potissimè Regularium complurium Ordinum Reformationis, quam prosecuti sũt vehementi studio, & *Vrb. VIII.* & *Innoc. X.* leuis apparet fructus; quam non non pauci eo nomine (sed incongruè) aiunt se non amplecti, eò quòd qui est in summo perfectionis Euangelicæ gradu, quique eidem proximi sunt, illam euitent, ipsi verò sint in via ad perfectionem; atq. si illam haud sibi necessariam ad cælorũ aditum hi existimant, nec absque eadem cæli fores sibi occludendas. Si autem Reformatio non inducitur in Regulares, nec inducetur in reliquos sæculares Sacerdotes, & Clericos, vt pote qui non tenentur eam perfectionis viam inire, quam illi; adeoq. his deficientibus neque in laicos; quorum etiam non pauci sentiunt sibi licere, quod impudenter Clerici, atque Sacerdotes, & maximè si Regulares, efficiunt: Quod est vehementer deplorandum.

1. Petri c. 1. a vers. 2.

CLVII. CVM Pastor sit vniuersi Dominici Gregis R. P. ei in omnibus necessarijs spiritualibus, ac temporalibus quoque pro viribus consulat, vt latissimè explicatum est n. 91. Accuratè illum inspiciat, lustret, ac visitet, homines probitate, scientia, ac prudentia singulari præditos idẽtidem mittendo, qui Apostolico nomine visitent omnes Ecclesias, omniaque Monasteria, qui tamen grati sint Principibus, illorum etiam implorata ope ad Ecclesiasticæ, ac Regularis disciplinæ instaurationem. Vt habet Pastor in manu virgam, qua feriat, vel potius ducat, & reducat ouem; Sic *Episcopus* (& multò magis Pastor Pastorum) *habeat in manu virgam, hoc est in opere disciplinam*, inquit S. *Bern.* in Sent. *Vt subiectos suos exemplo magis, quàm verbo, instruat; Erubescunt enim superbi esse discipuli, si eos in humilitate præcesserint Magistri; vnde & de Domino scriptum est* Act. 1. Quæ cæpit Iesus facere, & docere. *Habet etiam baculum*, subiungit mellifluus Doctor, *quo feriat lupum, virga ouem, baculo lupum; hoc est, mites, & obedientes debet leniùs corrigere; duros verò corde, & improbos acriùs arguere; cumque necesse fuerit, etiam anathematis sententia ferire. Tenet carnem in fune, zelum scilicet in discretione, ne sit de illis, de quibus scriptum est* Roman. 10. Habent zelum (aliàs *æmulationem*) sed non secundum scientiam. *Habet autem pastor bonus panem in pera, hoc est verbum Dei in memoria.* Vt Pastorum Principi, cuius mores a cũctis ouibus Dominicis obseruãdi sunt, & qui vnã ouiũ est obseruaturus sublimiores pre cunctis debẽt esse illius virtutes; sublimior contemplatio, seu familiaritas cum Deo in oratione, ac lectione sacra, Humilitas, Charitas in proximos, benignitas, mansuetudo, continentia,

tinentia, animarum zelus, pecuniæ contemptus, ab ijs, quę sapiunt carni & sanguini, alienatio, cupiditas nouorum semper laborum pro grege suo; &c. Quamobrem sublimitas ista Cathedræ, in qua sedit Petrus; *E qua*, vt inquit S. Ambros. c. 6. de Dignit. Sac. *ita unctos respicit, vt & cunctorum oculi in ipsum respiciāt*; timorem potiùs incutere, quam lætitiam afferre debet in ea sedenti, nisi plane desipiat. Hinc illa eiusdem *S. Bern*. ep. 238. ad *Eug*. Pontificem mox electum sapienter scripta, *Considero gradum, & casum vereor; Considero fastigium dignitatis, & intueor faciem abyssi iacentis deorsum: Attendo celsitudinem honoris, & e vicino periculum reformido. pro eo, quod scriptum est* Ps. 48. Homo cum in honore esset, non intellexit: *Quod quidem ad causam magis, quàm ad tempus arbitror esse referendum, vt sic intelligatur dictum*, Cum in honore esset, non intellexit, *ac si diceretur; Honor absorbuit intellectum*: Et paulò post; *Ascendisti in altum; Noli altum sapere, sed time, ne fortè contingat serò miserabilem illam emittere vocem* (Psal. 10. A facie iræ, & indignationis tuæ allisisti me. *Altiorem quippe locum sortitus es, sed NON TVTIOREM; sublimiorem, sed NON SECVRIOREM. Terribilis prorsus, terribilis est locus iste, locus, inquam, in quo stas, sancta terra est, locus Petri est, locus Principis Apostolorū, vbi steterunt pedes eius; locus illius est, quem Dominū cōstituit domus suæ & principem omnis possessionis suæ. Si fortè declinaueris a via Domini, sepultus est in eodem loco, vt sit tibi contra Te in testimonium. Meritò tali Pastori, tali nutritio commissa est Ecclesia, cum adhuc tenera, adhuc in cunabilis esset, cuius docta magisterio, ac exemplo educata, omnia terrena calcaret, vt pote, qui EXCVSSERAT MANVS SVAS AB OMNI MVNERE*, qui dicebat de corde puro, & conscientia bona (Act. 3.) Argentum, & aurum non est mihi.

CLVIII. Si tenetur quilibet Episcopus suum pascere gregem, non coactè, sed *spontaneè*, potiùs persuasione alliciendo, quam vi cogendo, non tam præceptis, ac legibus, pœnisque spiritualibus, quasi baculo, aut virga percutiendo, quàm manus eis imponendo optimæ conuersationis exemplo ad virtutes excitando; sic enim efficaciter simul, & suauiter, adeoque *spontaneè* ipsum, seu potiùs Christum oues sequentur: Multò magis ad id tenebitur Episcoporum Episcopus; vnde, vt dictum est n. 155. ex *Nauar*. tredecim spatio sæculorum solum 33. Excommunicationes, quæ ad 26. reuocari etiam queunt, prisci Pontifices in Canonico Iure reposuerunt; Vnicus *Bonif. VIII*. reposuit plures, quā 196. R. P. qui ipsum præcesserunt: Admonitionis primò lenis Gal. 6. init. ac postea acerbioris vsu, alijsque mitioribus, maternisque, vel paternis pœnis Ecclesiasticam propagari disciplinam antiquiores existimarunt R. P. Amorem sibi conciliet ouium suarum vniuersalis Pastor illas pascendo iuxta Christi præceptum, vltrò ferè omnes illius *vocem audient*, ac *sequentur* enim, cum *ante eas vadet*, Ioan. 10. v 4. *bonorum omnium operum exemplo*: Extorquere quædam instar sæcularis potestatis non est ita consentaneum est Ecclesiasticæ, vt n. 119. e Chrysost. & Conc. Paris. significatum est. Meminerit R. P. inter alia; TVM illa

in

in Psal. 118. Octon. 14. scripta *S. Ambrosium* reliquisse; *Dominus*, cuius ipse est Vicarius, *operationes seruulorum suorum spõtaneas probat potiùs, quam coactas; ideò ex seruis liberos facit, vt magis voluntatum nostrarum munera, quam necessitatum obsequia conferremus*; quod probat exemplo Pauli, Hieremiæ, Moysis, Iosue, Isaiæ &c. Et quod *voluntarium sibi militem* 15. q. 1. c. 10. *eligit Christus, & coacta seruitia aspernatur Deus* 23. q. 6. c. fin. quibus mature ponderatis textibus *sacra Romana Rota coram D. Arguelio* 1646. Ianuar. 19. in Causa Vlis. null. Profess. decidit post diuturnam discussionem, illud apud complures effatum, *In dubio facienda est interpretatio, ita vt Professio sustineatur*, procedere, *quando dubitatio de Validitate ex alio capite oritur Professionis, quàm ex defectu consensus; qu stante defectu semper facienda est interpretatio pro libertate personæ*; vbi etiam affertur *Rebuff.* Consil. 78. col. vlt. vers. Nec me conturbat &c. *Tum* illa *S. Nazianz.* Apol. 1. *Quod necessitate extorquetur; præterquam tyrannicum est, ne firmum quidem, ac stabile est.* Cum autem ex vna parte Euãgelica lex prohibeat interiores animi motus; qui expresse in veteri lege non prohibebantur, & si in aliquibus prohiberentur, in ijs tamen prohibendis pœna non apponebatur; & ex hoc capite grauiorem esse Euangelicam legem, quam Mosaicam, asserat *S. Th.* 1. 2. q. 107. in Corp. Ex alia verò, vt sit opus veræ virtutis, necesse sit, vt quis operetur promptè, & delectabiliter, vt ibidem dicit cum Philosopho 5. Eth. c. 9. Qui inuoluntariè, & coactus agit, taliter non operabitur; adeoque nec stabilis, nec firmi erunt in sic operante actus etiam exteriores, illosque declinabit pro viribus, nec vnquam ex vera virtute hic operabitur, poteritque sæpe simulatio adesse: Hinc fit, vt coactio, & extorsio ab Euangelico Præsule, qui potissimùm moderari debet internos omnium suarum motus, e qua moderatione externorum quoque subsequetur facilè, quantum fieri potest, euitanda sit. Præterea cũ *tyrannicum* regimen a quocumq. Principe declinandum sit, maxime ab Ecclesiastico, & multò magis a supremo, vt significatum est n. 91. §. 3. iterumque sequentium.

CLIX. R. P. præterea tenetur magis, quam Episcopus quilibet, pascere gregem Dominicum. *PRIMO secundum Deum*, ob vnius scilicet Dei gloriam, amorem, atque reuerentiam, iuxta Dei voluntatem, quæ in sacris exprimitur luculenter libris, in sacris Canonibus, & in SS. Patrum doctrina. Si existimauerit, se Dei negocium agere, & ante Dei tribunal redditurum seueram de illo rationem, haud se, suosue pascet. *SECVNDO non turpis lucri gratia*. Equidem *Cicero* ipsemet non tantùm 1. de leg. pronunciauit, *Auaritia nihil fœdius*; sed & peculiariter lib. 2. de offic. *Caput est in omni procuratione negotij, & muneris publici, VT AVARITIAE PELLATVR MINIMA SVSPICIO*; atque postquam tradidit, serò auaritiam ad Romanos demigrasse, Sic ait; *Nullum igitur vitium TETRIVS, quam auaritia, præsertim in Principibus, & Rempublicam gubernantibus*; & adhuc tetrius in summo omnium Ecclesiasticorum Principe, & Rempublicam Christianam in spiritualibus

tgubernante. Hinc illa *S.Bern.*lib.3. de Confid. *Parui, deiectique animi nest de subditis non profectum quærere subditorum, sed quæstum proprium. gIn summo præsertim omnium nihil turpius.* Quibus concinunt illa S.Salu. tlib.2.ad Eccl. *Nihil turpius est, quam excellentem esse culmine, & despicabilem vilitate;* Vilitas autem, & *ignominia est Sacerdotis,* multoque magis Summi omnium Sacerdotis, *proprijs studere diuitijs* 12.q.1.c.71. Artibus ijsdem solet conseruari, ac propagari imperium, quibus primò partum. At quanam arte in primis Christianæ Religionis imperium in vniuerso orbe fundarunt Apostoli, nisi contemptu terrenorum? Iam allatis n.47. e *S.Chrys.*Hom.47.in c.13.Matth. adiungantur illa *Sim. de Cass.* lib.9.c.18. *Audacter dixerim, neque in miraculis Apostoli sæculo ita mirabiles apparuerunt, sicut in contemptu rerum, neque in efficacia verbi tam homines conuerterunt ad nouitatem vitæ prædicãdo; quam bona æternã spernendo:* Hunc contemptum primi conspicientes Christiani *pretium eorum, quæ vendebant, ponebant ante pedes Apostolorum* Act.4.vers. 34. vt pote pedibus eorum calcanda, & non nisi in planè necessarijs illorum aliquam partem modicissimam habentibus Apostolis, reliqua omni cæteris diuisa; Agnouerunt enim cum *S. Salu.* lib. 2. allato ad Cath.Eccl. *diuitias esse impedimenta, non adiumenta, onera, non subsidia, ac possessione, vsuque opum* (haud ait, *planè necessariorum sustentationi &c.*) *nõ suffulciri religionem, sed euerti,* & cum *S.Greg.*Hom.15.in Euãg. *Solas diuitias esse, quæ homines virtutibus diuites faciunt,* & cum Clem. Alex. Strom.l.6. *Veras diuitias esse abundantiã in ijs, quæ sunt ex virtute actionibus, paupertatem verò esse inopiam in moderatis actionibus;* & cum id persuadere deberent ijs, qui Euangelicam amplectebantur Religionem, vnum e præcipuis Christianæ Philosophiæ axiomatibus, re ipsa terrenarum opum contemptum singularem prætulerunt semper, & Apostoli, & Apostolici planè omnes Viri; Ac inter alios *S.Petrus* (vt docet *S.Nazianz.* Orat. 27. de *Amore Pauperum*) *adeò pauper viuendi genus sibi præscripsit, vt lupinis famem expelleret.* Lupini autem sunt pisa amara, & agrestia. Salutem animarum vnicè intendat R.P. in cunctis legibus, gestisque suis, & vitet maximè, ne specie pietatis quæstum facere videatur. *OMNEM AVARITIAE* etiam *SPECIEM ab Ecclesiastico Ordine abesse debere,* dilucidis declararũt verbis Patres Trident.Concil. sess.21.c.1. ad hanc autem auertendam plura statuerunt eo c. sess.22.in Decr.de Obseru. & Euit. in Celebr. Miss. sess.24.c.6.14. & 18.ses.25.c.18.vbi *dispẽsationes gratis a quibuscũque, ad quos dispẽsatio pertinebit, esse præstandas* præcipitur, *aliterque factam dispensationem surreptitiam censendam statuitur.* Si abfuerit ab ipso P. R. omnis auaritiæ species, illa aberit faciliùs a quolibet in inferiori Dignitate constituto, poteritque efficaciter deijcere eos, qui instar Eboracensis Episcopi, cum non *possunt per ostium intrare, fodientes argenteo, vt aiunt, sarculo* (vt de illo loquitur S.Bern. ep.235. ad Cælest. Pap.) *impudenter in dignitates Ecclesiasticas semet intrudunt;* & Vt qui locum Petri tenet, *poterit vno ictu extinguere Ananiam, vno Simonem Magum,* vt idem

inquit

inquit ep. 239. ad *Eug.* quem hortatus fuit ad fulminandam dicti Eboracensis culpam illum deponendo &c: cuius zelum in hac re postea ep. 240. commendat, ac 238 ad eumdem ait, *hoc expectare vehementer, & omninò expetere ab ipso Ecclesiam, eiusque filios & pusillos, & maiores desiderare*, vt eiusmodi auaritiæ plantationem manibus suis euellat; iterumque lib. 2. de Consid. monuit illum; *Vt si Christi discipulus sit, ignescat eius zelus, exurgat auctoritas aduersus impudentiam hanc, & generalem pestem &c.* Potuit *Eugenij* ignescere zelus, exurgere auctoritas, quia ipse immunis ab auaritiæ vitio lib. 2. ac 3. *TERTIO non dominans in Cleris*, siue populo Christiano, seu propriè Clericorum cætu. Arrogantium est, & tyrannorum impotenter alijs imperare; Gentilium est subditos tāquam seruos, seu mancipia tractare, non Christianorum Principum, non Ecclesiasticorum Præsulum, non Summi Ecclesiæ Præsides. Hinc monet idem *S. Bern. Eug.* allata ep. 238. vt Ecclesiam non vocet *Sarai*, idest Domina mea, sed Sara, idest Domina absolutè, quia Domina, & vxor est Christi, qui verus est Ecclesiæ Pastor, & Dominus; vnde subiungit; *Si amicus Sponsi es, ne dixeris dilectam eius Principem meam, sed Principem; nil tuum in ea vindicans, nisi quod pro ea, si oportuerit, etiam animam dare debes: Si Christus te misit, æstimabis te non ministrari, sed ministrare venisse; & ministrare non solum substantiam, sed ipsum quoque animam, vt præfatus sum:* Atque postea lib. 2. de Consid.: *Factum superiorem dissimulare nequimus; sed enim ad quid, attendere debemus: non enim ad dominandum opinor; nam & Propheta cum similiter leuaretur, audiuit* (Hier. 1.) Vt euellas, & destruas, & disperdas, & dissipes, & ædifices, & plantes. *Quid horum fastum sonat. Rusticani magis sudoris scemate quodam labor spiritualis expressus est. Et nos igitur, vt multùm sentiamus de nobis, impositum sensérimus ministerium, non dominatum datum:* Et paulò post; *Disce sarculo tibi opus esse, non sceptro, vt opus facias Prophetæ; Et quidem non regnaturus ascendit, sed extirpaturus*, ac infra; *Blanditur cathedra, specula est: Inde denique superintendis, sonans tibi Episcopi nomine non Dominium, sed officium.* Similia alibi allata sæpe. Quam verò remotus esse debeat regimen Pontificium a tyrannico, pluribus declaratum n. 91. §. 3. Quod dominatum in Episcopos, ac fideles ostenderint multi Pontifices, ortum est præcipuè ex illorum temporali dominatu aucto: Vnde *Ioan. Franc. Mirandul. & Conc. Comes Ioannis nepos* in Theor. 8. de *Fide, & Ordine credendi*, c 26. Theor. quæ dicauit ann. 1506. *Iul. II.* interroganti; Cur Sancti prisci, alijque insignes Viri R. P. non ita venerati fuerint re ipsa, voce, ac literis, sicuti posteriores, ait; *Respondendum censeo, priscæ illius Ecclesiæ simplicitatem fuisse in causa, vt eiusmodi dignitatis fastigium omni ambitione dimissa, omni admissa humilitate spectaretur. Tum & illud addi fortaße posset. TEMPORALIA ILLA BONA, quæ nunc Ecclesiastici homines possident, OCCASIONEM DEDISSE, & vt aliqui Pontifices se nimis extulerint, & veluti Deos honorari, suspicique voluerint, & subiecti illis Episcopi nonnulli, & Sacerdotes OB AVARITIAM, ET AMBITIO-*

TIONEM in ea ipsa opinione CONTINUIS EOS ADULATIONIBUS confirmarint ; sed huc appellere animum eos oportet , Christum videlicet caput Ecclesiæ fuisse , nec a Christianis hoc negari posse ; nihilominus tanta ob eius humilitatem familiaritate secum iungebantur discipuli, vti & simul discumberent, & in gremio etiam recumberent ; Petrum item, quamquam oues ei suas Christus pascendas commisit, nihilominùs a Paulo reprehensum esse , quia reprehensibilis erat , idque patienter eum , & Christianè tulisse & c. De hac re n. 28. & 47. Si regnum terrenum non est aliud , quam *splendida seruitus* , vt *Antigonus* Macedonum Rex dixit filio insolentiùs subditos tractanti ; Æquori iure est Regnum spirituale R.P. iuxta ipsius claram quoque iussionem Regis Regum Christi.

CLX. Postremo debet R.P. *forma fieri gregis ex animo* , seu debet esse instar Archetypi, seu primariæ formæ, vt significat *S.Hierony.* ad Tit. c. 2. Ex qua *eius virtutis simulacra lineamentis vitæ honestæ in se translatis exprimantur* ; seu esse speculum vitæ , *quod omnibus ad imitandum proponatur* , vt ibidem Hom. 4. ait S.Chrys. *Ac velut primaria quadam imago omnia in se habens, quæ bona, & honesta sunt, quæ magna cum facilitate volentibus aliquid sui decoris imitari , exemplar semper præbere parata sit* ; seu *tanquam animata lex, veluti regula, ac norma bene viuendi*, vt idem Hom. 13. in c. 4. Thim. 1. Atque sicuti de *S. Malachia S.Bernar.* tradit ; *Erat ipse Regula Fratrum ; legebant in eius vita , quo modo conuersarentur* ; ita R.P. debet esse omnium regula fidelium, ita vt in eius vita legant, quo modo Christianè conuersentur : Caueat verò , *ne exemplo destruat verbum*, vt ait *Primasius* , sed *lingua persuadeat , vita iubeat*, vt scripsit *S.Athanas.* ad Monach. *& in omni actu suo, quasi speculo refulgente fulgeat* . Si est *Sal* Matth. 5. v. 3. non infatuetur , ita vt nec se ipsum, nec alios condire possit : Si est *lux mundi* Matth. ibid. v. 14. non debet ipse palpabilibus tenebris teneri obrutus, ita vt non solum ipse, dum malè agit, dignè pereat, sed & alios secum indignè perdat : Si est *oculus* Matth. 6. v. 23. *Et obnubiletur nequitiæ cæcitate, quid cætera facient membra*, ait *S. Ambros.* c. 6. de Dignit. Sacerd. *quibus lux adempta est oculorum ? Idest, quid sæcularis factura est multitudo, cum voluptatibus illicitis , & actionibus vetitis ad similem facinorum voraginem Episcopus* (multo magis, si R.P. id efficerent) *multitudinem populi prouocauerit* . Nunquam illis obijciatur, quod quibusdam obiecit *S.Bern.* serm. 66. in Cant. *Vos estis lux mundi, dictum est Apostolis (Matth. 5.) & ideò Apostoli super candelabrum, vt toti luceant mundo . Pudeat Successores Apostolorum lucem non esse mundi, sed modij, mundi autem tenebras. Dicamus eis, Vos estis tenebræ mundi* : Sed potiùs dicamus nostris R.P. meritò, & vniuersa plaudente Catholica Republica , *Vos verè estis sal terræ, lux mundi, oculus, quo Corpus Ecclesiæ totum lucidum est* : Et cum *S.Bern.* in fin. lib. 4. de Consid. cum omni demissione electo R.P. suggeratur ; *Oportere TE esse considera formam iustitiæ, sanctimoniæ speculum, pietatis exemplar , assertorem veritatis , fidei defensorem , doctorem gentium , Christianorum ducem , amicum sponsi, sponsæ paranymphum , Cleri*

ordi-

ordinatorem, pastorem plebium, magistrum insipientium, refugium oppressorum, pauperum aduocatum, miserorum spem, tutorem pupillorum, iudicem viduarum, oculum cæcorum, linguam mutorum, baculum senum, vltorem scelerum, malorum metum, bonorum gloriam, virgam potentium, malleum tyrannorum, Regum Patrem, legum moderatorem, Canonum dispensatorem, sal terræ, Orbis lumen, Sacerdotem altissimi, Vicarium Christi, Christum Domini, postremò Deum Pharaonis. Sic R.P. princeps Pastorum in terris, cum *apparuerit* ille, qui simpliciter a S.Petro vers.4. *Princeps Pastorum*, *PERCIPIET IMMARCESCIBILEM GLORIAE CORONAM*, triplicis loco Coronæ, quo illius caput modò redimitur, triplicem etiam ouium Christi pastum designantis; Quam vt ille percipiat cumulatissimè, non possunt oues, quibus hic exhibitus est pastus, non vehementer Christum Dominum suum rogare, & orare.

OBSERVANDVM PROFECTO nihilominùs est; non eò quòd *Romani Pontifices* haud hoc triplici pastu Christi oues pascerent, sed prauis potius factorum, dictorumq. (dummodo hæc non sint veræ, ac manifestæ hæreses &c.) exemplis; prudentis saltem esse quarumcumque Christi ouium consilij, ad remouenda inde populorum scandala minimè illa adhibere remedia (quamuis illorum comminatio possit quandoque esse vtilis, vt indicatum est num.42. ac leuis etiam aggressio) e quibus tandem ampliora, & grauiora, si maximè id experientia iam innotuisset, in Catholicam Ecclesiam importanda forent incommoda. Iure optimò sanè censeri potest *Remedium* tunc opportunissimum, quod a sapientissimo *Card. Caietano* proponitur trac.1. Apol. de Auct. Pap. & Concil. cap.27. ad 5. breuiter indicatum a *Card.Turr.* lib.2. de Eccl.c.106. *ORATIO* scilicet, quam ait, *esse proprium; nam si necessarium est ad salutem Ecclesiæ, quod Papa talis auferatur, sine dubio oratio sic conditionata auferret illud de medio; nec potest non auferri ab eo rogato, qui promisit, quod nihil deesset timentibus eum; Si non est necessarium, haud humanum Diuino est præferendum iudicio &c.* Ac prudenter subiungit. *Ita stolidissimus, vt nolimus orare, vt debemus, & tamen velimus orationis fructum, nolimus seminare, & velimus metere. Aut Christiani non nominemur, aut Christi prouisionem amplectamur; & sic phreneticum, furiosum, tyrannum, dilaniatorem, dilapidatorem, corruptoremque Ecclesiæ (cum contingeret talem esse) superabimus. Sed qui nosmetipsos non superamus nostris orationibus, (quia eas non, vt decet, agimus) quomodo conqueri possumus, quod aliorum malorum vitam non superamus orationibus, quæ non solum tectum non transeunt, sed ne orantium capita propria penetrant?* Ac post nonnulla egregiè animaduertit; *Iniquitates nostræ sunt, quæ diuidunt inter nos, & Deum nostrum (cum cæteroqui non sint aggrauatæ aures eius, vt non exaudiat nos extra necessitatem) & multas malas actiones in Rectoribus nostris procurant*, vt Hieronym. in C. *Audacter* 8.q.1. & *Greg.* 7.q.1. c. *Ex meritò*. *EQVIDEM Hieronym.* siue potius Orig. *Hom.*5. in lib. Iud. afferens illud *Oseæ* 8. Fecerunt sibi Regem, & non per me, Principem & non per consilium meum, exem-

plo

plo Saulis Regis allato infert; *Tale ergo aliquod intelligimus etiam in Ecclesia fieri, quod pro meritis populi, aut in verbo, & opere potens a Deo tribuatur Rector Ecclesiæ: aut si malignum faciat populus in conspectu Domini, talis Ecclesiæ detur Iudex, sub quo famem, & sitim populus patiatur, non famem panis, neque sitim aquæ, sed famem audiendi verbum Dei* Amos 1. Et clarissimè Zacch. 11. in fin. dicitur; *Ecce ego suscitabo pastorem in terra, qui derelicta non visitabit, dispersum non quæret, & contritum non sanabit, & id, quod stat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum dissoluet. O Pastor, & idolum derelinquens gregem;* vbi obseruat *Franc. Turr.* lib. 3. de *Auct. Roman. Pontif. sup. Concil.* c vers. 7. & sequ. propter Iudæorum scelera Deum minari, se sublaturum plures bonos Pastores; his autem amotis fore, vt eos pascere desisteret, ita vt curam eorum, tanquam suarum ouium, deposuisse videatur; Qui postea allato *Isaia* c. 3. qui inter mala, & calamitates, quas populo Israelitico prædicit; *Constituam,* inquit, *iuuenes Principes eorum, & illusores dominabuntur eis,* & verba tum Eliud apud Iob 24. *Qui regnare facit hypocritam propter peccata populi,* tum Os. cap. 11. de Saule propter peccatum reiecti Samuelis, *Dabo tibi Regem in furore meo;* subdit. *Clarissimè verò omnium docent hoc exempla illa duo, quæ S. Anastasius Sinaites Antiochenus Patriarcha, qui sextæ Synodo interfuit, narrat: CVM Imperator Phocas statim, vt imperium accepit, plurimos opera Bonosi carnificis occideret, Monachum quemdam mira sanctitate præditum, veluti expostulasse cum Deo pro magna sua erga eum fiducia, quærentemque ab eo, cur talem Imperatorem fecisset, missa per Angelum voce responsum tulisse, quia peiorem alium non habuisset. Quo responso planè declarauit Dominus ad infligendum supplicium populo factum esse propter peccata eiusdem populi malum Imperatorem.* Alterum exemplum, quod narrat, est. *FVISSE in Thebaide sceleratissimam quamdam Ciuitatem; ibi popularem quemdam item scelestissimum factum esse repente Monachum falsa Religionis specie, ac moribus minimè mutatis; Contigisse autem, vt Episcopus eius loci a vita recederet, apparuisseque viro cuidam Sancto Angelum Domini, qui iuberet ire, ac cum populo agere, vt aliquis eius loci eligeretur Episcopus, qui quidem electus, is scilicet quem diximus, homo nequam; is cum superbè de se sentire inciperet, astitisse Angelum Domini, qui quæreret, cur insolens factus esset, atque arrogans, non enim factum esse eum Episcopum, quia Episcopatu dignus esset, sed quia Ciuitas eo Episcopo, idest pessimo, digna esset. Ex quo perspici potest, propter peccata populi venire nos aliquando in potestatem huiusmodi tyrannorum, & ne sic quidem resipiscere. Hæc Anastasius.* His Turrian. addit. *Cum igitur propter peccata populi, & non secundum cor Domini, sicut Dauid dictum est, & quales apud Hieremiam Pastores promittit Dominus, sed secundum corda nostra, libidinesque nostras contingant aliquando Dei permissu mali Pastores; Quis non intelligat, optimum remedium esse morum nostrorum emendationem? magisq. esse nos a nobis accusandos, quam malum Pontificem? Et cum supplicij genus sit a Deo inflictum malos habere propter peccata*

nostra

nostra Pontifices, quid iniquius, quam nolle pœnas dare, & velle in peccatis hærere? Quid insolentiùs, quam mutare velle auctoritate nostra genus supplicij, quod est modum Deo præscribere, & vitam nolle mutare? Aut quid hoc aliud est, quam murmurare, & dicere; Cur ita facis, & subdit; *Dum Pontifex vinculis peccatorum constringitur, faciendum est, quod Ecclesia olim faciebat, cũ Petrus seru batur in carcere,* Oratio *(inquit) fiebat* sine intermissione ab Ecclesia pro eo: Quod significatũ iã n.145. *QVIN ETIAM EVENIRE POTEST*; vt licet R. P. valde probi, ac idonei ad Pastorale cunctorum fidelium munus fuerint a pijssimis Cardinalibus electi, & tanquam *fideles serui, ac prudentes constituti a Domino super familiam suam*, seu a Christo super oues suas, propter tamen populorum peccata improbi, seu inepti ad Pastoralia munera, ac infideles, imprudentesque euadant; Sic apertè habetur 7.q.1.c.13. *Ex merito plebis nonnunquam Episcopi deprauantur, quatenus procliuiùs cadant, qui sequuntur. Capite languescente cætera membra inficiuntur.* Verba sunt *S. Antheri* Martyris electi Papæ 236. Nou.21. non *S. Greg.* vt in Notat. ibi ex emendato *Grat.* Decr. Ipse quidem S. Greg. in c.24. Iob v.30. *Qui facit regnare Regem hypocritam propter peccata populi* c.20. Vbi inquit; *Procul dubio ex eius* (idest Antichristi, de quo supra) *nunc corpore prodeunt, qui iniquitates suas sub tegmine sacri honoris abscondunt, vt professione videri appetant, quod esse operibus recusant; Quia enim scriptum est* (Ioan.8.) Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati; *quantò nunc liberiùs peragunt peruersa, quæ agunt, tantò eius seruitio obnoxiùs obligantur*, addit; *sed nullus, qui talem Rectorem patitur, eum, quem patitur, accuset, quia nimirum sui fuit meriti peruersi Rectoris subiacere ditioni. Culpam ergo propriam magis accuset operis, quam iniustitiam gubernantis; Scriptum namque est* (Oseæ 13.) Dabo tibi Reges in f rore meo. *Quid ergo illos nobis præesse despicimus, quorum super nos regimina ex Domini furore suscipimus &c. Sic ergo secundum merita subditorum tribuuntur personæ regentium, VT SAEPE QVI VIDENTVR BONI, ACCEPTO MOX REGIMINE PERMVTENTVR*, sicut Scriptura sacra de eodem Saule intulit (1.Reg.15.) quid cor cum dignitate mutauit. Sic pro qualitatibus subditorum disponuntur acta regentium, vt sæpe *PRO MALO GREGIS ETIAM VERE BONI DELINQVAT VITA PASTORIS*.. Vtinam R. P. verè accommodari semper possint verba Reginæ Sabæ primò admiratæ eius *sapientiam, & virtutes* v.5. sic Salomonem alloquentis c.9. lib.2. Paral. v.8. *Quia diligit Deus Israel, & vult seruare eum in æternum; idcircò posuit te super eum Regem vt facias indicia, atque iustitiam*: Et nunquam verum sit illud *Liu.* lib.1. init. *Peruentum esse ad hæc tempora, quibus nec Vitia nostra, nec Remedia pati possumus.*

Laus Deo, B. V. S. Petro, eiusque Successoribus Sanctis Pontificibus.

Corrigenda, addenda, demenda, & quædam necessariò.

In Oratione pro Papa, quæ est in Missali Romano.

lin. 2.	Voluisse	voluisti

In præmittendis à lectore.

pag. 1. fac. 2. lin. 14.	Enim illius	anni illius

In primo animaduersionum Indice.

pag. 2. fac. 2. lin. 1.	suscepiant	suscipiant
pag. 3. fac. 2. lin. 7.	Sophimatum	Sophismatum

In fine Indicis secundi addatur 104.

In Animaduersionibus.

pag. 4	lin. 6	Charitate	charitas
	21	Historicè	historia
5	16	rescritionis	restrictionis
	26	Vrbe	in Vrbe
6	26	hand	haud
9	11	per ob alios	per alios
17	13	præfecis	præfecit
	24	discerterant	discesserant
20	15	toleratur	tolerantur
21	26	aditus	adde, vt quidam aiunt
25	26	detestantantur	detestantur
26	31	vltrò	vltra
37	24	adhebent	adhibent
44	15	amico	vnico
55	28	vel suus	vel suos
58	4	protimus	protinus
65	43	& infirmos	vt infirmos
68	7	cessiorem	cessionem
	28	quapropter cum	dele cum
	31	per Pontifice	pro Pontifice
	38	sentensis	sentientis
	46	humilis	humilibus
69	3	quarumdam	quamdam
70	17	ouibus nullam	dele nullam

71	4	operator	operatur
	44	offenſiorem	offenſionem
72	4	illam	illum
73	36	communinri	communiori
77	10	lance	lanci
	16	veriſſillimum	veriſimillimum
79	36	puſillorum	adde ſcandalum
84	16	per neceſſitatibus	pro neceſſitatibus
	46	exegit	exigit
86	20	ſaciant	faciunt
	28	ſenionem	ſeniorem
88	35	Eſais	Eſaias
95	3	nob.	non
	18	ipſiſmet	ipſimet
	43	idque ac illis	idque ab illis
96	44	iniurauerat	iniuriauerat
	46	publi	publicos
97	1	ctus ſuos	defectus ſuos
99	16	quique	quoque
103	20	pecuniarium	pecuniarum
	22	inſtitutiona	inſtitutione
104	11	at non	dele non
	39	alter	aliter
105	6	eſt hæc	eſt hic
106	1	ſpenſationes	diſpenſationes
	10	diuitiorum	diuitiarum
108	27	requirit	requirunt
		oſtendunt	oſtendit
109	28	nullis	nulli
110	5	dimanat	dimanant
	18	innitur	innititur
112	23	conceſſa	conceſſas
113	8	palimodiam	palinodiam
115	34	hæc hæc	dele vnum
116	32	prælara.	præclara.
	46	negotiorum	negotium
118	46	Apoſtolorum	Apoſtolicum
119	1	Nouerit R. P.	non adeò erit R. P.
120	26	ad A. S.	dele ad
121	27	Minures	Minores
122	3	Auux.	Aux.
124	1	hunc.	hanc.
125	5	beneficioſum	beneficiorum.
128	41	eruditione	traditione
133	23	fauorem	ſautorem

134 8

134	8	in principio	in præſepio
139	10	Reglais	Regalis
	32	aduerſa	aduerſus
	34	munimonta	munimenta
142	14	Princeps	Principes
143	18	XOTA	VOTA
	28	ſuis	ſui
145	13	nondum	nedum
	29	exaraneis	extraneis
147	42	fatetur	fatentur
150	15	non ſe	dele ſe
151	37	potius vitia	adde ſuadent
152	13	ex virtute	ex veritate
	23	remaneat	remoueat
155	18	non horum	nam horum
	39	ſuadentes	ſuadeant
	41	remouentes	remoueant
161	30	R. ergò P.	adde eſt ſtudere
168	16	videbit	videbunt
	46	videmus	vidimus
170	41	an.1208.	an.1268.
175	26	fructa	fructu
180	11	ſemper	ſuper
	39	contenſus	contentus
182	45	reductæ ſint, & cogantur	redigerentur, & cogerentur
	46	quingentis	quinquaginta
	1	debet	deberet
183	7	mittantur	mitterentur
	16	eſt ne	eſſet ne
184	22	ſemetipſis	ſemetipſos
185	12	deuotionem	deuotione
187	3	feruentiſque	feruentibuſque
	11	annoſum	annorum
188	17	ſpectabant,vel ſpectant	ſpectabat, vel ſpectat
189	1	ſemper ſit	dele ſit
	18	eamdem	in eadem
		tumultuandi	tumulandi
190	44	libr.5.	libr.1.
192	13	ſit Vicarius?	ſis Vicarius?
193	37	aſciſcendos	aſciſcendo
198	15	In ſacrum Scripturæ	In ſacram Scripturam
	38	De eo Dei	De ore Dei.
203	39	pleriſque	plurimis
211	15	poſſe	potuiſſe

	18	ait	adde Relect.4. in fin. propos. 2.
212	1	seruirentur	seruentur
213	29	si ostendat	se ostendat
215	4	Propheticarum	Prophetarum.
	40	perdendentes	perpendentes.
217	32	superari	superare
218	15	separaturum	snperaturum
221	7	dissensionem	dissensionum
	26	Principes	Princeps
222	1	ad impulsos	ad id impulsos
	36	eius vxore	eius vxoris
	46	famæ	fame
223	5	detrabitur	detrahitur
	45	Reg.	Rex
228	33	inobseruantiam	inobseruantiæ
230	32	posset	posse
	34	quod est.	quid est
234	21	etsi metum	metum etsi
236	45	viuit	vouit
238	2	libr. v.	libr. 2.
243	12	existimantes	æstimantes
248	17	salutaries	salutare
	36	erunt	erant
250	20	cotestatem.	potestatem
251	30	pciuans	priuans
253	34	reperi	reperiri
154	6	Prælati	Prælatis
257	16	vitare	vetare
260	28	Magistratuum	Magistratum
261	40	hæc Bullam	hanc Bullam
262	7	reperitur	repetitur
	45	effugugiant	effugiant
264	19	adhuc minus	adhuc nec minus
265	37	si peccarent	si peccaret
266	44	Princeps	Principes
268	13	mensæ	adde contentus
	39	operam	opera
	5	sbd	sed
274	7	concessum est	concessum esse
277	37	Theologicis	Theologis
281	8	Excitatori	excitatore
	18	vnde bellum	vel bellum
282	27	vesti.	vestibus.
285	37	laicor	laicos
286	36	illius.	illas

287	1	me	hc
289	37	ſubleuendam	ſubleuandas
290	1	ac iubeant	vt iubeant
194	22	Repuglica	Republica
	23	vitio	vitia
295	5	quam non	dele non
	18	C.1.	C.v.
	38	improbas	improbos
298	13	bona æterna	bona terrena
299	13	Præſides	Præſidis
	21	ipſum	ipſam
308	10	æquori	æquiori
301	31	ſuibungit	ſubiungit
303	31	quid cor	qui cor

Pleraq; ex his irrepſere propter abſentiam Auctoris, & eò quod correctot in aliquibus non aſſequutus fuerit auctoris mentem ex incompto ſæpe ſcriptoris caractere.

Addenda peculiariter.

Pag.126.lin.25.poſt ly *libris*,addatur: *Et iniquum ſanè foret*, iuſtas vetare Apologias, legitimas Defenſiones, &c. Si enim iniquus planè foret,qui impediret,ne quis ſe contra iniquum vitæ ſuæ aggreſſorem tueretur; an non pariter qui interdiceret, ne quis falſa, calumniaſque ſibi obiectas refelleret,ſeu verbis, ſeu libris, prout opus foret? Et poteſt quidem non rarò ad id præſtandum obligatio eſſe (& quandoque ex iuſtitia) vt cum alicuius infamia redundaret in Communitatem, cuius ipſe eſt pars, vel in nobilem familiam, conſanguineoſq; genere præſtantes. Vtinam nulli ſint ſimiles *Ruffino* teſte S.Hieron. Apol.1. qui accuſare alios, & immeritò, ſibi licere arbitrentur, his verò haud ſemet tueri,velintq; abijci ſcutum, ipſis non reponentibus gladium; vel *Caio*, qui,vt refert Seneca lib. 3.de Ira c.19. his, in quos animaduerti iubebat, os inſerta ſpongia includi, & cum ſpongiæ non inuenirentur, ſcindi veſtimenta miſerorum, & in os farciri pannos imperabat, ne vocis emittendæ haberent facultatem. *Nec præterea* ſunt inter Satyricos,famoſoſque libellos reponendi, qui mordacibus, aſperis, acerbiſque verbis vitia Eccleſiaſticorum,tum ſecularium,tum Regularium notarent, multòque minùs publica recenſerent; nam ſic non legendi S. Chryſoſt. peculiariter in lib. de Sacerd. S. Cyprian. in ſerm. de lapſis. S. Aug. ſerm.49. in Euang. Ioan.&c. S.Hieron.epiſt.ad Nepot. &c. S.Gregor.

gor. Homil.41. in Euang. &c. S.Bernard.serm.3. de trib. ordin. &c. B.Petrus Damian.lib. 1.epist.6. ad Nicol.Rom.Pontif.& lib.4.ep.3. ad Cunib. Taur. Episc. Gyldæ sapientis Presbyt. in Ecclesiasticum Ordinem acris correptio tom. v.Bibliotech. Patr. Ioan. Trith. de Ruinis Ord.Bened. Dionys. Carth. de Reform. Claustr. Ioan. Nid. de Reform. Relig. ac ex recentioribus præter Seruat. Layr. Opt. Regul.ac Ioan.Bapt.Lezan. celebrem in Vrbe etiam virum in libr. de Reform. Regularium Romæ euulgato, in cuius c.1. nominatim ex professo reponit auctores, inter quos nonnulli sunt etiam ex SS. Patribus, qui Ordinum Religiosorum quoque particularium relaxationem commemorant; inter Patres S.I. Card.Bellarm.de Gem. Columb. Auctor Caueæ Turturis Ioan. Kepl. Paulus Layman in Plac. Discept. Ludouic. Cresol.Mystagogus &c. Quàm vehementibus quoque verbis semet insectati fuerint B.Theodoretus Cyri, & S.Cyrillus Alexandriæ Episcopus, S. Hier. & Ruffinus, S.Bern. & S.Petrus venerabilis Abbas, dum hic in Cistercēsium quorumdam, ille in Cluniacensium mores inuehit, allatis ipsorum verbis ostendit *P.Albert.de Alb.S.I.Tridentinus Sac.litter.Prof.* in Mediol. Coll. in *Generalibus Vindicijs* an.1649. editis Monachij c.10.§.6. & 7.a p. 265. ad 299. qui postea §.8.a p.303. ad 317. latè acria dicta a conuitijs discriminare contendit ex iusta causa, sanoque consilio, afferens ad id etiam S.Hilar.in lib.cont. Const.S.August. c.7. lib. 1. contra Crescon. S.Bern.in Apol.ac S.Thom.22.q.32.art.1.ad 3. Qui & priùs latissimè in *Lydio lapide* eodem in loco, & anno impresso cum approbatione sui Prouincialis, præeunte aliquorum Theologorum S.I. recognitione, p.1.c.4.a p.115.ad 165. per c.8. Apologetica aduersus calumniatores scripta, vel narrantia quorumdam crimina, euincere studet, non esse famosos libellos, allata in primis definitione Famosi libelli e Theologis, ac I. C. compluribus, ac præsertim Farinacij q.104.& Consilio 30.& deinde c.9. ac 10. non obstare Sacros Canones, nec Bullam Pij V. in Bullario 147. nec Regulas Indicis, quominus hi libri vitia maximè publica, vel quæ expedit præsertim Christianæ,& Catholicæ Ecclesiæ nota facere, ad eorum in primis correptionem, vel extirpationem, seu quoque imminutionem, continentes, eaque acriter etiam reprehendentes, possint scribi, edique; neque hosce interdicendos prorsus, tamquam Famosos libellos; secus enim tales forent, & libri multi SS.Patrum, & Sacri ipsimet Codices: Ac vniuersim tradit, e Famosorum numero librorum remouendos prorsus, vnáque iniuriosorum, cum hæc tria concurrunt, Crimen, & præsertim non occultum, iusta necessitatis, vel commodi causa, animique probi existimatio, ad scriptionem, editionemque librorum &c. Verùm longè prius, quàm Albertus, Theologiæ Moralis Scriptor Paulus Layman lib.3. tract.3. p.2. c.6.in fine n.3. loquens de contumelia, quæ scripto fit, ita scripsit, *Excipit autem non improbabiliter* Glos. in §. Iniuria *verb. fieret* In-

stit.

ftit.de iniur. *eiusmodi pœnis propter contumeliam, aut libellum famosum, obnoxium non esse, si aliquis verum crimen obijceret, de quo publicè accusare liceat, & quod puniri Reipublicæ intersit:* Quibus subdit; *Immo in hoc casu nihil culpæ admitti videtur, si talis status sit in Communitate, vt alius modus publicum scandalum, vel detrimentum tollendi non suppetat.*

Pag.164.lin.41. post ly *Simoniacæ labis* addatur ex eodem Conc. *Quicquid Concubinariæ sordis.*

Pag.183.lin.18. post ly *Dispoticum* addatur; *De qua re legi potest* Epistola Eminentiss. Card. *Iulij Sacchetti* læthali morbo laborantis, e quo paulò post ad Cœlum, vt speratur, Vir prudentissimus, rerumque potissimè Ecclesiastici Status publicarum egregiè conscius anno 1663. abijt, Epistola per Christianum orbem euulgata, & alicubi impressa.

Pag. 272. linea 23. post ly *proprio*, addatur, *Quemadmodum* etiam explicat doctissimus *Bagn.* 22.q.1.a 10. in fusior. Com. qui cum definijsset §. *Tertiò notandum est*, Ecclesiam Militantem secundo modo acceptam, *est collectio fidelium baptizatorum sub vno capite Christo in Cœlis, & Vicario eius in terris*, explicans hanc postremam definitionis particulam in fine §. *Sed quod videtur*, inquit, *dupliciter* sumi posse rationem Capitis Ecclesiæ, vel *materialiter* pro persona, quæ est Pontifex, & Papa, vel *formaliter* pro officio capitis, quod est regere, gubernare, & influere aliquid in membra. *Ex hac distinctione* subdens, *explicari quomodo multi, qui se a capite separant, sint membra Ecclesiæ: Etenim videmus sæpe bella Pontifici illata a Catholicis, & ab eo multa regna separata, immo contra eum insurgentia, quæ tamen intra vnitatem Ecclesiæ fuerunt contenta, quia non separant se a visibili capite, scilicet doctrina, & veritate, sed materialiter a persona, quæ est caput.* Idem docet *Thom. Hurtad.* de vero Martyr. fid. resolut.34.p.3.

BIBLIOTECA NAZ. ... VITT. EM. ... LAINELLE

5-6-2